DANTIS ALLIGHERII

DI[illegible] COMOEDIA

HEXAMETRIS LATINIS REDDITA

AB

ABBATE DALLA PIAZZA

VICENTIN[illegible]

PRAEFATUS F[illegible] VITAM [illegible]

[illegible]

DANTIS ALLIGHERII

DIVINA COMOEDIA

HEXAMETRIS LATINIS REDDITA

AB

ABBATE DALLA PIAZZA

VICENTINO

DANTIS ALLIGHERII

DIVINA COMOEDIA

HEXAMETRIS LATINIS REDDITA

AB

ABBATE DALLA PIAZZA

VICENTINO

PRAEFATUS EST ET VITAM PIAZZAE

ADIECIT

CAROLUS WITTE

ANTECESSOR HALENSIS

LIPSIAE MDCCCXLVIII

SUMTIBUS IOAN. AMBROS. BARTH

PRINCIPI SERENISSIMO

IOANNI

DUCI SAXONIAE

ARTIUM LITERARUMQUE CULTORI
ET PATRONO

SUMME VENERABILI

Quoad longissime possum mente respicere spatium praeteriti temporis et rerum Saxonicarum memoriam recordari ultimam, inde usque repetens gloriosissimos, quibus, Princeps Serenissime, jure Tuo gaudes, majores video et ipsos in studiis humanitatis ac literarum praecipue versatos fuisse et aliis ad artes ingenuas rite colendas auctores et duces exstitisse. Qua de caussa id fecisse putandi sint, facile profecto est judicare, si quis, qui fructus ex illis studiis petantur, animum induxerit. Per artes nimirum regna civitatesque otio, opibus et virtute florent; per artes prope omnes, quibus administrandae reipublicae munus obtigit, rectis lineis ad sapientiam, justitiam, curam salutis publicae et ad omne genus laudum eximiarum ducuntur et applicantur; per artes denique reges, ut, quibus praesunt, populos omnibus fortunae bonis locupletes et copiosos, viribus et auctoritate praestantes et, quod caput est, animi virtutibus instructos ornatosque reddant, studio incendi solent vehementissimo.

Sed quid tandem est, cur hoc modo in laudes majorum Tuorum, Princeps Serenissime, excurram et felicitatem, qua Saxonia prae tot ac tantis Europae civitatibus ab antiquissimis inde temporibus ad hunc usque diem viguit, quasi praeconis voce praedicem? Quid est, quod artium liberalium utilitates Tibi explicem et recenseam, quippe qui ipse omnium

doctrinarum summe studiosus sis et cum omnibus Musis rationem habeas eam, ut Te ad conspicuum aliquem eruditionis locum evectum omnes admirentur et suspiciant? Quid est, quod artes ingenuas et elegantes Te audiente laudandi et concelebrandi provinciam suscepisse videar, quippe quem ipsum tanquam exemplar summae tum in sacris, tum in humanis literis scientiae jamdudum veneremur et amemus?

Si non plane alieni, at certe superflui quid proposuisse persuasissimum mihi haberem, nisi, cur opus, quod omnia omnium, qui plus quam vulgus sapiunt egregieque cordati sunt homines, suffragia tulisse constat, Tibi potissimum consecrare Tuisque auspiciis credere et commendare voluerim, aliquo modo inde pateret. Dico opus, quod, quo quis brevius atque aptius loqui consuevit, eo libentius ac confidentius nominaverit poeticum quoddam omnium rerum et terrestrium et coelestium *σύνταγμα* vel doctam quandam omnium de conditionibus humanis, iisque, interveniente religione Christiana, cum providentia divina connexis, *φιλοσοφημάτων συμπλοκήν*. His vero praemissis num quid est necesse disertis verbis addere, me dicere Divinam divini Dantis Alligherii Comoediam, quam Te ipsum, Princeps Serenissime, qua es linguae Italicae saeculi Dantei cognitione et in reserandis aperiendisque sensibus reconditis dexteritate, in linguam patriam multo elegantissime transtulisse

et, qua es ingenii sagacitate rerumque humanarum et divinarum intelligentia, doctissimis excursibus enodasse, quis est, qui non cognitum habeat ac grato erga Te animo agnoscat?

Hanc igitur, de qua tantopere meruisti, Dantis Allighcrii Divinam Comoediam, et eam nova, qua faciliorem ad coetus virorum *φιλολόγων* nanciscatur aditum, veste indutam, omni, qua par est, reverentia Tibi offero et tutelae Tuae vehementer etiam atque etiam commendo. Vestis illa nova (novam vocare liceat cum tempore, tum perfectione et absolutione) est interpretatio, versibus hexametris Latinis ab *Abbate dalla Piazza*, qui Professor Vicentiae obiit, diligentissime confecta, ita ut vix ac ne vix quidem durius quoddam de novo hoc conatu judicium ab ullo aequo peritoque harum rerum arbitro exspectari liceat.

Jam voluit interpres ipse, ut opus, in quo quasi tabernaculum vitae suae collocaverat, typis describeretur et publici juris fieret in Saxonia, ubi rara principum liberalitas tutelam mercaturae literarum adhuc gesserit. Consentientes habuit in eo familiares et amicos, quorum in virum vita defunctum pietas Lipsiam, tanquam emporium bibliopolarum longe celeberrimum, ubi monumentum studii gloriosissimi ad memoriam aeternitatis exstrueretur, elegit atque designavit.

Inde factum est, Princeps Serenissime, ut mihi cura editionem Divinae Comoediae a *Piazza* Latine redditam adornandi

et divendendi honorificentissime offerretur et mandaretur. Quod quidem munus, et quod ipse divinae poesis amore mirum quantum teneor et quod nullo non tempore studia optimarum artium parte pro virili juvi et promovi, animo libentissimo susceptum ita exsecutus sum, ut nulli officio me defuisse profiteri possim.

Accipe igitur, Princeps Serenissime, hanc, quae mea qualicunque opera in publicum prodit, maximi poetae Italici interpretationem Latinam, accipe serena fronte, aequi bonique consule, rebus meis favere perge atque in nominis Saxonici ornamentum, incrementum, emolumentum diu salvus et incolumis vive, vige, flore!

Scripsi Lipsiae Idibus Januariis a. 1848.

Guil. Ambros. Barth.

PRAEFATIO.

Qui omnes conatus divini carminis in aliam linguam vertendi irritos esse dixerit, ei haud spernenda argumenta ipse Comoediae auctor possit suppeditare. Ait enim Dantes in libro, cui titulus est Convivium (I, 7.):

*Sappia ciascuno, che nulla cosa per legame musico**) *armonizzata si può della sua loquela in altra trasmutare senza rompere tutta sua dolcezza e armonia. E questa è la ragione per che Omero non si mutò di greco in latino, come l'altre scritture che avemo da loro***); *e questa è la ragione per che i versi del Psaltero sono senza dolcezza di musica e d'armonia, chè essi furono trasmutati d'ebreo in greco, e di greco in latino, e nella prima trasmutazione tutta quella dolcezza venne meno.*

Si vero negari nequit, magnam suavitatis illius partem, quae in carminibus audiendis nos mulcet, transferendo exstingui,

---

*) Ita pro *musaico*, quod est in editis, ad sequentia (*dolcezza di musica e d'armonia*) respicientes jamdudum correximus. Simillima enim, si desiderantur, exempla leguntur in epistola, quae Hilario monacho tribui solet: „sermone vulgari ... non simplici, sed *musico*.“ Sunt quidem, qui vocem *musaico* pro adjectivo a *Musis* derivato accipere jubeant, sed auctoribus, apud quos eam hoc sensu usurpari constet, destituuntur.

**) Puta a Graecis.

per solas tamen conversiones ad illam literarum communionem pervenire licet, quae hodie non doctos solummodo viros, sed cultiores quosque per universam fere Europam consociat. Quibus igitur carere nescimus, eas ingenito quodam vitio laborare, earumque ne optimam quidem justam metam contingere posse, fateamur. Quae enim in operis poetici interpretatione desideramus, ut auctoris sententiam presse pleneque sequatur, et ut insimul dulci versuum concentu ipsius exempli imaginem exhibeat, ea invicem secum pugnare, nemo est, qui non videat. Ad metam vero, quam assequi nemini est concessum, accedere certe possumus, et longe propius sine dubio accesserunt, quorum opera nostris temporibus scriptores alienas linguas loquuntur, quam qui apud veteres eandem in se susceperant provinciam. At sacrum carmen, longe nobilissimus, quem tot saecula Christianae poeseos tulerunt, fructus, prae caeteris dignum est, quod in omnium populorum Christianae fidei addictorum communione habeatur; Divina Comoedia, opus tot tantisque difficultatibus impeditum, si quod aliud, poscit interpretem, qui vel Italicae linguae peritis in intelligendo carmine subveniat. Tantum vero abest, ut unius alteriusve, quantumlibet docti et ingeniosi, interpretis opera ad expediendos omnes, quibus abundat carmen, nodos sufficiat, ut ardui hujus propositi assequendi caussa doctorum, qui sunt apud omnes cultiores populos, labores in unum collati requirantur. Sed haec diversarum gentium studia non ita facile poterunt consociari, nisi operi communibus viribus illustrando eam prius dederimus linguam, quae omnibus doctis est communis. Et, si accuratius inspexerimus, carmen divinum Latinitate donare minus desperatam rem fortasse dicemus, quam, quas complures moliti sunt, conversiones in linguas vernaculas. Recentiorum enim linguarum natura in compito quasi nos tenet ancipites, utrum in transferenda Comoedia Dantis rhythmo magis, an sententiae inhaereamus. At qui sacri carminis formam poeticam in homoeoteleutorum concatenatione omni numero red-

dere conati sunt, quod praeter Germanicos a nemine ausum esse puto, eam insimulationem vix et ne vix quidem effugient, se non modicam dicendorum partem formae studio concessisse. Qui vero a simili versuum exitu vel prorsus abstinent, vel ut parciores in eo sint licere putant, ad solutam potius orationem accedere videntur, quam ad versum ternarium Divinae Comoediae solemnem, vel — quod praecipue in Gallicis versionibus, Alexandrino, quem vocant, versu constantibus, nos offendit — orationem aliter exhibent incisam, quam in ipso, quod imitandum sibi proposuerunt, carmine.

Alia profecto est ratio Latini sermonis, proxima cognatione cum Italico, et maxime quidem cum illo antiquiore, quo Dantes usus est, conjuncti, cujus versus hexameter, jam apud Romanos prolixioribus cujuslibet argumenti carminibus proprius, etiam altissimae sacri carminis poesi sese accommodat. Ipsi Alligherio heroicum versum ad explanandas Divinae Comoediae graves sententias aptum esse visum, fidem facere videntur, quae de primo et mox mutato ejus consilio Latine scribendi referunt auctores *). Legimus enim in epistola, quam Hilarium monachum Huguccioni Fasiolano scripsisse volunt **):

> Quum exhibuisset (Dantes), quem ***) libellum ego in gremium gratanter accepi, aperui, et in ejus praesentia oculos cum affectione defixi. Quumque verba vulgaria percepissem, et quodammodo me me admirari ostenderem, cunctationis meae caussam petivit. Cui me super qualitate sermonis admirari respondi: tum quia difficile, imo inopinabile videtur, intentionem tam arduam vulgariter exprimi potuisse, tum quia inconveniens videbatur con-

*) Cf. quae de hac quaestione in transitu, sed docte, monuit illustr. Vicecomes Columbus Batinensis in Bibliogr. Dant. I, 243.

**) Disputationem de fide hujus epistolae propediem persequar in nova epistolarum Dantis editione.

***) Ita cum doctissimo Troya interpungendum esse puto. Abbreviationis signum, quod unicus Florentinus codex exhibet, non *quem*, sed *quam* dicere solet.

junctio tantae sententiae amictu*) populari. Inquit**) enim ille respondens: rationabiliter certe pensaris; et quum a principio coelitus fortasse semen infusum in hujusmodi propositum germinaret, vocem ad haec***) legitimam praeelegi; nec tantum praeelegi, quinimmo cum ipsa more solito poetando incoepi:

Ultima regna canam fluvido contermina mundo,
Spiritibus quae lata patent, quae praemia solvunt
Pro meritis cuicumque†) suis.

Sed quum praesentis aevi conditionem rependerem, vidi cantus illustrium poetarum quasi pro nihilo esse abjectos††), et hoc aevo†††) generosi homines, quibus talia meliori tempore scribebantur, liberales artes, proh dolor, dimisere plebejis. Propter quod lyrulam, qua fretus eram, deposui, aliam praeparans convenientem sensibus modernorum: frustra enim mandibilis cibus ad ora lactentium admovetur.

Verba, quibus Boccatius binis locis eandem rem refert, tam exacte conveniunt narrationi Hilarianae, ut alterum ab altero esse exscriptum dubitari nequeat. Ita enim in vita poetae (cap. 14. p. 92. 93. edit. Gambanae):

---

*) In codice legitur *amiclo*, cum lineola, quasi abbreviationis signo, literae *l* trajecta. Hanc libri scripturam proxime secutus, qui nuper epistolam ex ipso codice accuratissime edidit, celeberrimus Mutius (*Tre epistole latine di D. Alighieri. Prato* 1845. p. 40) dedit *amiculo*. Retinendam tamen puto facillimam Dionysii emendationem.

**) *In quid*, quod (per non dubiam abbreviationem) est in codice, in textu retinuit Mutius. Etiam *enim* (*ei* cum linea superposita) videtur suspectum.

***) Hanc codicis scripturam (*hec*) deserentes editores Dionysio recentiores dederunt *hoc*.

†) Boccatius in commentario Div. Com. *utcumque*.

††) Codex *objectos*.

†††) Codex *io* cum lineola superposita, quod Mutius minus recte per *imo* (hoc enim verbum *ymo* scribere solet amanuensis) interpretatus est, quum sit abbreviatio verbi *ideo*. Sed ne hoc quidem potest defendi. *Consilio* inserunt Dionysius (*hoc consilio*) et Troya (*hoc ipso consilio*), quod unde hauserint, nescio. Nostram certe emendationem sensui codicisque scripturae magis convenire concedes.

Muovono molti, e intra essi alcuni savj uomini, generalmente una quistione così fatta: che conciofussecosachè Dante fusse in iscienza solennissimo uomo, perchè a comporre così grande di sì alta materia e sì notabile libro com' è questa sua Commedia nel fiorentino idioma si disponesse e perchè non più tosto in versi latini come gli altri poeti precedenti hanno fatto? A così fatta domanda rispondere, tra molte ragioni, due tra le altre principali me ne occorrono .... La seconda ragione, che a questo il mosse, fù questa: veggendo egli i liberali studj del tutto abbandonati, e massimamente da' principi e dagli altri grandi uomini, a'quali si solevano le poetiche fatiche intitolare .... avendo egli incominciato, secondochè l'altezza della materia richiedeva, in questa guisa:

Ultima regna etc.

il lasciò stare, immaginando in vano le croste del pane porsi alla bocca di coloro che ancora il latte suggono, e in istile atto a'moderni sensi ricominciò la sua opera e proseguilla in vulgare *).

Et in prooemio Commentarii ad Divinam Comoediam (Ed. Moutier p. 22):

Dante ... cominciò il presente libro in versi latini, così:

Ultima regna etc.

E già era alquanto proceduto avanti, quando gli parve da mutare stilo: e il consiglio che il mosse fù, manifestamente conoscere i liberali studj e'filosofici essere del tutto abbandonati da'principi e da'signori e dagli altri eccellenti uomini,

---

*) Justam rationem fortasse rectius a Leonardo Aretino dices expressam: *Chi mi dimandasse per qual ragione Dante piuttosto elesse scrivere in vulgare che in latino e letterato stile, risponderei quello che è la verità, cioè che Dante conosceva se medesimo molto più atto a questo stile vulgare in rima che a quello latino e letterato. E certo molte cose sono dette da lui leggiadramente in questa rima vulgare che nè avrebbe saputo nè avrebbe potuto dire in lingua latina e in versi eroici.*

i quali solieno onorare e rendere famosi i poeti e le loro opere; e però veggendo quasi abbandonato Virgilio e gli altri, o essere nelle mani d'uomini plebei e di bassa condizione estimò così al suo lavorio dovere addivenire, e per conseguente (inserendum videtur ***non***) *conseguirgli quello, per che alla fatica si sottomettea. Di che gli parve dovere il suo poema fare conforme, almeno nella corteccia di fuori, agl'ingegni de'presenti signori.*

Simillima leguntur et in prooemio elegantis illius commentarii anonymi, qui habetur in codicibus Riccardiano **1016**, Gaddiano XC. sup. **123.** et Medic. Palat. $^{117}/_{183}$, et cujus specimina dedit Taeffius:

Aveva l'autore della presente opera cominciato questa tripartita commedia in questi versi latini, cioè Ultima regna canam etc., *e già distesa la materia alquanto inanzi, quando mutò consiglio, avendo rispetto, che i signori e gli altri uomini potenti aveano quasi del tutto abbandonati gli studj liberali e filosofici, e quasi veruno v'era, che a scienza attendesse; e se pure veruno v'attendeva, faceva i libri degli autori traslatare in volgare.*

Non defuerunt igitur, qui inde ab ipso Dantis saeculo usque ad nostros dies sacrum summi poetae carmen Latinitate donare molirentur. Horum conatuum una Caroli Aquinatis versio integram complectitur Comoediam typisque exscripta est (Neapol. **1728***), cui operi, etsi fidei, non tamen elegantiae laudem denegaverunt utriusque linguae periti. Caeterarum conversionum, quae vel unam tantum alteramve Comoediae partem complectuntur, vel prelo nondum sunt commissae, accuratum dedit catalogum diligentissimus Columbus Batinensis. Nos vero rem a proposito nostro non alienam facere credimus, in eorum commodum, qui cum novissimis Piazzae curis eorum

---

*) Cf. doctissimam illustrissimi Vicecomitis Columbi Batinensis bibliographiam operum Dantis et ad Dantem spectantium I, 243—45.

labores conferre desiderant, qui tempore eum praecesserunt, unius ejusdemque loci (celebrem de Francisca Ariminensi narrationem selegimus), quotquot nancisci potuimus, versiones Latinas hic exhibentes. Qua in re abstinere non possumus, quin viris doctis atque benevolis, quorum liberalitati magnam hujus apparatus partem debemus, gratias agamus quas possumus maximas. Nominasse sufficiat Seymourium Kirkup Anglum et Vogelium de Vogelstein Dresdensem, elegantissimos Dantisque studiosissimos pictores, Franciscum Longhenam, Professorem Mediolanensem, virum literatissimum, et Petrum Mugnam, eruditissimum apud Vindobonenses Professorem, quo intercedente postumum etiam, quod edimus, PIAZZAE opus manibus nostris commissum est.

Primum vero inter hasce conversiones locum ea obtinet, quam MATTHAEUS RONTUS, monachus Olivetanus, poetae aequalis († 1343), composuit*). Ex codice Magliabecchiano**) a Kirkupio accuratissime exscripta haec est:

INFERN. V, 73 SEQQ.

Dicere tunc coepi, vates o clare***), libenter
Nempe duabus eis, coeunt quae, verba referrem,
Sic et ad id flamen faciles quae stare videntur.
Ac ait ille mihi, sis cautus, quando propinquas,
Hae magis efficient se nobis, tuncque rogato
Quem †) vehit igne duas ipsas, veniéntque repente,
Quam cito flectit eas ad nos caliginis aura.
Heus, sonni vocitans, animae per semper anhelae,
Oro, venite loqui nobis, nisi deneget alter!
Qualiter a voto genitorum cita columba
Advolat ad nidum lepidum sublimibus alis
Et solidis, a velle suo devecta per altum,

*) Vide Columbum Batinensem p. 237—43.
**) IV. 82. Colomb de Batines p. 240.
***) Cod. *dare*.
†) *Per quem* erat dicendum, sed obstitit numerus hexametri.

Eminuere modo Didonis ab agmine tali
Atque palam nobis patuere per aëra pravum;
Tanta fuit validae mihi tunc affectio vocis.
O animalis homo, qui gratus es atque benignus,
Visere quique venis Inferna per aëra pullum,
Si Deus omnitenens nostri constaret amicus,
Sanguine*) letifero qui mundum tinximus olim,
Nostra preces pro pace tua vox funderet illi;
Ast ubi te pietas de nostris mortibus icit,
Quomodo tu cupias audire vel omnia fari,
Nos capiemus enim, nos et tibi sponte loquemur,
Donec amoena, velut facit, aura silentia servat.
Urbs, ubi nata fui, residet penes aequoris undas,
Defluit Eridanus quo, sumat ut ipse quietem
Cum fluviis reliquis rivisque sequentibus illum.
Ast amor, ingenuo cordi qui protinus haeret,
Hunc rapuit, junxitque meo cum corpore pulchro,
Jam mihi sublato, sed adhuc modus officit umbrae.
Qui sed amor nulli peramato parcit amore,
Hunc mihi, vae miserae, tam gratum praetulit arte**),
Quod, velut ipse vides, nondum me linquere novit.
Nos amor, unde duos letum connexit ad unum;
Poena Caina manet, qui nos a luce diremit. —
Ista fuere, sui nobis quae verba dederunt.
Has ubi percepi laesas immaniter umbras,
Mox faciem flexi, tenui tantumque subuncam,
Donec ait vates mihi: quid nunc pectore tractas?
Quum sibi respondi ratus, heu me, dicere coepi,
Quot lepidae curae, flagrans et quanta cupido
Hos fragiles duxere duos moeroris ad actum!
Hic ad eos conversus, ego mea dirigo verba,
Occipiens, Francisca, tui tormenta doloris
Ad lacrimas, tristemque pium, me maxime ducunt;
Sed mihi dic, quando suspiria dulcia flabant,
Ad quid, quoque modo tunc ars concessit amoris,
Vota quod ambigua fierent notissima vobis?

---

*) Cod. *A sanguine.*

**) Num *arcte?*

Tunc ait illa, mihi nullus dolor altior exstat,
Tempore felici *), quam quum reminiscitur annis
In miseris aliquis! Tuus hoc tentavit et auctor.
Si modo radicem quoque causam discere primam
Ignis, homo, nostri tantis affectibus optes,
Sicut agunt, faciam, qui flent simul atque loquuntur:
Nos legitabamus, quadam spatiando dierum,
De Lancelocto, se strinxit qualiter ardor,
Nos et eramus ibi soli, suspectibus absque.
Compulit alternos oculos nos cernere nostrum
Lectio saepe libri, et facies pallere coëgit.
Denique nos solus punctus connexuit ultro,
Quumque peroptatam faciem, nos legimus, illam
Basia ab ore proci talis sumsisse faventis,
Iste, mihi sublatus erit qui tempore nullo,
Grata, labante meis malis dedit oscula corde,
Leno fuit Galeoctus eis; sed lectio noster **).
Ast in ea nos plura die non legimus ipsi! —
Panderet ista mihi querule dum spiritus alter,
Alter inops flebat, quasi pietate fatiscens.
Ipse fui veluti moriturus protinus essem,
Qualiter, et cecidi, ruit hinc ex ense cadaver.

Rontoniana paulo recentior et minus barbara videtur versio aliquot capitulorum Inferni, quam ex unico *Fontaniniano* codice protraxit Vivianus ***), cujusque particulam doctis notis illustratam recudi curavit celeberrimus Orellius †). Quam exhibentes a refutatione eorum abstinendum credimus, qui hos versus inconditos sententiamque Italici carminis mendose reddentes legitimum aliquando Alligherii partum primosque Divinae Comoediae conatus judicaverunt; neminem enim hujus opinionis sectatorem hodie superesse putamus.

---

*) Sensus genitivum poscere videtur.

**) Cod. *nostri.* Num *nobis?*

***) *La Div. Com giusta la lez. del cod. Bartoliniano* I, 301—30.

†) Index lectionum in Acad. Turicensi per sem. aestiv. 1839. habend.

Tunc ego sic coepi: venerande poeta, libenter
Illos, qui pariter tanta levitate feruntur,
Alloquerer paullum. Maro sic ait: ergo videto,
Quum nobis volitando quidem fuerint propiores,
Tunc illos per eum dulcem rogitabis amorem,
Qui sic hos pariter binos conducit, et illi
Mox venient. Igitur persta vigilanter,
Quumque illos nobis ventus facit esse propinquos,
Labra movens, o, dic, animae, quibus anxia sors est
Nostrum ad colloquium, nullo prohibente, venite.
Quumque haec dixissem, quales in amore columbae,
Quas dulces nidi revocant, stridentibus alis,
Mox ad nos pariter volitant per inane malignum,
Tristem linquentes dictam a Didone cohortem.
Tanta fuit nostris vis ac substantia verbis.
Seque simul sistunt, quarum sic una locuta est:
O cui multa data est coelesti gratia dono,
Oque benignum animal, cui nostra videre per atrum
Aëra collibuit mala fata statumque profanum,
Vulnere sanguineo qui pulchrum tinximus orbem,
Aeterni regis si te nossemus amicum,
Huic pro pace tua repetitas porrigeremus
Nempe preces, nostrae quoniam miserere ruinae.
Dic, quid nunc audire velis, et themate sub quo
Sermonem fieri; nobis audire placebit
Vos vobisque loqui, dum sic tacet, ut modo ventus.
Urbs, ubi nata fui, est sita litore, qua Padus ingens
In mare praecipitat, sibi firma sequacibus ut pax
Sit cum finitimis. Amor hunc, qui nobile carpit
Cor hominis, subito corpus dum cerneret illud,
Cui subjecta fui, cuique innata venustas
Sic me*) prostravit, cepit captumque peremit,
Meque simul, pariter famam laedendo decoram,
Idem me cepit, qui nulli parcit amato,
Aurataque meum tetigit sic cuspide pectus,
Ut nos, ut cernis, semper comitetur amantes.
Hic amor incestus mortem conduxit ad unam

---

*) *Sub me* corrigit Orellius.

Nos pariter, geminos hic, et nunc fine sine ullo
Conjunctos agitat poena pro crimine digna.
Uno qui gladio binos confixit in ira,
Suppliciis cruciat meritis inferna Caina.
Talia sunt nobis geminas porrecta per umbras.
   Has animas laesas sua pessima fata loquentes
Postquam intellexi, vultum pensando deorsum
Tam longe tenui, dum dux mihi diceret ipse:
Quid pensas? Cui mox respondens: proh dolor, inqui,
Quam dulces curae, quam dulcia vota ruentes
Duxere ad praesens barathrum, tantosque dolores!
Post ad eos faciem verti sic ore loquutus:
   O Francisca, tuum me martyrium lacrimantem
Efficit, atque pium, nec non tibi compatientem;
Dic mihi nunc, inter suspiria dulcia, vobis
Quomodo concessit furor inconcessus amoris
Ancipitis voti letale agnoscere virus?
   Illa refert: misero major non est dolor unquam.
Quam jam praeteritae reminisci prosperitatis,
Quum miser est, istudque tuus doctor bene novit.
Sed si radicem nostri cognoscere amoris
Tanta cupido animum tangit, dicam velut illa,
Quae plorans loquitur. Nam quum librum legeremus,
Qui Lancillotti insanum pertractat amorem,
Et soli essemus, foret et suspectio nulla,
Multotiens scriptura oculos hinc inde placentes
Illa repercussit, nos et pallere coëgit,
Unicus at punctus nos expugnavit ad imum:
Namque legendo locum quum pervenisset ad illum,
Quando tantus amans ori exoptata genisque
Oscula defixit, tremulis tunc basia nostris
Iste genis fixit; liber inter nos Galeotus
Compositorque suus fuit, et non legimus ultra
Illo plura die. Verba haec dum spiritus unus
Diceret, illorum plorabat spiritus alter,
Et me prostravit tantum pietasque dolorque,
Quod mox deficiens cecidi, quasi mortuus essem.

Saeculum sedecimum literis Latinis prae caeteris deditum, et sacri carminis cultu, praeter nostrum, nulli secundum, ne unam quidem Divinae Comoediae versionem Latinam tulisse, est quod miremur. Chiabrerae vero Marinique sectatores a Dantis studio fuisse alienos, commemoratione vix indiget. Reviviscente circa initium saeculi decimi octavi castarum Musarum et priscae poeseos amore, feliciora ingenia novis conatibus ad Alligherium patrem sese converterunt. In quorum numero non infimum certe locum Carolo Aquinati tribuendum esse censemus, licet, Latinam quum faceret Divinam Comoediam, aemulationi elegantiarum Nasonis plus aequo dederit*).

— — — Geminas tamen anxia cura
Solicitat novisse umbras, quas impete raptas
Turbineo huc adigit ventus; sed cominus adsunt:
Aggredior fari, monuit quo carmine Vates.
Oh, agite unanimes animae, quas ipsa volutat
Poena pares; fandi est si copia, sistite cursum.
Ut, studiosa vocat sobolis quas cura, columbas
Immotis reduces ad nota cubilia pennis
Prolis amor vehit, occultas et sufficit alas:
Non secus, excitae blando sermone vocantis,
Exsiluere leves umbrae, sociisque relictis
Aëra per coecum approperant; mox altera fatur:
Quisquis es, informes Erebi lustrare recessus
Quem pietas tetigit, nostrosque ediscere casus,
Quorum fumat adhuc fuso de sanguine tellus,
Optarim, nisi laeva forent mihi Numina, tanti
Sedibus in superis maneat te gratia facti.
Nunc liceat gratas audire, et reddere voces,
Dum venti posuere. Dies mihi prima refulsit
Tabificis horrent ubi foeda paludibus arva,

*) Sufficient, quos recudimus versus, ad refutandum doctissimi Columbi Batinensis errorem (Bibliogr. p. 245), narrationes de Francisca et de comite Ugolino a Carolo Aquinate praetermissas esse putantis.

Eridanusque pater, fluviis socialibus auctus,
Mole fatigatas, longoque errore viarum,
In mare volvit aquas. Haurire cupidinis ignes
Continuo generosa solent ut corda, flagrantem
Hunc rapuit poena socium mea forma cruenti.
Forma, eheu! meminisse dolet, mox victima ferri.
Utque suas in amore vices amor ipse reposcit,
Me petit igne pari; modo quo nil segnius urit,
Horrisonoque sequi socium cum turbine cogit.
Morte pari nos junxit amor; qui stringere ferrum
Non timuit, solvet meritas sub Tartara poenas. —
Talia dum memorat, demisso lumina vultu
Multa movens animo, terrae defixa ferebam;
Quum mihi Minciades: tacita quid mente volutas?
Quantus amor, dixi, venis quam fervidus ignis
Arsit, et adstrictos ad funera traxit amantes!
Vix ea, quum fari, tenuem conversus ad umbram,
Aggredior: longo viden' ut tristissima luctu
Sors tua facta mea est? cupidis sed fervida pennis
Quum dulces aestus suspiria sola notarent,
Fare, age, qui pavido celatus corde latebat,
Quo demum monstrante viam se prodidit ardor?
Qui miser est, ait illa, magis tristatur in horas,
Fluxerunt laetae reputat si tempora vitae;
Non dubitanda tuus dedit haec documenta Magister.
Quod si nosse flagras nostras ab origine flammas,
Verba, licet rigui fletus sine lege fluentes
Praepediant, repetam. Tenerorum scriptor amorum
Blandiloquis chartis semotos forte tenebat:
Illapsu tenero serpens in viscera mollis
Pagina, nescio quas creat illecebrosa favillas,
Cordaque pertentans fibris inolescit in imis.
Tum vero abrupti nutus, oculique madentes
Multa inter sese trepida formidine nutant.
Verum ubi sedatas alterna per oscula flammas
Pagina monstravit; nimirum exarsimus ambo;
Dulcia perque vices libavimus oscula: nostri
Causa fuit liber ille, simulque minister amoris;
Distulimus post haec sontes evolvere chartas.

Sontes? heu miseram! gravius nocuere remotae.
Altera singultu crebro dum talia fatur,
Altera conficitur lacrimis undantibus umbra.
Tunc ego multa gemens, sortem miseratus acerbam
Languida letifero districtus pectora morsu,
Collabor, veluti subito quem vita reliquit.

Alia ejusdem saeculi versio ad hunc usque diem in bibliotheca Seminarii Florentini jacet inedita. Versionem dico COSIMI DELLA SCARPERIA, qui vixit inter annos **1720** et **1778** *), elegiacis versibus non ineleganter compositam et sententiam auctoris accuratius quam superior illa Caroli Aquinatis reddentem, cujus specimina exhibuerunt Memoriae historicae societatis Columbariae p. 95—98, et, ad quem jam provocavimus, Mediolanensis Polygraphus p. **328**, **29** **).

Tum vati: o liceat geminas affarier umbras,
    Una tam rapide quas fera raptat hyems.
Hic mihi: quum propius fuerint, hos advoca, et ingens,
    Qui transfert miseros, hos tibi sistet amor.
Tum simul hos nobis turbo offert, si licet, inquam,
    Vos nostrum, manes, sistite ad alloquium.
Ut volat erectis alis, firmisque columba
    Ad nidum cupiens laeta volensque suum;
Aëra per tetrum sic hae, Didone relicta,
    Se teneris praestant vocibus unanimes.
O bone, qui miseros per subterranea visis,
    Quorum forte et adhuc sanguine terra rubet.
Taedet, ab hoste deo, dum sic miserare dolentes,
    Quod petere haud liceat prospera cuncta tibi.
Quod datur, alternis sermonibus, ut placet, ultro
    Citroque utamur, dum sinit aura tacens.

---

*) Biographicas Cosimi notitias dedit Polygraphus Mediolanensis Ann. III. (1813.) No. 21. (D. Dominic. 23. Maj.) p. 323—26.

**) Columbus Batinensis Bibliogr. p. 242.

Qua Eridano fluviisque suis dant aequora pacem,
Limina me ad vitae prima Ravenna tulit.
Corporis ille mei, dein caesi, ut mollis amator
Esset, quod taedet dicere, jussit amor.
Et nulli ut parcit, placido me ardere coëgit
Igne, viro ut nequeam, vel procul ire volens.
Ipse uni morti nos tradidit. At manet ultrix
Poena Cain saevum. Sic mihi fata, silet.
Ora solo ad vices miseras defixa tenebam;
Tum: quid mente agitas? dux ait attonito.
Tunc ego, quam multa, heu! miseros praedulcia vota,
Quam blandi sensus prostituere neci!
Alloquor hinc ipsos: nimium, Francisca, dolentem,
Ut misere adlacrimer, me tua poena facit.
Dic tamen, ancipiti si quam venistis ad oram
Spe, quoque hausistis dulcia furta modo.
Infandum miseris, inquit, meminisse secundi
Temporis, ut potuit te docuisse Maro.
Si tamen et miserae vis nosse exordia flammae,
Accipe cum lacrimis tristia verba meis.
Securis, solis, quo Lancillottus amore
Deperiit, legere et scire fuit volupe.
Saepius hinc oculos utriusque accendit, et ora
Pallere alternis pagina blanda jubet.
Vincimur at penitus, quum dulcia in oscula amantes
Optatum ad risum legimus irruere.
Tum primum tremulis impressit basia labris
Hinc mihi perpetuus, sed miser, usque comes.
O liber, o scriptor miserandi fomes amoris!
Haud plura ad solidum legimus inde diem.
Haec dicens, alterque gemens sic concutit ima
Viscera, ut exanimis sternar ad instar humi.

Cujus nunc subjicimus specimen, versio Antonii Catellacci, Professoris Pisani, ultra Infernum (anno 1819 editum*)

*) Columbus Batinensis Bibliogr. p. 246.

non est progressa, neque eorum tulit suffragia, quibus his de rebus sententiam dicere competit.

Coepi ego, mi vates, utinam nunc hisce duobus
Colloqui ego possem sic procedentibus una,
Tam celeres vento qui flante, levesque videntur.
Is mihi: quum nobis magis advenisse propinquos
Percipies oculis, simul ipse precaberis illos,
Per, qui ducit eos, quemque experiuntur, amorem,
Atque illi venient, ad nos vix ventus eosdem
Torquet. Egoque, animae, incipio, quibus anxia cura est,
Adventate loqui cupidos, nisi quis vetet istud.
Expansis alis velut immotisque columbae
Ad dulces veniunt, stimulante cupidine, nidos
Aëra per liquidum, sic illi ex agmine, Dido
Est ubi, nos versus venere per aëra fuscum,
Sollicitavit eos adeo vox illa potenter,
Qua compellaram, praedulceque nomen amoris.
O vivens, cui gratia multa, benignaque mens est,
Qui per subnigrum nos visens aëra pergis,
Sanguine qui misere effuso maculavimus orbem;
Rex si universi nobis foret ille secundus,
Nostra adhiberemus vota, ut tu pace fruaris,
Quem tangit pietas nostrorum tanta malorum.
Quaecumque exaudire tibi placeatve, loquive
Nos sumus auscultare parati, aut dicere vobis,
Dum, solet ut cessare, silet modo in aëre ventus.
Terra jacet, quâ vitales ego prodii in auras
Ad mare, ubi Eridanus properans reperire quietem
Descendit, fluvii comitesque sequuntur euntem.
Coepit amor, qui succendit cito mitia corda,
Hunc pulchra illectum forma, quae barbare adempta
Est mihi; quoque modo sit adempta, perhorreo vel nunc.
Me quoque, qui quemvis bene amatum reddit amantem,
Cepit amor desideriis tam fortibus hujus,
Qui, velut ipse vides, vel adhuc me linquere nescit;
Idem amor ad mortem nos ipsam duxit utrosque.
Poena Caina manet, vitae qui lumen ademptae
Extinxit nobis. — Dederunt hi talia dicta.

Vix umbras sensi infensas has mente animoque,
Demisi vultum, et tam longo tempore pressi,
Ut vates mihi dixerit: ecquid mente volutas?
Quumque ego respondi: oh miserum, tum dicere coepi,
Me! quam praedulces sensus et quanta cupido
Ad letum hos ambos misere perduxit acerbum!
Deinde ad eos me converti, et sum talia fatus,
Incipiens: Francisca tibi, quod fata dederunt
Martyrium, me animo tristem facit esse, piumque
Ut lacrymem: at memora qui, dulci aetate calorum
Est ab amore datum vobis, potuistis ut ambo
Concipere, et dubios animi cognoscere sensus.
Dixit et illa mihi: dolor haud crudelior ullus,
Quam felix misera in re mente revolvere tempus;
Idque tuus putat et Doctor, qui talia novit.
Quod si animo sedit noscendi tanta cupido
Principium nostri, et primum quasi fomitem amoris,
Id faciam, quod qui lacrymat, dum verba profatur.
Historiam Lancellotti solaminis ergo
Forte legebamus, fuit ille ut captus amore,
Ambo ullo sine teste, et suspicione sine ulla.
Lectio saepe oculos per mutua compulit illa
Nostros, et tinxit vultus pallente colore;
Temporis at momentum unum nos vicit utrosque.
At simul optatum risum perlegimus esse
A tanto exceptum per suavia basia amanti,
Iste, a quo non sit sors ut me dividat ulla,
Osculum in ore mihi impressit cupidusque, tremensque.
Vere leno fuit liber, et qui scripsit eundem:
Illo lecta die nulla altera pagina nobis.
Haec dum dicta dabat Franciscae spiritus alter,
Alter lugebat Pauli, ut pietate benigna
Deficerem, ferme velut ac si mortuus essem,
Et cecidi, extinctum solet ut procumbere corpus.

Novissimum obtineat locum eadem narratio, quam cum aliis quibusdam Divinae Comoediae particulis Latinitate donavit doctissimus Franciscus Testa*):

Ut comitem audivi matresque virosque docentem
Antiquum genus et dicentem nomina, vicit
Me pietas miserans externatumque reliquit
Paene animus. Tum ego: fert, vates, mihi corde cupido
Compellare duos, qui unaque levesque videntur
Usque adeo instantis compelli flamine venti.
Hoc, inquit, propius quum aderunt. Tunc tute rogato
Coram adstent, illum per, quo ducuntur, amorem:
Advenient. Ad nos ergo quum ventus euntes
Flexit agens, ego talem emisi pectore vocem:
O animae, exercet crucians quas anxia poena,
Si fari haud vetitum vobis, huc vertite gressus!
Quales, quos revocat natorum cura, columbae
Ad nidum pandis dulcem immotisque feruntur
Alis, sponte cito findentes aëra lapsu;
Tales extemplo digressi ex agmine, Dido
It quocum regina, malas properata per auras
Ambo nos juxta ponunt vestigia. Tantum
Clamores blandi potuere et amantia dicta!
O animans comis, qui invisis mente benigna
Per loca subrubra horrendum nigrantia luce
Nos, fuso superas qui sanguine tinximus oras:
Si nobis facilis magni Rex orbis adesset,
Laeta precaremur tibi, nostro quippe dolori
Ipse dolens tantorum animo miserere malorum.
Quae dici, audirive velis, dicemus et iisdem
Rursum aures dabimus dictis, fera murmura venti
Dum sileant ut nunc. Urbs, in qua hausi aetheris almi
Auras primum ego nata, sedet, promptus in aequor
Qua sese Eridanus volvit fluviosque sequaces,
Una ut cesset. Amor tenero qui in corde repente
Insinuans haeret, hunc forma coepit honesta,
Quae mihi rapta nece est; et adhuc dolor illius ingens

*) Columbus Batinensis l. c. p. 245.

Me necis urit. Amor qui amatum cogit amare
Haud ulli parcens, hujus me ardore subegit
Tam placito, ut neque, quod cernis, tellure sub ima
Me nunc linquat. Amor nos funus adegit ad unum;
Crudeli Caina manet qui morte peremit.
Haec ego quum audivi commotus dicere, vultum
Demisi, et tacito despexi lumine terram:
Dum mihi sic vates: Tecum quid mente volutas?
Cui quum respondi, tum incoepi talibus: eheu!
Quot dulces miseros curae, quot vota dolores
Mersere in tantos! Me, sic effatus, ad illos
Denique ego converti, et his sum vocibus orsus:
Vestrarum, o Francisca, gravis labor aerumnarum
Tangit me, et cogit tristes effundere fletus.
Dulcia sed quum aderant praesto suspiria quondam,
Dic, vobis qua indulsit amor ratione modoque,
Alter ut alterius dubios cognosceret ignes?
Nil est tam grave, quam sortis meminisse beatae
In rebus miseris, ait illa. Tuo bene Vati
Notum hoc. Sed nostrum a primo si discere amorem
Tantum sollicito studium est, dicamque, gemamque.
Forte legebamus jucunda per otia casus
Lancellotti, utque is fuerit devinctus amore.
Una nos soli, et securi, in nosque vicissim
Adspectus iterare crebro et pallescere charta
Impulit illa ambos. Sed temporis unus utrosque
Articulus vicit subiti. Quum legimus illic,
Tantus amans cupidum os ut tandem junxerit ori
Ridenti dulce; hic, quem nulla a me abstrahet hora,
Pressa meis hic usque tremens tulit oscula labris.
Et liber et scriptor libri Galeottus. Ibidem
Illa luce ultra non legimus. Una locuta
His dum anima est dictis, flebat sic altera, ut ipse
Deficerem tenero, tamquam moriturus amore,
Et cecidi, exanimata cadunt quo corpora casu.

Hos complurium saeculorum conatus inter se conferens, lector, ipse intelliges, PIAZZAE conversionem non infelicibus ausis utramque consectatam esse laudem, tam fidei quam casti sermonis, nec a superioribus saeculis nostro palmam praereptam esse judicabis.

Ne vero sine quodam corollario te dimittamus, tres addimus versiones, observatione tua, ni fallimur, non indignas: Hispanicam duasque Francogallicas. Illius editio vetus, inter rarissimos libros a bibliographis merito relata, nuper ad nos pervenit officiis Fidelis Putsch (Birett), honestissimi bibliopolae Augustani. Cujus titulus et epilogus, quum vel a Columbo Batinensi*), viro accuratissimo, minus recte exhibeantur, utrumque subjicere non abs re esse putamus:

Con preuilegio real:
q̄ no ſe imprima por
ocho años. y eſta taſ-
ſado en ocho reales**).
La traduciō. del dante
de lengua toſcana en verſo caſte
llano: por el Reuerēdo don po
fernādez de villegas arcediano
de burgos: y por el comentado
allende d̄los otros gloſadores
por mādado d̄la muy excelente
ſeñora doña Juana de aragon
duqueſa de frias y Condeſſa de
haro fija d̄l muy poderoſo Rey
don fernādo de caſtilla y de ara
gon. llamado el catholico Con
otros dos tratados. vno q̄ ſe di
ze querella de la fe. y otro averſi
on del mūdo y cōuerſiō a dios.

*) Bibliogr. I, 278. 79.

**) Hactenus literis nigris. Reliqua rubro colore impressa sunt.

In calce vero haec leguntur:

Imprimioſe eſta muy prouechoſa y notable obra
en la muy noble y mas leal cibdad de Burgos
por Fadrique aleman de Baſilea acaboſe Lunes
a dos dias de Abril del año de nueſtra redempciō
de mill y quinientos y quinze años.

Comienço a dezir al poeta de grado
querria yo fablar alos dos de conſuno
que entrambos ligeros ſe vienen en vno
lançados del ayre feruiente turbado
aguarda pues dixo quando ayan llegado
aſer nos propincos yeſtonces los ruega
por ſu grande amor que en vno los llega
ſeras ſatiſfecho como has deſeado

Y como del viento a nos ſon traydos
o animas dixe maguer que canſadas
venis por el ayre noturno afanadas
ſy al nolo vieda preſtad nos oydos
y como palomas que van alos nidos
canſadas con gana de ally repoſar
llegaron ſe anſi fazia el nueſtro logar
dexando ſuſpenſos ſus grandes gemidos

Aſy ſe firmaron al ayre malino
tan preſto que ouieron mi voz entendido
dexando la gente con quien yba dido
por junto a nos otros turbada y ſin tino
o animal dulce diziendo y venino
que vas viſitando eſte ſiglo peruerſo
ſy el rey nos oyeſe del grande vniuerſo
tu paz deſeamos y ſano camino

Pues heres mouido de tal piedad
de nueſtra miſeria queriendo ſaber
nos preſtos eſtamos ate reſponder
en tanto que eſpera la grand tempeſtad

conſangre teñimos la nueſtra maldad
naſci yo en la tierra que eſta ala marina
do el po: ſe deriba juntando ſe ayna
con otros ſequaces que han ſu amiſtad

Amor que ſe aprende al gentil coraçon
a eſte prendio de mi bella perſona
amor que al amado de amar no perdona
ami traxo preſa ala miſma preſion
amor nos conduxo avna meſma paſion
en vno juntados y atados tan fuerte
donde ambos en vno paſamos tal muerte
quel modo me ofende de ſu relacion

Baxe la mi cara confuſa abatida
por tales perſonas de ver tan ofenſas
faſta que dixo el poeta que pienſas
aca es do ſe eſcota la negra comida
o quanto yo dixe mi alma afligida
mi eſprito turbado ſe ſiente y tan laſſo
quan dulces deſeos truxeron el paſſo
donde eſtos amantes perdieron la vida

Uoluiendo conellos deſpues a fablar
le dixe franciſca tu grande tormento
por ſiempre ſara mi veuir deſcontento
la triſte manzilla me fuerça allorar
mas dime ſi puedes el tiempo y logar
y como otorgaſte el ylicito amor
dudoſos deſeos del tal amador
porque tu buen ſeſo pudieron cegar

Ninguno ſer puede mas graue dolor
me dixo al que es pueſto en eſtrema lazeria
que eſtonce acordarſe en aquella miſeria
del tiempo felice en que eſtubo mejor
Y ſi los principios del miſero amor
tu quieres ſaber y de tal deſuentura
llorando y contando oyras la triſtura
que alla padeſcimos y aca es lo peor

Entrambos eſtando en logar apartado
de aquel lançarote leyendo ſu hiſtoria
el fuego de amor avn en nueſtra memoria
por actos extrinſecos no demoſtrado
materia nos dio el laſciuo tratado
de aquellos amantes abiendo leydo
ſuſpenſos los ojos cegado el ſentido
beſo la mi boca tremiendo y turbado

Anſy galeoto les fue medianero
ſegund que a nos otros el libro tan vano
en cuya lectura es trabajo liuiano
ſyn buena doctrina al veuir verdadero
mientra ella dezia el ſu compañero
contino lloraba con tanto gemido
que ſu compaſion amato mi ſentido
y a tierra me lança el dolor laſtimero.

Rationem, quam in vertendo immortali carmine adhibuit, ipse Villegas apte exponit in fine prooemii, quod maximam partem a Landino mutuatus est: *Deue ſe notar que el Dante ſcrive ſu obra en verſo que comunmente tiene onze o doze ſylabas, conforme al trobar caſtellano de arte mayor .... y por que aquella manera es tan conforme al verſo ſuyo y tan bien porque es mas graue y de mayor reſonancia como convenia a tan grave auctor, yo fize eſta traſlacion en aquella forma de trobar que propriamente es verſo heroyco .... Anſi meſmo es de ſaber que Dante eſcrive coplas de tercetos .... correſpondiente el tercero pie al primero, y deſpues el primero del terceto ſiguiente al ſegundo, de manera que aquellos quatro farian una media copla de arte mayor, que como es de ocho pies viniera anſi juſto al talle; pero como eſcrive de tres en tres, en dos tercetos faltan dos pies para una copla del arte mayor ya dicha: yo prove a los fazer anſi en tercetos, la qual manera no es en nueſtro uſo. Y pareſcia me una coſa tan deſdonada*

que lo dexe; quedo el defeto ya dicho de faltar en cada terceto un pie para la media copla, y dos pies en cada una entera, eſtos yo acorde de los ſuplir deſta manera: que algunas vezes ocurriendo de mio algund buen pie, que mas aclare ſu teſto, o confirme ſu ſentencia, pongo le, y aya paciencia el Dante, que en ſu brocado ſe ponga algund remiendo de ſayal que mas le faga luzir ...., otras vezes ſuplo aquellos pies delo que alguno de ſus gloſadores dize, y otras tan bien y las mas, quando buenamente ſe puede fazer, tomo el primero y ſegundo pie del terceto ſiguiente, y anſi ſe fazen ſus dos, y ala veze tres tercetos una copla de ocho pies. Note ſe tan bien, que el que treſlada, de otro anda tras el conſueltas, y no puede yr como ni quanto quiere, y anſi van algunas vezes pies algunos forcejados, que no ſe pudo, o no ſe ſupo mejor facer .... Anſi meſmo ſe devè notar que treſlàdarſe una lengua en otra, no ſolamente en verſo, pero ni en oracion ſoluta .... es impoſible treſladarſe por las miſmas palabras, que no fueſe la mas deſabrida coſa del mundo; porque en una lengua tiene una coſa gracia, y dicho en otra por aquellas palabras, ſeria muy frio. Por ende a qui en todo quanto delas meſmas palabras ſe puede uſar, ſe faze; pero en muchas partes ſe toma el ſentido y intencion mas que no las palabras meſmas; alguna vez fuera del teſto ſe pone alguna reprehenſion, o conſejo de mio, con licencia del Dante como dicho es.

Gallicae, quas nunc subnectimus, versiones ineditae habentur in codicibus Bibliothecarum Caesareae Vindobonensis et Universitatis Taurinensis. Utramque saeculi XVI. ineuntis esse partum vix dubitamus. Utriusque exemplum summae clarissimi Mugnae debemus benevolentiae. Ecce enim historiam Franciscae Ariminensis, qualem non minore diligentia quam libera-

litate ex codice Hohendorfiano Vindobonensi No. **43, 10201** *) ipse exscripsit vir humanissimus:

Aprez que ieu entendu les histoires
Des cavaliers, et des dames notoires
Pitié me prit, et presque mescartay:
Puis au poëte ainsy ie marrestay:
Je parlerois volontiers à ce couple
Qui a ce vent saccoumode si souple.
Tu les priras mais quils soient aprochez
Par cest amour qui les tient attachez.
Si tost qua nous le vent les heut poussees,
I'haussay ma voix: O ames travaillees
Parlez à moy sil ne vous est dedit.
Coume l'on voit fermés pousser au nit
Les doux pigeons emportez sur les aelles:
Des chauds desirs de leurs flames iumelles:
Alors ainsy de la bande sortis
Vindrent vers nous ces affligez espris:
Si forte fut ma priere amoureuse.
Douce personne, et vers nous gratieuse,
Qui va ainsy par l'aer pers visitant
Nous, qui baignons te monde en nostre sang:
A dieu nos crys sils avoient efficace,
Nous pririons quil le donnast sa grace,
Puis que tu as de nostre mal pitié:
Or que le vent est un peu arresté,
Nous parlerons, et te pourrons aprendre
Ce que tu veux de nos discours entendre.
Sur la marine, où le grand Po descent
Pour avoir paix avecques son suivant,
La terre sied, ou je pris ma naiscence:
Amour, qui vers un gentil cueur sadvance
Prit volontiers a ce rare subiet
Quon me ravit par un moien abiet:
Luy qui daimer aux aimez ne pardonne
Si fort me prit de sa belle personne,

*) Colomb de Batines Bibliogr. Dant. I, 248., qui tamen in eo fallitur, quod codicem Hohendorfianum a Vindobonensi distinguendum esse putet.

Coume tu voys quil ne me quitte encor,
En fin amour nous conduit a la mor;
Caine attend qui nous osta la vie:
Pareil propos parvint a nostre ouie.
Quand ientendiz ce esprits offensez
Je clos les yeux, et les tins tant bessez,
Que le poete enquiert de ma pensée:
Je respons lors quelle estoit ocupée
Aux beaux desirs, et aux pensers plaisans
Qui ont à mort tiré ces chers amans.
Puis me tournant vers eux, ainsy coumance:
Ton doux martir ma Francoyse madvance
A larmoier dennuy, et charité:
Mais a louvrir de si belle amitié
A quoy comment amour donna il prise
Pour adviser sa douteuse entreprise.
Lors elle a moy, la plus grande douleur
Est de penser alors de son malheur
Au temps heureux: tu le scais bien grand Maistre.
Mais si tu as tant desir de cognoistre
De nos amours, le premier fondemant
Tu moiras coume un qui parle en pleurant.
Nous lisions quelque jour par delice
De Lancelot qui heut lamour propice,
Nous estions seuls, et sans aucun soubscon:
Par plusieurs fois loeil de nostre lecon
Fut retiré qui pallit mon visage.
Mais un seul point tira le premier gage.
Quand nous lisons le sousris doucereux
Quelle donna au baiser amoureux,
Cestuy de moy qui jamais ne sapsente
Me baise alors dune bouche tremblente.
Galeot fut le livre, et lescrivant,
Pour ce jour la ne leusmes plus avant.
Pendant que lun de ces espris divise,
Lautre pleuroit tant, que mon ame esprise
De douleur presque arrive au dernier sort
Et ie tumbay coume un corps desia mort.

Alteram Francogallicam versionem, intercedente clarissimo Mugna, ex codice Taurinensi*) propria manu exscripsit Carolus Baudi de Vesme, vir celeberrimus, qui quantum contulerit ad elucidandam historiam, quantum ad explendos emendandosque libros juris civilis, harum rerum peritus nemo est qui nesciat.

Je comencay alors: poete volontiers
    Parleroye a ceulx deux qui ensemble sen vont
    Et semblent estre au vent tant victes et legiers.
Il me dit: quant verras que plus pres nous seront,
    Par lamour qui les maine il fault que lon les prie
    Venir deca vers nous, et ie croy quilz viendront.
Si tost comme le vent vers nous les guide et plie,
    Je moeuz la voix disant: o ames tourmentees
    Venez a nous parler, si aultruy ne lenye.
Comme columbes vont du desir reclamees
    Volland aleur doulx nid de ferme et grand courage,
    Ainsi les viz par laer dardant desir portees
Saillir hors de la trouppe ou dido de cartage
    Royne estoit, en venant a nous par laer maligne.
    Lors daffectueulx cry dit lune en son langaige:
O creature tant gracieuse et benigne,
    Qui voullant laer perdu visiter, viens deuers
    Nous qui lemonde auons taint de couleur sanguine.
Si nous feussions amys du roy de luniuers
    Pour ta paix le pririons cognoissant quil te prise
    Et que as pitie de veoit**) notre mal tant peruers.
Doyr et de parler a nous maiz quil te plaise,
    Volontiers parlerons et orrons voz propos
    Ce pendant que ***) vent, si comme il faut†), se taise.
La terre ou ie nacqui a son siege et repos

*) CXXII. I. V. 33. Cf. Pasini Codices Mss. biblioth. reg. Taurin. Athenaei p. 491. Maffei in Ephemeridib. literator. VI, 474. et in Opusculis ecclesiast. II, 1 sqq. Pelli memorie per la vita di Dante. Ed. II. p. 175. Colomb de Batines l. c. p. 247, 48.

**) Lege: *veoir*.

***) Inserendum videtur *le*.

†) Repone: *fait*.

Sur la fine mer la ou lepan *) descend
Pour avoir paix avec ses suiuans et suppotz.
Amour, qui au gentil courage tost sapprent,
Print ung iour cestui cy de la belle persoune
Quon me ousta, et la guise encores men offent.
Amour, qui a nully ayme aimer pardonne,
Lors me prit de cestuy plaisir tant et si fort
Quainsi comme tu voys encor ne mabandonne.
Amour nous a conduys ensemble a vne mort.
Chayne attent celuy par qui fut auancee.
Ces motz deulx furent diz, dont ie fayz le rapport.
De puis lors quentendu ieuz celle ame offensee,
Je cliney le mien viz et en tant le tins bas
Que virgille me dit quesse quas a penser.
Quant ie luy respondi ie commencay: Helas,
Combien de doulx suppris et quants desir conduire
Ont faict ces deux amans a si doloreux pas!
Puis a eulx me tourney, et me prins lors a dire:
Francoyse, larmoyer me font tes desplaisirs
Et triste et piteux suis de veoir ton gref martyre.
Dy moy quant premier fut le temps de doulx soupirs
A quoy et comme amour octroya que cognoistre
Puissiez dentre voz deux les doubtables desirs?
Et elle a moy: nesung plus grant douleur peult estre
Que le temps bienheureux recorder en misere,
Et cela tresbien scait le tien docteur et maistre;
Mais si **) notre amour la racine premiere
Tu desires scauoir, hors la narration
Ten feray. Et plorant me dit en tel maniere:
Vng Jour pour passe temps et delectacion
Lisions de Lancelot comme amour vint lestraindre;
Seuls estions sans avoir de rien suspition.
Par maintes foys les yeulx de lun a lautre empaindre
Celle lecture fit et pallir nos deux viz,
Maiz vng seul point causa notre amour a lors joindre,

*) Corrige: *le Po.* At ne sic quidem versus integritati suae restitutus videtur. ortasse legendum: *Sur la fin de la mer.*

**) Desideratur in codice: *de.*

Quant nous vimmes a lire vng tant desire riz
Estre baise dun tel grand et noble amoureux,
Cestui qui ne sera iamaiz de moy diviz
La bouche me baisa tout tremblant paoureux.
Galeot en fut cause et cil qui lescripuit;
Ce iour ne leusmes plus au liure avantureux.
Pendent que vng des espritz ce narre poursuiuit,
Laultre plouroit moult fort, dont pitie ieñ prins telle
Que ie mesuanouy tellement quon me vit
Cheoir plat comme vng corps mort, quon mect dans la berell

Sed haec quidem hactenus. Unum, quod superest, lector, ut ratio tibi demonstretur, qua in postumo Piazzae opere, cui ultimam auctoris manum invidit mors, typis mandando actum sit, illud, quasi extra provinciam a me susceptam positum, humanissimo bibliopolae exponendum relinquo, cujus sumtibus immortale Alligherii carmen Romana toga amictum jam in publicum procedere vides. Vale igitur studiisque nostris favere perge.

Scr. Halis Magdeburgicis d. XVI. Januarii MDCCCXLVIII.

CAROLUS WITTE.

Quod jam superest, ratio quaedam paulo accuratior nobis reddenda videtur, quae qualisque sit interpretatio Latina Piazzae. Id necessario requiritur, partim ut lector, qua judicium suum exerceat, regulam habeat certam ac definitam, partim ne quis, quid ipsi, munere operis illius typis describendi et divulgandi suscepto, praestiterimus praestandaque putaverimus, dubius haereat.

Prae caeteris id probe tenendum atque expendendum esse censemus, divinum Dantis Allighierii carmen ab initio usque ad finem peragrare mundos et supernos et infernos, quorum Romani nullum jam invenerant Columbum, et divertere in regionibus, quarum neque oram neque extremitatem radio perticaque ullus genti Romanae jam descripserat Archimedes. Quapropter Piazza Divinam Comoediam in linguam veteris Latii transferendo et versibus heroicis Virgilianis conscribendo non solum ardui, verum etiam paene novi quid fecisse et in arenam Romae antiquae plane non cognitam descendisse omnino judicandus est.

Aliud profecto est, lectores vel auditores secum abripere in omnipotentis Olympi domum et introducere in Coelicolarum, quos Graeci et Romani colebant, coetum, quam expandere oculis animisque Empyrei Paradisique Christiani mysteria, qualia libri non sine afflatu divino scripti perhibent, et perlustrare ingentes Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum et Beatorum ordines. Quis infitiari potest, multo facilius ex-

peditiusque esse deducere in Orcum et recensere Tantalos Sisyphosque, quam delineare loca inferna coelo Christianorum opposita, et enumerare cruciatus tormentaque eorum, qui ob vitae morumque perversitatem morte aeterna damnati habentur? Quis non mavult cum Graecis vel Latinis describere Jovem tonantem, quam significare arte sua Numen illud Veteris Novique Testamenti *ἄῤῥητον, ἀΐδιον*, unum et trinum? Contra quis non ludibundus ex tenebris protrahet Ditem et in luce constituet Cerberum, cum dubitet, quin satis recte adumbret Satanam, criminatorem illum invidentem operibus Dei, et satis scite dicat spirituum malorum formas et ingenia? Quanto minor habetur, ut hoc addamus, viri docti contentio retegendi mythologiae commenta et exponendi de Stoicorum, Epicureorum caeterisque scholis philosophicis, quam expromendi theologiae Christianae dogmata et eruendi ex interioribus latebris recessibusque philosophiam, quam vocant, Scholasticam? Quid multa? aliud denique est stylo Romano exarare indolem saeculi cujuspiam ante Christum natum peracti, quam tractare materiam, magno temporis intervallo ab aurea Latinitatis aetate remotam, atque eam venis medullisque civitatis Christianae desumptam. Quantum in rebus, tantum in rerum formis mente conceptis sive in ideis inest discriminis, atque summam in utrisque mutationem et conversionem necessario linguam aliquantum sequi, non est quod pluribus demonstrari oporteat *).

Quae cum ita sint, alium viri docti deprehendent Virgi-

---

*) Cujus quidem reî testem se nobis offerre videtur ipse Dantes, qui interpretante Piazza (Parad. XXVI, 119 seqq.) Adamum introducit ita loquentem:

— — — Natura dat ipsa loquelam,
Quae sit cunque, homini; vestris vos viribus uti
Pro lubitu sinit. Ante Orco quam illaberer atro,
El inter vestros nomen sibi summus habebat
Tunc Amor, unde fluunt, quae me isthic gaudia cingunt.
Deinde *Eli* est dictus, quod vestrum haud dedecet usum,
Consimilem in ramo frondi: dum lapsa putrescit,
Altera succedit.

lium, Dantis Alligherii ducem comitemque, atque illum, *qui quondam cecinit pascua rura, duces,* et ad eundem poetam in novis, quas agit, partibus intelligendum aliis atque antea adminiculis uti debebunt. Verum ne quis forte deterreatur, quo minus hujus Virgilii Dantei sequatur vestigia, summopere cavit interpres noster Piazza. Is enim vir, studiis humanitatis ac literarum elegantium perpolitus, nihil omnino praetermisit, quod interpretationi Latinae suae virtutem dignitatemque vindicaret, qua ad optimorum carminum auctoritatem accedere videretur. Superavit sane illud Propertianum *in magnis voluisse sat est,* neque, ut Horatii verbis utamur, onus suscepit, quod humeri ferre recusarent.

Ne vero quis illis, quae supra de indole Divinae Comoediae aliud agentes diximus, in errorem aliquem inducatur, neu existimet, Dantem ipsum, quamvis tantus tamque praeclarus poeta sit, tanquam fide ὀρθοδοξοτάτῃ et Scholasticis argutiis subtilitatibusque initiatum atque imbutum, a nostrorum temporum moribus omnique nostra philosophandi et sentiendi ratione ullo modo abhorrere, neque quidquam cum caeteris nostrarum scholarum studiis et consiliis aut cum vero aevi, quo nos cum maxime vivimus, ingenio habere conjuncti cognatique, exempla aliqua luculentiora, et ea quidem ex ipsa theologia Dantea delibata, hic loci proponamus et simul, quanti sit pretii interpretatio Piazzae, quasi praelibandi caussa, speciminibus quam brevissimis doceamus et firmemus.

Liceat igitur hanc in rem ex Piazzae versione repetere insignem illum Paradisi (XIX, 65 seqq.) locum, qui in ipsa pietate Christiana divinum quendam et verae humanitatis et verae philosophiae odorem spirat et luce libertatis dulcissimae animos omnium recreat:

— — Quidam Gangetide in ora
Nascitur, atque illic nemo est, qui nomine Christum
Compellet, neque qui doceat scribatque legatque;
At recti huic mores, at nescia fallere vita,

Omnia facta pie, semper casta, aequa voluntas,
Quoad ratio humanae potuit pertingere mentis,
Non facti aut verbi maculavit crimine vitam:
Occidit, haud sacri ablutus baptismatis unda,
Absque fide; heu! ubi justitia est, quae damnet eundem?
Aut ubi culpa hujus, si nescit credere Christo?
Ecquis es, in cathedra qui vis considere judex,
Ut rem discutias positam ultra millia centum,
Vix aptus metiri oculo spatium unius ulnae? —

Quocum loco praeter sexcentos alios sententiis dicteriisque longe praestantissimos conferri meretur alter Parad. XXIX, **100** seqq. Ibi poeta eos, qui ipsius tempore in ecclesia catholica munere Apostolorum se fungi gloriabantur, ira quadam pia atque justa commotus inimicissimo dente carpit in eorumque perversam vel potius nefariam res divinas tractandi et populum Christianum turpissimis ignorantiae superstitionisque sordibus consulto et de industria obtegendi rationem vehementissime invehitur. Legimus enim l. c.:

Non dixit Christus primis, quos foedere junxit:
Ite et per totam nugas diffundite terram!
At dedit his verax fundamen; et illud in ore
Unum ejus sonuit, de quo sibi scutaque et hastas
Hi fecere sibi, luctati, accendere puram
Lucem Evangelii. Nostri scurrilia, lusus
Verborum, male salsa crepant; et dummodo abundent
Risus, inflatur (sola haec est cura) cucullus.
Ast in fasciola talis cubat ales, ut, ipsum
Si vulgus videat, gauderes cernere, qualem
Exspectet veniam, cujus fiducia crevit.
Ob quam stultitiae tantum grassatur in orbe,
Ut sine teste ullo cupiant quodcunque pacisci
Promissum. Atque ideo porcum pinguescere sancti
Vidimus Antoni, atque alios hoc de grege, porcis
Pejores, solitos non cusos pendere nummos.

Verum enimvero cum non id agamus, ut Dantem non suis modo, quos maximae temporum injuriae vexabant, aequa-

libus scripsisse, verum nobismet etiam posteris, quos tantae rerum tam civilium quam sacrarum turbae procellaeque exagitant, versus suos divinitus composuisse, uberius demonstremus, rivi jam claudendi sunt. Nae, perquam libenter longius progrederemur et in alium atque antea campum descenderemus, ubi praesens quaedam ad vitam communem Divinae Comoediae utilitas conspicua est, statusque societatis humanae civilis, qui dicitur, multiplici modo ita illustratur et expenditur, ut propemodum nostri ipsius temporis conditiones repraesentatae videantur. Quapropter, quod vehementer nobis cupimus licere, id solum instar exempli addamus, divinum poetam nostrum (Parad. XIII, 97 seq.):

— — — reges designasse per orbem
Tam multos, virtus regum quam rara bonorum est,

et dolere hominum, praesertim ditiorum et potentiorum, avaritiam et plebem tenuem pauperemque ad incitas redigendi studium (Purg. XIV, 80 seqq.):

— — O soboles humana, quid omnes
Intendis curas, inhians, quae jura vetandi
Poscunt, et quemvis consortem a finibus arcent!

et moerere miseriam pauperum et egenorum, qui jam clandestino quodam bello confici videantur (Parad. XVIII, 115 seqq.):

Mos fuerat quondam gladiis bellare cruentis,
Nostri bella gerunt rapiendo hinc inde dolosi
Panem, quem nulli patris pia dextera claudit.

Ut denique redeamus, unde digressi sumus, atque, de profanis ad sacra reversi, in extrema parte et conclusione consilii nostri non proferamus nisi dignissima divino poemate ac quasi coronam iis, quae excerpsimus, imponamus, audire libeat aliquam symboli cujusdam apostolici particulam (Parad. XXIV, 118 seqq.):

— — — Mihi creditur unicus, unus
Aeternusque Deus, qui totum haud motus Olympum

Ipse movet desiderio flammante et amore.
Nec solum fecere fidem, subjecta fideli
Quae mihi sunt oculo, vel quae scrutata profundum
Mens humana refert, sed veri lucidus imber,
Qui pluit hinc large, Mose fundente Prophetisque
Et Psalmis, Evangelio turbaque probante
Vestrorum (nam vos illum scripsistis ob ignem,
Qui vos inseruit Divis), certusque fateri
Sum tres personas aeternas, esseque eorum
Sic unum trinumque, ut et *es* patiatur, et *estis*
Conjunctim.

Talis, qualem his exemplis audimus et cognoscimus, in tanto poeta est Piazza interpres Latinus. Nihilo tamen minus, qui est hominum vituperandi pruritus, erunt, qui eum hic illic sibi minus satisfecisse conclament, qui hoc illove versu minus numerose sonante minusque apte cadente offendantur, qui hanc illamve verborum constructionem nimis obsoletam, inusitatam, placitisque grammaticorum minus convenientem in judicium vocent et damnent, qui adeo aliquid barbarismorum, qui dicuntur, sapere singula autument. Hi si bene circumspexerint et paulisper consideraverint, longe difficillimum esse et in verbis et in sententiis, quantumcunque fieri potest, poetae recentioris aevi in linguam Latinam transferendo servare fidem et eadem opera emendate eleganterque loqui; iidem, inquimus, si perpenderint et secum reputaverint, ipsos viros doctissimos linguaeque Latinae peritissimos, in pangendis potissimum carminibus, fere nunquam satis tutos esse, quin quid in sermonem purum atque emendatum peccent, eique inopinantes alieni quiddam et ipsorum linguae patriae proprii immisceant, non solum aliquantum de severitate animadversionis suae remittent, sed etiam intelligent, Piazzam perbene probavisse, ad res diversissimas traduci posse linguae Latinae ingenium; quid, quod admirabuntur, Professorem Vicentinum in via ardua et plena periculorum tam bene stetisse, tantis difficultatibus impeditum rem suam tam fortiter gessisse et gloriosam quandam victoriam reportasse.

Jam vero neque uberius laudare Piazzae virtutes multiplices neque copiosius excusare labeculas paucnlas nostrum esse ducimus. Id solum a nobis cum exspectari, tum postulari potest, ut cautionem quandam adhibeamus et interponamus, ne quis virorum doctorum, cum non undique omnia quam optime tornata, perfecta expletaque omnibus numeris et partibus viderit, totum opus abjiciat vel, quod justissimus quisque haberet injustissimum, abjiciendum judicet et suadeat.

Nos ipsi in libro manu scripto, priusquam typis describeretur, perraro aliquid mutare vel emendare ausi sumus, nisi quibus locis sine ulla arrogantiae nostrae suspicione et sine ulla auctoris offensione injuriave fieri potuit, aut ubi ab ipsis Piazzae amicis, qui tres quatuorve paginas adnotationibus suis completas in usum nostrum transmiserant, ansam corrigendi et addendi accepimus *).

Eo magis autem haec temperandi et abstinendi ratio tenenda et prope religionis loco nobis servanda fuit, quo majore diligentia et pietate familiares Piazzae in opere publici juris faciendo versatos esse animadvertimus. Placuit iis nimirum singulas libri manu scripti schedulas tribus virorum nobiliorum nominibus subscriptis signare, in calce carminis id firmandae *αὐϑεντίας* caussa factum esse verbis Italicis docere et, quod plus est, testimonio publica auctoritate exhibito et insignibus sigillisque magistratus Vicentini confirmato solemniter pronuntiare, apo-

---

*) Inprimis in eo nobis elaborandum fuit, ut versus nonnulli, haud dubie culpa scribarum, aut longiores aut breviores justum haberent pedum numerum et omnia regulis metricae prosodiaeque exacte responderent.

Addendi fere nulla occasio nobis obvenit, nisi Infern. XXXIII., ubi v. 151:

Perchè non siete voi del mondo spersi?

exciderat. Nos ita supplevimus:

Cur hinc justa Dei vos nondum sustulit ira?

graphum interpretationis Divinae Comoediae Latinae manibus nostris traditum accurate et presse respondere autographo auctoris ipsius heredibus relicto *).

Quid, quaesumus, hoc aliud est, nisi plurimis rationibus cavere et providere, ut omnia quasi augusta sanctaque habeantur, neve quid integritatis nativae colorisque ingeniti depereat? Non ii sumus, qui ejusmodi pietatem negligendam putemus.

Cum Piazzae nusquam, quo sensu locos quosdam difficiliores acceperit acceptosque voluerit, commentario commentariolove ostendere, neque usquam versibus suis notas notulasve adspergere placuerit, duas solas, quibus in toto opere obviam facti sumus, adnotatiunculas, ne quid elegantiam paginarum ty-

---

*) Ne, quid illi *Piazzae* familiares fecerint vel facienda putaverint, dissimulare videamur, neve ignorent lectores, exempla cantelarum illarum subjicere placet. In margine singularum schedarum libri manu scripti leguntur haec tria nomina:

D. Giovanni Rossi.
B. Giacomo Zanella.
D. Paolo Mistrorigo.

In calce libri manu scripti eadem notata videmus, quae exhibet instrumentum juridicum (ita vocare liceat), quod his verbis conceptum est:

Vicenza, li 13. tredici Febbrajo 1847 sette.

Certificano i sottoscritti che la copia della traduzione in lingua latina della Divina Comedia di Dante Alighieri fatta dal decesso Professore Abbe Gaetano Piazza, e da essi sottoscritti firmata foglio per foglio in data d'oggi, è pienamente conforme all' autografo di detto Prof. Piazza, e ciò dietro esatto confronto di essa copia col medesimo originale. In fede:

D. Giovanni Dr. Rossi, del fu Francesco Professore nel Seminario Vescovile di Vicenza.
B. Giacomo Zanella, di Adriano Professore di Filologia nel Seminario Vescovile di Vicenza.
D. Paolo Mistrorigo, di Girolamo Professore di Filologia e di Storia universale nell' J. R. Liceo di Vicenza.
Mazzoni Luigi, Testo.
Cesare Osboli, Testo.

Vicenza, li 13. tredici Febbrajo 1847 quarantasette.

Alla mia presenza, ed a quella dei testimonj Luigi Mazzoni, e Cesare Osboli si firmarono di proprio pugno e carattere li Sri. Professori Don Giovanni Dr. Rossi del fu Francesco, Don Giacomo Zanella di Adriano, Don Paolo Mistrorigo di Girolamo, tutti qui domiciliati, a me ed ai testimonj noti. In fede.

Clemente Carlo Dr. Barbieri fu Domenico notajo resid. in Vicenza.

pis descriptarum ultro turbaret, neve ipsa auctoris verba oculos cujusquam fugerent, huc relegari commodissimum aptissimumque putavimus.

Prior adnotatiuncula habetur Parad. II, v. 16., ubi in antecedentibus sermo est de Dante in corpus lunae ingresso,

Ut recipit lucem fluvialis gutta cohaerens,

et deinde de naturae divinae cum humana conjunctione, quam multo majore (*ardentiore*) admiratione habere dignam deceat:

— — — multo acrius esset
Ardendum nobis mirarier illius *esse*,
Qui sibi conjunxit naturam hominisque Deique.

Commentatus est Piazza usum infinitivi esse hocce modo: Esse pro *essentia* (quam ipsam quidem vocem Latium ignorare non ignoro) s. *natura*. Cfr. Lucret. IV, 99., ubi de speculis:

Esse in imaginibus missis consistere eorum.

Idem poeta habet meminisse pro *memoria* l. IV, v. 769:

Praeterea meminisse jacet languetque sopore etc.

Alteram adnotationum, de quibus supra diximus, adscriptam vidimus Parad. XVI, 84:

Et genere antiquo multos opibusque potentes.

Ibi de praetermissis in vertendo nonnullis nominibus propriis ita se excusat Piazza: Omisi hic et infra plura nomina male in Latino sonantia, ne taedium crearetur peregrina tanquam barbarica fastidientibus. Omissi sunt igitur Soldanieri, Ardinghi, Bostichi; paulo infra Sacchetti, Giuochi, Sifanti, Barucci, Calfucci, Arrigucci; item non multo post Caponsacco, Infangati. Nihil enim impedit, quo minus haec omnia absint.

Caeterum summo cum studio nobis praesto fuerunt operamque cum in plagulis a typotheta descriptis, priusquam prelo supposita prodirent, corrigendis, tum in omni editione Divi-

nae Comoediae Latinae ea, qua convenit, accuratione atque lautitia et constituenda et adornanda navarunt insignem duo viri Lipsienses, in primis eruditi bonarumque literarum peritissimi, Doctores philosophiae EDUARDUS BOENECKE, privatus Musarum cultor, et ROBERTUS GUILIELMUS FRITZSCHE, scholae Nicolaitanae Adjunctus I., quos, ne cui debitum honorem subtraxisse dici possimus, de novo hoc opere optime meritos esse, ingenue profitemur.

Jàm cum huc pervenerimus, ut nihil restet nisi vita Piazzae, quam scripsit Cl. Witte, ipsique, vicibus editoris quasi secundariis functi, omnibus officiis nostris satisfecisse videamur, hoc unum adjungere liceat, nobis praeter summam oblectationem et voluptatem, quam hujus operis cura attulit, non visum iri ullum jucundius operae praemium potuisse contingere, quam si studia haec plerisque omnibus probata divinae poesi et optimis literis fructum aliquem ferre intellexerimus.

Guil. Ambros. Barth.

CAJETANI DALLA PIAZZA

VITA.

Ubi Alpes Rhaetiae a Veneto mari plurimum recedunt, situm est Schium, locuples et industrium Galliae Transpadanae oppidum. Ibi saeculi praeterlapsi anno sexagesimo octavo, ultimo mensis Julii die, honestis parentibus natus est Cajetanus dalla Piazza. Primas didicit literas institutore Damiano dalla Piazza, docto pariter ac sancto sacerdote, cujus disciplina puerulum feliciorum studiorum cupiditate incendit. Deinde, divitis cujusdam municipis beneficio adjutus, inter Patavini, per totam Europam celeberrimi, Seminarii alumnos receptus, ducibus Costa, Chitesottio aliisque clarioribus ejus aevi magistris, insignem literis tam Graecis quam Latinis navavit operam. Auxit studii ardorem intima cum lectissimis aliquot condiscipulis consuetudo. Erant horum ex numero Savorinus, Clodianus postea episcopus, doctissimusque Melanus, jam Canonicus Patavinus studiique theologici in nobili illa Musarum sede director meritissimus, et Antonius Diedus, eques generosus: cum quibus omnibus amicitiae foedus mature contractum usque ad cineres sancte servavit Piazza. Hisce praesidiis in bonis artibus probe erudito Zagurius, venerandus Vicentinae dioeceseos praesul, literatae antiquitatis studium seminarii episcopalis auditores docendi provinciam felici delectu mandavit. Aliquanto enim post, jubente ferventissimo soli natalis amore, in patriam reversum gratus discipulorum animus obsequiumque perenne sunt prosequuti. Latius vero patuerunt inque dies prosperius cesserunt curae, quas Schii per longam annorum seriem, solis patriae utilitatibus inserviens, in juventutem instituendam bonisque moribus imbuendam toto

contulit animo. Tanto enim ardore, tanta dexteritate elegantes literas altioresque doctrinas tradidit alumnis, ab omni lucri cupiditate tam se exhibuit alienum, ut, quotquot habuerit, auditorum sibi conciliaret amorem: quorum grata memoria ne hodie quidem excidit insignis ejus in docendo evidentia, qua et abstrusiores disputationes ad omnium intellectum enodabat. Exquisitum ejus in literis judicium conformavit assidua lectio scriptorum apud Graecos et Romanos classicorum, in quorum societatem priscos etiam Italicarum literarum parentes vocandos esse censebat. A recentiorum auctorum studio semper fuit alienus, discipulosque ab eorum illecebris diligentissime prohibuit.

Interim vero adversi, qui familiam Piazzae afflixerunt, casus novum ingratumque curarum domesticarum ei imposuerunt onus, a quo fessum animum ut aliquatenus recrearet, arduum opus Pindarica carmina Italico metro reddendi jam fere quinquagenarius suscepit susceptumque intra duorum lustrorum spatia feliciter absolvit. In Olympicis, quae solae hactenus (typis Seminarii Patavini) lucem viderunt, gravitatem Pindaricam sublimemque vatis Thebani simplicitatem optime redditam esse, Italicosque versus non solum auctoris sententiam fideliter exhibere, sed et stropharum Graecarum majestatem proxime sequi, harum rerum periti unanimi judicaverunt consensu.

Jam senescens et post propinquorum obitum fere unus ex tota familia superstes, reluctante animo patria discessit, Vicentiamque contulit larem. Discedentem communi dolore et desiderio prosequuti sunt Schiani; Vicentini novum civem parato primorum optimorumque hospitio honorificentissime exceperunt.

Sexagenario major juvenili fervore Dantis divinum carmen in Latinos transferre versus molitus est, indefessus perseveravit in operoso labore, neque destitit inceptis, nisi operis vitaeque metam iisdem fere diebus consequutus. Hoc unum erat solamen incommodae senectutis, hi conatus praebebant materiam confabulationibus cum doctis amicis, in his praecipue versabantur ejus epistolae, si quas dabat. Unum quod supererat optatum, absolutum opus usui judicioque omnium committi, vivens non impetravit. Quum enim, particula aliqua operis typis Seminarii Patavini descripta eique per discipulos congratulandi caussa oblata, jam esset in eo, ut spe sua potiretur, gravi morbo oppressus consolationibusque fidei Christianae sustentatus anno hujus saeculi quadragesimo quarto aequo paratoque animo diem obiit supremum. Ut vero Divina Comoedia Latine facta (quam Leonardo comiti Tris-

sino, viro tam generis nobilitate quam eruditione et urbanitate clarissimo, sed jam praemortuo, sacram esse voluerat) in vulgus ederetur, cura commissa est fidei nepotis.

Fuit Piazza statura procerus, oculis vegetis acerrimisque, gravis omnibusque spectatus, facilis quidem ad conversationem atque facundus, sed ad vitam ab hominum commercio remotam proclivior. Propriae utilitatis immemor id unum agebat, ut amicis serviret, suaque opera alios juvaret. Summa vero integritas viri, rectum judicium et eloquentia ad persuadendum accommodatissima raro passa sunt, ut alienis negotiis suam frustra interponeret auctoritatem. Assiduus, quo literas dilexit, amor, operosorum, quae composuit, operum praestantia, sanctitas evangelica, quam, quum concionari interdum ei contingeret, e sacro suggestu auditoribus eloquenter commendabat, illibata vitae simplicitate probavit, viventi bonorum omnium conciliaverunt affectum et observantiam, defuncto memoriam et desiderium.

INFERNA.

I.

Vitae emensus iter medium nostrae in loca sensi
Luco obscura nigro delapsus; nam via recta
Exciderat mente. Heu! quam res est dura referre,
Qualis erat silva ista, carens cultu, aspera, densa,
Admonitu cujus renovat mens icta pavorem.
Tam mihi amara venit, paulo ut plus afforet ipse
Aspectus mortis; verum ut, quae plurima legi
Optima ibi, enarrem, quae vidi altissima, pangam.
  Dicere nescirem, qualis me huc intulit error,
Tanto ego victus eram somno, quo tempore veram
Deserui ipse viam. Sed postquam collis ad ima
Veni claudentis vallem, quae corda timore
Foderat, ad Superos attollens lumina, vidi
Jam terga istius radiis induta planetae,
Qui pede inoffenso callem docet ire per omnem.
Sic mihi tunc aliqua formido ex parte quievit,
In cordis durata lacu, qua nocte tot aegrum
Curae externarunt. Et ceu qui lassus anhelans
A pelago ad ripam evasit, vada plena pericli
Respicit, horrisonamque oculis obit Amphitriten:
Sic mea, quae fugiebat adhuc, mens versa retrorsum est,
Erratum relegens flexum, unde emergere nulli
Vivo unquam licuit. Postquam prolapsa labore
Membra instauravi, me per deserta viarum

Immisi rursus sic, ut pes firmior esset
Inferior semper. Tunc paene in limine primo
Ascensus, panthera levis rapidissima cursu
Ecce mihi occurrit, maculoso tegmine fulgens.
Et nunquam ante meos oculos discedere visa est,
Immo meum impediebat iter sic, ut pede verso
Saepe mihi gressus fuerit mens certa referre.
  Tempus erat, cum mane novo lux dissipat umbras,
Solque ascendebat stellis circumdatus illis,
Quas habuit secum, divi cum dextera amoris
Illa effingebat primum pulcherrima rerum;
Ut spe sat fausta suaderet temporis hora,
Anni et temperies dulcis, me posse potiri
Blandam pelle feram. At non sic, ut membra pavore
Haud mihi contremerent, violenti ubi saeva leonis
Inspecta est facies. Atque hic me tendere contra
Cervice elata, rabie stimulatus edendi,
Ut mihi sit visus trepidare atque infremere aër.
Et lupa cunctarum mihi visa cupidine rerum
Ire gravata, suis quamquam vix ossibus haerens,
Quae multas gentes vita jam afflixit amara.
Tam gravis ista mihi fuerat, tam odiosa timore,
Quem vidi ex oculis, totoque ex ore micantem,
Ut spe deciderem potiundi verticis alti.
Et qualis, qui quaerit opes cumulatque libenter,
Donec tempus adest, quod parta amittere cogit,
Tota anima infelix et mente et pectore toto
Fletque doletque simul: talem me bellua fecit
Irrequieta adversa ruens, jam jamque repulsum
Illuc detrudebat, ubi tacet aetherius Sol.
  At dum praecipitem me collis ad ima ferebam,
Occurrit quidam, cui longa silentia vocis,
Quas habuit quondam, vires fregisse putasses
Hunc simulac vidi vastae inter devia silvae,
O miserere mei, clamavi totus in illo,

Quisquis es, aut corpus mortale, aut corporis umbra.
Non corpus mortale, fui hoc jam olim, incipit ille,
Me citra Eridani ripam genuere parentes.
Ausonidum genus his, quos Mantua protulit ambos.
Caesare sub Phrygio, sed nondum principe, primas
Editus hausi auras. Romae dein vita peracta est
Sub miti imperio Augusti, quo tempore falsos
Mendacesque Deos hominum mens vana colebat.
Atque illum vates cecini, justissimus unus
Qui fuit Anchisa natus, qui regna petivit
Itala, ubi Trojae fastum consumpserat ignis.
At tu cur tantum vis rursus adire laborem?
Cur animus refugit jucundum scandere montem,
Qui caput et caussa est, cur omnia gaudia gliscant?
Huic ego confessus demissa fronte pudorem:
Tune es Virgilius, tune es fons ille sophiae,
Unde fluit flumen tantum? O mihi gloria vatum,
O splendor! Studium mihi longum prosit amorque
Magnus, quo impellente, tuum quaesisse volumen
Me fateor. Mihi tu es praeceptor, et auctor, et unus,
Unde stylum sumpsi pulchrum, quo est gloria parta.
Contemplare feram, qua propulsante refugi;
Hanc contra det opem, Sapiens, tua cognita virtus,
Nam facit ista mihi, ut venae pulsusque tremiscant.
Tunc ubi me vidit lacrimantem, haec edidit ille:
Longe diversum tibi oportet carpere callem,
Si vita incolumi vis saltu emergere ab isto;
Namque fera immanis, quam contra supplice clamas
Voce, obsidit iter, nec fert erumpere quemquam,
Tamque diu obsistit, quoad sternat corpora leto:
Atque ea naturae vis est violenta malignae,
Ut rabiem ventris nunquam satiarit, at acri
Post pastum ingluvie furiosius appetat escam.
Conjugio illa quidem sibi multa animalia jungit,
Plura etiam junget, donec canis irruat atque hanc

Angore absumat. Non isti terra, nec aeris
Massa alimenta dabit, verum sapientia, virtus
Atque amor. Idem intra fines, quos utraque signat
Feltria, nascetur, populum et ditione tenebit.
Illi humili Italiae, pro qua confossa Camilla
Nisusque Euryalusque et Turnus vulnere caesi
Procubuere, erit ille salus pestemque fugabit
Rura per et campos, donec sub tartara rursus
Miserit, unde prius dira haec infesta trahente
Invidia evulsa est. Quare res optima visa
Hortari, ut, quod monstrat iter mea forma, sequaris.
Dux ero, et aeternae loca per teterrima noctis
Hinc te diripiam: atque istic mugire videbis
Devotas animas, frustra sua damna dolentes,
Antiquasque umbras lugentum, ubi quisque secundam,
Horrendum frendens, compellat nomine mortem:
Atque alias simul aspicies flammam inter et ignem
Conflagrare sua contentas sorte, beatae,
Adveniente die, sperantes praemia gentis.
At si fert animus coetum conscendere ad istum,
Invenies animam meritis melioribus auctam,
Cui te committam nostras rediturus ad oras.
Namque ille excelsi magnus regnator Olympi
Me legi adversum et contra sua jussa rebellem
Urbe sua prohibet. Partes dominatur in omnes
Ille, sed hic regit imperiis; urbs illius hic stat,
Hic alta est sedes: O terque quaterque beatum,
Quem legit ille! — At ego: Per numen, te precor, istud,
Quod tu non nosti, vates, da evadere tale
Deteriusque malum. Mihi nec dux esse recusa,
Quo modo dixisti, sic ut Petri ostia cernam,
Et quos ipse facis tanto moerore dolentes.
Tum praeit hic, ego pone sequens vestigia servo.

II.

Inclinata dies cedebat, et umbrifer aër
Mole operum in terris animalia cuncta levabat:
Atque ego tantum unus veniebam, ferre paratus,
Quid via, quid pietas mihi belli triste cieret,
Quod mens aggreditur non errans pingere versu.
O Musae, o vis ingenii sublimis, adeste,
Nunc opus auxilio est. O mens, quae visa notasti,
Hic tua nobilitas, hic jam manifesta patescet.
Tum prior, o vates, dixi, o dux, quid mea possit
Virtus, explora, num sit par ipsa, priusquam
Tantum iter ingrediar, cui me committere tendis.
Tu narras, ut adhuc mortali corpore onustus
Ille parens Silvi saeclum immortale petivit,
Idque fuit sensu. Sed si tamen omnigenarum
Nequitiarum osor fuit indulgentior isti
Altum animo effectum meditans, qui exsurgeret inde,
Et quis vir qualisve foret prognatus ab ipso,
Haec homini sano res haud indigna videtur.
Namque almae Romae, imperium quae terminet astris,
Legerat hunc patrem domus omnipotentis Olympi,
Quae urbs, quae regna urbis fuerunt, ut vera loquamur,
Pro sancto stabilita loco, qua sede sederet
Majoris Petri successor. Propter eundem,
Quem numeris celebras, initum multa auribus hausit,
Unde illi est posthac victoria parta, simulque
Pontificale decus. Post multo se intulit illuc
Vas lectum, sancti repletum flaminis igne,
Vir, per quem illa Fides dux prima et vera salutis
In mediis curarum undis solamen haberet.
Ast ego cur veniam? Quis dat? Non Troius heros,
Non ego sum Paulus, neque ego hoc me munere dignum,
Nec quisquam credit. Quare si audacia certa est
Ire, nimis vereor, ne sit dementis; acuto

Tu vir es ingenio, et praevertis dicta loquentis.
Et qualis, qui post renuit, si qua ante volebat,
Propositisque novis permutat prima, retroque
Tota mente abiens absistit: sic ego in illo
Restiteram obscurus saltu, atque hic multa volutans
Consilia inceptu tam festinata reliqui.
Magnanimi tunc illa viri sic umbra locuta est:
Si bene te audivi, excordi mens laesa timore
Est tua, saepe hominem qui ludit imagine inani
Sic, ut honorato trepidum deflectat ab auso,
Ceu fallax cum visus equum formidine terret.
Hac animum ut solvas cura, nunc dicere aperte,
Quae sit caussa viae, incipiam, quaeque auribus ipse
Audierim, tua cum miserans discrimina novi.
Stabam suspensos inter, mulierque beata
Pulchraque me accivit verbis, talique ferebat
Se vultu, ut sponte hortarer sua promere jussa.
Fulgebant oculi majore ardentius astro,
Angelicoque suas clare dedit ore loquelas,
Suave sonans: O tu, quo gaudet Mantua mater
Corde, anima, humano, tu, cujus fama per omnes
Durat adhuc terras, perduratura, diurnas
Nocturnasque vices dum dividet orbita solis:
Quem mihi junxit amor, mea non fortuna, locorum
Deserta impediunt sic, ut formidine victus
Terga det. Ac timeo, ne hunc haud vitabilis error
Depulerit cursu, ac sero post temporis horam
Mota loco properem, auxilium latura labanti,
Ut modo ego audivi in coelo. Quare ocius illuc
Nunc perge, eloquioque tuo, quaque arte salutis
Huic poteris monstrare vias, hac utere, opemque
Affer, ut in tantis capiam solamina curis.
En, quae te mitto, sum isthuc delapsa Beatrix;
Ipsa loco exivi, quo est ardor ferre regressum:
Cor mihi movit amor, qui talia verba ministrat.

Coram rege meo, cum sit data copia, de te
Plurima saepe loquar laudans. — At ubi ora repressit,
Sic coepi: O mulier praestans, o unica, dixi,
Per quam progenies hominum supereminet omne,
Quidquid habet coelum, minimo quod vertitur axe,
Tam jucunda meis tua sunt jussa auribus, ut si
Ista exhausissem, tarde parere viderer;
Nec labor ulterius tibi sit aperire, quod optas.
Verum age dic, quare haud refugis descendere in istud
Centrum urbe ex ampla, quam tu ardes rursus inire.
   Respondit: Dicam breviter, cur absque timore
Huc intus veniam, rerum cognoscere caussas
Si tibi tantus amor. Solum sunt illa timenda,
Queis natura subest mala, visque parata nocere;
Caetera non, in eis quia nulla est caussa pavoris.
Gratia summa Deo, qui me tam pectore forti
Fecerit, ut nullo vestrorum angore malorum
Tangar, nec lacus hic flammarum laedere possit.
Stat super astra poli, ingenio veneranda benigno,
Femina, quae miserata vicem dolet indupediti,
Ad quem te mitto, Superum ut durissima frangat
Judicia; atque haec Luciam adit, sat multa rogando,
Atque ait: Ille tibi fidissimus indigus errat
Nunc opis auxiliique tui, quem supplice voce
En tibi commendo. At tristis, genus omne perosa
Lucia saevitiae, mota est, atque intima venit
In loca, ubi antiquae Rachaeli juncta sedebam,
Et sic est affata: Dei laus vera, Beatrix,
Cur non ipsa juvas tanto hunc tibi amore propinquum,
Nobilis ut per te incedat vulgaria spernens?
Non te hominis miseret sua tristia fata dolentis?
Nonne vides medio luctantem in turbine mortis
Juxta amnem Oceani spernentem jura superba?
Nemo unquam sua lucra sequi, aut vitare paratus
Sic fuit in terris manifesti incommoda damni,

Sicut ego, has postquam percepi pectore voces.
Atque huc descendi, coelesti sede relicta,
Eloquio confisa tuo, quo splendida fama
Parta tibi atque his, qui cupide tua dicta biberunt.
Haec ubi fata fuit, lacrimans fulgentia vertit
Lumina, ut incensus studio properantius irem,
Teque, jubente illa, petii docuique cruentam
Declinare feram, jucundi quae breve montis
Contendebat iter tibi. Quae ergo caussa morandi?
Quid stas? cur tantum servas sub corde timorem?
Quo tibi nunc animus, quo nunc vis libera cessit?
Cum tres hoc splendore pares meritisque beatae
Matronae tibi prospiciant ex aethere summo?
Cum tibi promittant tantum mea dicta bonorum?
Ceu flos, qui gelido per noctem humore gravatum
Demisit caput occlusus, ubi candidus illum
Sol pingit jubare, erigitur totusque patescit:
Sic ego convalui, virtus ubi lassa refecta est,
Atque ea tunc animum tenuit fiducia nostrum,
Liber ut has traherem pacato corde loquelas:
O pia, quae auxilio mihi venit, tuque, benigne
Minciade, qui haud indocilis parere fuisti,
Tecum veridico simul haec est ore locuta:
Tu desiderio veniendi pectora tanto
Nostra cies fando haec, ut prima incepta reposcam.
Nunc perge, amborum namque una et certa voluntas;
Tu dux, tu dominus, tu doctor. Sic ego dixi,
Utque ille incessit, silvestria et alta petivi.

III.

Per me externatam moeroribus itur in urbem;
Per me itur dolitura aeternum in regna dolorem;
Per me itur deploratae inter saecula gentis.
Justa ira artificem supremum moverat, unde

Principium mihi. Me fecit divina potestas,
Et sapientia summa, et primi flamen amoris.
Nulla prior me res, praeterquam aeterna, creata est,
Aeternumque mihi est status immutabilis. Omnem,
O vos, qui intratis, spem ponite. Talia nigris
Vidi scripta notis, quas janua fronte gerebat.
Quare ego: Praeceptor, visus mihi durior horum
Est sensus, dixi; ast ille, ut vir mente sagaci,
Hic ait, est opus ancipitis genus omne timoris
Subjecisse tuis pedibus. Devenimus illas,
Quas dixi, sedes, ubi erit spectare dolentes,
Queis animae et cordis summa est amissa voluptas.
Sic ille, implicuitque manum, vultuque sereno
Solatus comitem penetralia ad abdita duxit.
Hic flentum gemitus audivi, pectore ab imo
Singultus ducti resonare per aëra coecum
A stellis, fluerem ut lacrimis in limine primo.
Multiplices linguae, horribili stridore loquelae,
Luctifici questus, ululatus ore frementum,
Voces altisonae, at fractae, mistaeque fragore
Pectora plangentum palmarum murmure circum
Assiduo aëra pulsabant sine tempore nigrum,
Ut spirante solent agitatae turbine arenae.
Ast ego, cui caput erroris caligine stabat
Cinctum, quaesivi: Quidnam hoc, quod verberat aures?
Quidve hic est gentis, quae tanto victa videtur
Moerorum fluctu? Tunc ille: Miserrima fata
Ista manent animas nequam, quae pectore inerti
Opprobrio expertem atque expertem laude trahebant
In terris vitam. Aligerum sunt agmine pravo
Immixtae, a summo quae haud descivere tonante,
Non satis huic fidae, at pro se. Has dejecit Olympus,
Propter eas ne pulchra minus coeli aula maneret;
Non illas Orci claustra accepere profunda,
Ne qua malae ex ipsis manaret gloria turbae.

Atque ego: Praeceptor, quid tam grave cogit amaras
Hos ire in lacrimas, tamque altos edere fletus?
Ille: Brevi dicam. Haud spes his se posse dolorem
Per mortem finire datur, tenebrosaque vita
Horum adeo abjecta est vilisque, ut cuilibet ipsi
Alterius sorti invideant. Non nomina mundus
His superesse sinit, non hos clementia, non hos
Justitia indignans curat. Me mitte negantem
Plura loqui super his, sed raptim prospice et ultra
Fer gressus. Oculis lustranti currere signum
Visum est, tamque cito converti, ut nulla quietem
Caussa videretur suasisse. Exercitus ingens
Pone sequebatur tam densus, tam ordine longo,
Ut vix millia tot mortem absumpsisse putassem.
Noscenti quosdam speculantique illius umbra,
Grande ministerium qui detrectaverat excors,
Objecta est. Subito patuit, manifestaque visa
Res fuit, illorum hoc hominum genus esse probrosum,
Quorum est pertaesum Superis atque hostibus horum.
Haec misera, haud ullo quae unquam gens tempore vixit,
Nuda erat et valde praegrandibus exstimulata
Muscis, vesparumque acubus, queis carcer abundat.
Illae signabant his ora cruore cadente
Ante pedes, mistum lacrimis quem examine denso
Infesti vermes, foedissima turba, legebant.
Cumque ultra aspicerem, magni prope fluminis undam
In ripa stantis vidi multa agmina vulgi.
Quare ego: Praeceptor, nunc id concede roganti,
Ut discam, qui sint, quae lex, quive efficit usus,
Ut sese ostendant tam avidos transmittere cursum,
Quoad mihi per tenuem datur internoscere lucem?
Omnia cognosces, dabitur cum sistere gressum,
Dixit, coenosi tristes Acherontis ad oras.
Tunc ego, luminibus demissis, ora pudore
Suffudi, metuens ne hunc ulteriora gravarent,

Et nigri ad usque amnis ripam ora silentia pressi.
Atque ecce antiquo nos contra tendere canus
Crine Senex vectus cymba, et procul increpitare:
Vae vobis, animae pravae. Spem ponite, coelum
Visuras vos esse unquam. En ducturus ad oram
Oppositam venio atque aeternae noctis ad umbras,
Aestum inter glaciemque. Et tu, quae vesceris aura,
O anima, abscede hinc atque istos morte peremptos
Desere. At ut vidit me stantem, talibus infit:
Ire vias alias, alios tibi quaerere portus
Est opus, ut ripam tangas; hinc ire facultas
Nulla datur; levior pinus te vectet oportet.
Cui dux pauca: Charon, ne saevi. Nam illa potestas
Vult ita, cui facere est, quod vult, et plura rogare
Desine. Lanosas liventis navita stagni,
Talibus auditis, jussit requiescere malas,
Cui circumfusis ardebant lumina flammis.
Tum vero illae animae lassae nudaeque colores
Mutavere suos, ac dentibus infremuere,
Haec simulac feriere aures crudelia dicta.
Atque Deo pariterque suis maledicere et omni
Humano generi, tempusque locumque suosque
Detestari ortus et semen seminis, unde
Ipsis vita fuit. Deinde omnes agmine junctae
Venere ad tristem magnis ululatibus oram,
Quae scelerata manet, spernentia pectora numen.
His oculo flammante Charon nigri arbiter amnis
Innuit, atque animas examen cogit in unum;
Si qua stetit cessans, hanc remi verbere pulsat.
Ac veluti frondes autumni frigore primo
Juxta alias aliae propria gravitate feruntur
Decussae, donec telluri reddidit omnes
Divitias spoliata arbor: sic semen Adami
Perversum; ex ripa ruit una atque altera, et una
Post aliam ad nutum, ut revocantum ad signa volucres.

Atque ita conscendunt stagni vada livida, et ante
Quam primae egressae glauca exponantur in alga,
Hinc ex opposita rursus nova copia parte
Contrahitur. Mihi tum ductor comisque magister:
Fili, si qua inimica Deo haud placaverit iram
Illius, intereaque ipsam mors occupet, una-
Quaeque anima ex omni terrarum huc convenit ora,
Et properat transire amnis vada lenta, premente
Ultore, ut desiderii huic timor induat alas.
Nulla anima hinc transit sceleris pura, integra vitae;
Quare si qua tibi est audita querela Charontis,
Per te scire potes, hujus quid verba sonarent.
   Haec ubi dicta dedit, nigra caligine tincta
Tam graviter tremuit regio, ut perculsa timore
Mens sudore riget revocanti talia vultum.
Ventosum efflavit tellus lacrimosa fragorem,
Atque coruscavit rubicundo lumine fulgur,
Quo sensus omnis mihi copia victa recessit,
Procubuique viro par, cui sopor occupat artus.

IV.

   Altum terrifico tonitrus mihi murmure somnum
In capite abrupit, commoto, ut quem excitat ictu
Vis improviso, cessataque lumina circum
Stans movi, intentaque acie omnia collustravi,
Quae loca me acciperent, vestigans. Vera fatebor.
   Tartareae vallis me tristis ripa tenebat,
Horrendum resonans ululatibus infinitis.
Tetra, alta ac densa nebularum obsessa caterva
Sic erat, ut, quamvis defixum immittere visum
Viscera in ima loci conarer, nulla facultas
Cernere mi dederit quidquam. Tum talia toto
Vultu pallescens coepit mihi dicere vates:
Hic nos obscuri in coecum descendimus antrum.

Incedam primus, mihi tu comes ito secundus.
Atque ego, mutati qui legi signa coloris,
Dixi: Qui veniam, si tu formidine palles,
Tu dux, tu hortator dubitanti? Talia contra
Ille mihi: Istorum hac extrema in parte jacentum
Angor sic illam pietatem pingit in ore,
Quam tu pro metu habes. Pergamus, nam via longa
Cogit. Ita immisit sese et me prima subire
Claustra orbis jussit, barathro qui cingitur illo.
Quantum illic audire fuit, pro murmure flentum
Nescio quid gemebundi inerat, quo aeterna sonabat
Aura tremens. Hoc cura ciet cruciatibus expers
Cordi haerens turbae, quae multa et nomine clara
Infantumque aderat matronarumque virumque.
At mihi praeceptor: Tu nondum nosse laboras
Umbrarum genus hoc, quas est spectare facultas?
Ante volo discas, quam tendas gressibus ultra,
Has esse immunes culpae. Quod si qua merentes
Evexit virtus, non sat fecisse putanda est;
Namque isti haud fuerunt sacro de fonte renati,
Per quem porta patet Fidei, quam pectore servas.
Quod si praecessere aevo, quod foedere Christi
Relligio sanxit, nondum coluere supremum,
Ut decuit, numen, quos inter versor et ipse.
Has propter maculas, ullo sine crimine vitae,
Hic plebs deplorata sumus, nulloque dolore
Laesa, nisi optatis quod tandem posse potiri
Nos spes nulla manet. — Cum talia verba loquentem
Audivi, ingens pervasit dolor intima cordis:
Namque ego praestantes fama, et virtutibus altis
Novi homines ora suspensos degere in illa.
Dic mihi, praeceptor, rerum tutela mearum,
Tunc coepi, si quem tulerit sincera voluntas,
Nosse Fidem, genus erroris qua vincitur omne,
Numquid fas isti fuit evasisse vel ullo

Ipsius alteriusve hominis merito, inque beatis
Postea conciliis sedit? — Tunc ille, loquelam
Obscuram ut sensit, placido sic ore profatur:
Incola adhuc novus hic aderam, cum intrare potentem
Aspexi quemdam gestantem signa triumphi.
Hinc umbram primi is traxit genitoris, et Abel
Isto prognatum, dein cum Lamechide Mosem,
Et populo dare jura suo et parere paratum;
Abrahamumque patrem, et Davidem sceptra gerentem;
Israel, illiusque patrem, natosque Rachelemque
Uxorem, pro qua longos tulit ille labores;
Atque alios numero multos, fecitque beatos.
Nec non id moneo te, aeternam evadere mortem
Nulli unquam ante illos licuisse, fruique salute.
Nec tamen ire pedes cessabant, fante poeta,
Et Silvam ingredimur, Silvam tot millibus, inquam,
Umbris confertam. Hinc a summo culmine ripae
Non tam aberat gressus, cum vidi albescere flammam,
Quae coeci valuit semiorbis vincere noctem.
Nec tantum intererat spatii, ut non discere possem,
Saltem ex parte aliqua, gentem, quae possidet illas
Sedes, conspicuis clarescere honoribus auctam.
O tu, unde omnigenis doctrinis venit honestas,
Artibus omne decus, quaenam haec gens splendida tanta
Nobilitate, aliis cui fas praestare fruique
Conditione alia? — Tum sic ille ora resolvit:
Grande horum nomen, quod vestrum personat orbem,
Efficit, ut Superi hos tali dignentur honore.
Interea subito unanimis mihi fertur ad aures
Vox ea: In obsequium summo consurgite vati,
Illius umbra redit, quae se his subduxerat oris.
Ut vox conticuit, vidi tunc tendere contra
Quattuor aspectuque et forma corporis umbras
Augustas, illis nec erat frons laeta, nec ulla
Tristitiae signata nota. At dux optimus inquit:

Ille, viden'? illo ense insignis, qui tribus anteit,
Incedens ut rex, Epicorum maximus ille est
MAEONIDES; FLACCUS satyrarum conditor alter,
Tertius it NASO, LUCANUS pone propinquat.
Nomine quisque uno nam mecum convenit una,
Quod vox concrepuit; certant mihi solvere honorem
Invidia vacui, et laudem pro laude reportant.
  Sic ego praeclarum vidi concurrere coetum,
Quem docuit princeps divini carminis ille,
Supra quemque volans, veluti Jovis armiger ales.
Atque ubi multa simul tenui dixere susurro,
Me circumfusi nutu salvere jubebant.
Gratus ad haec illis subrisit signa magister.
Plus quoque me ornarunt, dignati includere eodem
Me numero, ut sextus tantis cum vatibus irem.
Atque ita progressi, lampas qua lucida monstrat,
Plura loquebamur, quae nunc reticere decorum est,
Non secus atque ubi tunc aderam sermonibus uti.
  Nobilis ad turris radices venimus imas,
Quae septemgemino stabat circumdata muro
Alte assurgente. Hunc ambit pellucidus amnis,
Accessu prohibens. Ausis transmittere cursum
Unda viam stravit, duro ut terra arida tergo,
Hisque sophis mistus septena per ostia gressum
Intuleram, et multis in prata recentia rivis
Devenisse fuit. — Tarde graviterque tuenti
Gens oculo hic aderat, quae magnam se ore ferebat,
Raros suaviloqua sermones voce locuta.
Exstantem cepi secessum in parte reducta,
Campus ubi immisso prospectum lumine apertum
Praebet, ut adversos legerem cunctosque notarem.
  Hic mihi, dum arrectus viridanti in gramine stabam,
Magnae sunt animae ostensae, quas semper habere
Ante oculos mihi erit justissima caussa triumphi.
Vidi ire ELECTRAM, magna comitante caterva,

HECTORA quos inter novi ANCHISAque creatum,
CAESAREM et armatum, suffusum vulturis instar
Igne oculos. METABI natam cum PENTHESILEA
In parte opposita vidi, solioque LATINUM
Regem insidentem; lateri LAVINIA adhaeret.
Vidi illum BRUTUM, qui depulit urbe Superbum;
Non oculis sese LUCRETIA, JULIA nostris,
MARTIAve abscondunt; praesens CORNELIA. Solum
Vidi seposita SALADINUM in parte sedentem.
Altius attollens oculos considere vidi
Philosophos inter, qui cunctos maximus auctor
Imbuit edocuitque sophos, qui scire putantur.
Hunc et suspiciunt omnes et laudibus omnes
Hunc onerant magnis; sed SOCRATEM itemque PLATONEM
Ante alios istum propius consistere vidi.
DEMOCRITUM, casu qui vult excistere mundum,
DIOGENEMque et ANAXAGORAM vidique THALETEM,
EMPEDOCLEM atque HERACLITUM, ZENONIS et umbram,
Atque DIOSCORIDEM, quo non praestantior alter.
Inspicere in rerum naturas. ORPHEA vidi
Et MARCUM, vatemque LINUM, SENECAMque magistrum
Morum; tum terrae numeroque carentis arenae
Mensorem EUCLIDEM, PTOLEMAEUMque, HIPPOCRATEMque.
Non AVICENNAE, non defuit umbra GALENI,
Non AVERROIS magno conamine functi.

Haud ego cunctorum percurrere nomina possem,
Namque operis longi series sic urget, ut acta
Saepe minus valeam multis comprendere verbis.

Hic sextum in geminas partes se dividit agmen,
Atque aliud per iter sapiens me ductor agebat,
Extra sepositae tranquilla silentia silvae,
In loca, ubi aura tremit, regionem luce carentem.

V.

Sic orbe ex primo descendimus, inque secundum
Venimus, ampla minus loca complexum, atque doloris
Plus tanto, afflictas animas cogentis acute
More canum ingemere. Hic Minos stat, et horridus ore
Ringitur; hic culpas venientum discit, eosque
Judicat, et prensos mittit, prout ipse revinxit.
Nam male nata anima ut coram stetit, ipsa fatetur
Omne genus vitae. Tunc is, qui crimina novit,
Quae loca tartareis sit digna habitare sub antris
Inspicit, ac toties sese glomeramine caudae
Cingit, quot gradibus demersam degere jussit.
Semper circumstant hunc multae adeuntque vicissim
Judicium, caussas orant, sententia coram
Auditur; tum praecipites sub Tartara aguntur.
O tu, qui hospitium lugentum intrare laboras,
(His, ubi me vidit, verbis est Gnossius usus,
Grande ministerium abrumpens) cave, et aspice, quali
Fretus ope huc venias, aditus nec te ampla profundi
Ostia decipiant. — Dux contra talibus infit:
Quid tandem inclamas? Fatali desine, Minos,
Velle istum prohibere via; namque illa potestas
Vult ita, cui facere est quod vult, et mitte rogare
Ulteriora. Modo auditu miserabile carmen
Incipit, inque locum modo veni, ubi plurimus aures
Percellit plangor. Stant omni a lumine mutae,
Quas sumus ingressi, valles mugitibus ictae,
Ceu mare turbatum, simul in contraria versi
Bacchantur venti. Qui miscet Tartara, turbo
Tempore nunquam ullo consistit agitque rapina
Correptas animas, torquetque icitque molestus.
Ut ventum ante oras altae immanisque ruinae est,
Hic stridor, fletusque simul tristisque querela;
Hic exsecrari terrae coelique potentem.

Tum didici, hic cruciari animas, quas dira cupido
Imperio turpi rationem subdere suasit.
Ac veluti propriae brumali tempore pennae
In gyrum lato glomeratos agmine sturnos,
Sic animas pravas agitatae spiritus aurae
Hac illac abigit, volvens sursum atque deorsum:
Nunquam solatur lassas spes ulla quietis,
Nedum poenarum minus acri angore prementum.
Utque grues dare signa solent, et lugubre carmen
Edere voce sua, dum tranant aethera longos
Signantes tractus: tum sic accedere vidi
Clamores tristes imo de corde trahentes,
Viribus abreptas dicti mihi turbinis umbras.

Quare ego tum dixi: Quaenam gens ista, magister,
Quam tanto exagitat caligans aura labore?
Quae prior ante alios, quos tu dignoscere gestis,
Evolat, haec multas gentes atque usa loquelis
Multis regna habuit. Tam praeceps ista nefandam
In Venerem ruit, ut, quidquid lubet, omne licere
Jusserit, id sperans, inquit, sibi demere lege
Hac posse opprobrium: quo est tacta, SEMIRAMIS illi
Nomen inest, et successisse NINO, atque fuisse
Dicitur huic conjux, terram dominataque in illam,
Quae nunc ODRYSIO servit subjecta tyranno.
Haec est, quae egit amans sua per praecordia ferrum.
Unde est prima fides cineri violata SICHAEI.
Dein CLEOPATRA venit, meretrix regina Canopi.
Vidi HELENAM, per quam tot tristia tempora coelum
Verterat, et magnum prospexi incedere ACHILLEM,
Cui tandem persuasit amor decernere dextra.
Conspexi PARIDEM et TRISTANUM; millia plura
Umbrarum ostendit, digitoque et nomine multas
Signavit, quas dirus amor demerserat Orco.
Ut veterum audivi matrumque virumque loquentem
Nomina doctorem, pietas me vicit et omnis

Me quasi destituit sensus. — Tandem ora resolvens
Sic coepi: O vates, ferret me grata cupido
Compellare illos, mihi qui duo passibus aequis
Ire una, atque leves adeo ad ventum esse videntur.
Isque mihi: Cum aderunt propius, spectabis, et ipso
Temporis in puncto per amorem, qui movet illos,
Orabis. Venient ad nos, simul impetus aurae
Flectet eos. Movi vocem: O mala dura ferentes,
Adventate, animae, et nisi vis adversa negabit,
Ne pigeat missas audire ac reddere voces.
Ut, desiderio si quando vocante, columbae
Aëra findentes dulci illabuntur apertis
Immotisque alis nido: sic sponte ruebant
Ad nos illae animae, digressae ex agmine Elisae,
Aëra per dirum suffusum horrore maligno;
Flexanima usque adeo valuit vox cum prece blanda.
O animans comis, dicunt, et mente benigna,
Aëra per fuscum qui nos visurus adisti,
Purpureo vestrum qui sanguine tinximus orbem;
Si rex, imperio dominatus in omnia, amice
Annueret nobis, hunc pro te poscere pacem
Nobis cura foret; quoniam miseraris amaram
Amborum sortem. Si quid te audire juvabit,
Si qua loqui fert mens, edissere; dum aura silescit,
Ut facit, haud te audire et respondere pigebit.
Quae me progenuit tellus, maris insidet orae,
Quo cupiens fluvios componere pace sequaces,
Eridanus se immittit. Amor tenero ilicet haerens
Cordi, hunc sat pulchrae devinxit imagine formae,
Quae mihi sublata est, et me modus ipse nocendi
Nunc quoque laedit. Amor, qui nulli parcit amato
Igne carere, animum tanta dulcedine cepit,
Isti quod placeam, haec ut adhuc non linquat amantem,
Ipse ut cernis. Amor nos funus duxit ad unum;
At Caina manet, qui lumen ademit utrique.

Haec animae. Utque illas audivi dicere laesas,
Demisi vultum, et tenui tam lumina terrae
Fixa diu, dum inquit vates: Quid mente revolvis?
  Huic ego, ubi potui, contra: Heu! quot dulcia sensa,
Quot desiderii fluctus duxere dolorum
In tantum has barathrum! Tandem conversus ad ipsas
Os solvi, coepique: Tui, FRANCISCA, dolores
Me tristem atque pium faciunt, et fundere largos
Compellunt fletus. Sed dic: Quo tempore dulcis
Expressit tacito suspiria pectore cura,
Tunc amor unde dedit, et quomodo noscere vota
Cordis in ambiguo trepidantis? At illa: Doloris
Vis nulla est major, quam, mole premente malorum,
Commemorare dies olim feliciter actos,
Idque tuus doctor non ignorare videtur.
At si tanta tuo primam cognoscere amoris
Radicem nostri sedit sub corde cupido,
Id more efficiam flentis, pariterque loquentis.
Forte legebamus, curantes solvere mentem,
Ut LANCELLOTUM violentia vinxit amoris:
Soli securique metus stabamus. Utrumque
Ille liber lectus persaepe attollere adegit
Lumina in alterius vultum, mutatque colorem;
At subito punctum nos vicit temporis unum.
Nam simul optati ridentia legimus oris
Labra virum tantum labro pressisse tenaci
Oscula figentem, hic, quem a me nemo abstrahet unquam,
Oscula corripuit, nostroque pependit ab ore
Usque tremens. Fuit ille liber GALEOTUS, et ipse
Scriptor. Post illam ulterius non legimus horam.
Altera tum dabat has voces umbra, altera flebat.
Mi pietas motu concussit pectora tanto,
Ut, quasi jam morerer, virtus vitalis abiret,
Et cecidi, ut corpus vitae procumbit inane.

VI.

Ut mihi mens rediit, quae sese obstruxerat ante
Cognatorum umbras geminas, quia plurima sensus
Tristitia pietas mihi perturbaverat omnes;
En nova poenarum facies, nova forma luentum
Poenas, quocumque incessum, quocumque studerem
Vertere me, quocumque oculorum lumina ferre.
Devenioque locos, ubi saevit tertius orbis
Vi pluviae aeterna, sacra, gelidaque gravique,
Cui modus usque suus, novitas cui nulla. Ruebat
Agmen aquae tinctae, et solida nix grandine mista
Aëra per densum nigra formidine coecum.
Exhalat saevam tellus imbuta mephitin.
Bellua crudelis diversaque, Cerberus, ore
Tergemino latrat furibundi more molossi,
Damnatis instans, quos mergit vasta vorago.
Sanguinei huic oculi, stat barba huic uncta, colore
Foeda atro, venter latus, manus hispida, adunco
Ungue umbras lacerat, glubensque in frusta resolvit.
Has imber cogit questu exululare canino:
Nunc lateris laevi defendunt objice dextrum,
Nunc dextri laevum. Volvunt sic se usque profani.
Nos ubi prospexit magnus draco Cerberus, ora
Pandit, et ostendit stantes denso agmine dentes.
Nullum quod sineret membrum consistere, habebat.
Tum dux extendit palmas terramque prehendit,
Et manibus plenis inhiantis misit in ora.
Utque canis, quem dira fames latrare coegit,
Dum mordet pastum correptum dente, quiescit,
Id tantum spectans pugnansque, ut devoret escam:
Lurida sic monstro est facies mutata trifauci
Obtundenti animas ita, ut obsurdescere malint.
Imbre gravi domitas nos praeterlabimur umbras,
Et vanas hominis vivi sub imagine formas

Calcamus. Stabant hic omnes undique stratae,
Tantum una excepta, quae mox se arrexerat atque,
Ut nos intrantes vidit, se in sede locavit.
  Tu, qui per valles Plutonis duceris istas,
Me internosce, inquit, si scis. Tibi vita, priusquam
Me mors destrueret, superas fuit edita in oras.
Huic ego respondi: Qui te sic conficit angor,
Sic a mente mihi te forte abducit, ut unquam
Haud te oculis videar vidisse. At fare vicissim,
Qui sis, tantorum qui in tristia lustra malorum
Missus es, ac jussus tam diram pendere poenam,
Ut, si quid majus, nil sit odiosius ista?
Atque haec conversus contra, Me floridus ARNUS,
Ille refert, genuit tuaque urbs repleta veneno
Invidiae tanto, ut superans pleno effluat alveo,
Me tenuit secum, dum arrisit vita serena.
Vos appellastis cives me nomine PORCUM,
Quod dederat damnosa gulae mihi culpa; sub imbre
Frangor, ut ipse vides. Sed non ego solus in isto
Supplicio, at similem ob noxam mugire videbis
Hos omnes. Sic is, non ultra. Ego talibus illum
Aggredior: Dolor iste tuus me ita praegravat, ut me
Lugere hortetur. Sed dic, si est scire potestas:
Quo cives urbis studia in contraria scissae
Devenient? Num quis justus? Da discere caussam,
Cur hanc dissidio invasit discordia tanto.
  Is mihi: Defuncti longo certamine ad arma
Concurrent, caedemque, et pars silvatica partem
Adversam male mulcatam compellet abire.
Ante sed occiduus quam trinum expleverit orbem
Sol, opus est, ut et ipsa cadat, pars altera praestet
Unius auxilio, qui nunc se fingit amicum;
Attolletque diu frontes, et pondere duro
Victricem premet, haec quamquam indoleatque frematque.
Justi sunt bini, at nemo est, qui commodet aures

Istorum monitis. Fastus, livorque, sitisque
Auri scintillae sunt tres, quae corda perurunt.
Hic interrupit lacrimabile carmen. Ego illi:
Id quoque me doceas, cupio, et ne discere aventi
Ulteriora neges. Tejajius et Farinata,
Illi ita praestantes meritis, et Rusticulorum
Progenies Jacob, Henricus, Musca, cohorsque
Caetera, tam ardentes bene per benefacta mereri,
Dic, ubi sunt? Horum fac des mihi noscere vultus;
Namque ingens animum mihi stringit scire cupido,
Utrum illos coelum beet, an styx atra venenet.
Isque: Animas inter mage nigras. Nec genus unum
Noxarum, at varium sontes dejecit in ima.
Hos tu, si inferiora queas penetrare, videbis.
At tibi cum dabitur dulces evadere ad auras,
Fac jubeas, quaeso, nostri meminisse sodales;
Nullum ultra verbum tibi, nec responsa remitto.
Tum rectos oculorum orbes distorsit acerbe,
Me inspexit paullum atque exin caput inclinavit,
Atque simul cecidit reliquorum examine mistus
Coecorum. — Tunc Minciades mihi talia ductor:
Non huic praeterea secedet pectore somnus,
Ante tuba angelico quam personet omnia signo,
Tempore quo adveniet pravis inimica potestas.
Exin quisque suum inveniet sibi triste sepulchrum,
Induet atque sibi carnem propriamque figuram;
Quae semel intonuit sententia, tundet et aures
Aeternum. — Sic tardigradi loca per nigra, mista
Colluvie umbrarum et pluviae, processimus ultra,
Tangentes vitam, haud longo sermone, futuram.
Hic ego: Praeceptor, dixi, anne haec ipsa tenore
Supplicia augescent aliquo post magna Tonantis
Judicia aeterni? Numquid mitescere poenae
Incipient forte, an miseros sic acriter urent?
Ille mihi: Quae olim didicisti, mente revolve;

Singula plus tanto vim gaudi vimque doloris
Sentire, haec quanto sunt perfectissima tota.
Quamvis id nunquam gens haec devota futurum
Speret, ut ex vero perfecta exsurgere possit,
Illinc plus, quam istinc tamen hoc exspectat et ipsa
Sic nos progressi in gyrum confecimus orbem,
Multa simul fantes, iterum quae dicere parcam,
Inque locum ventum est, qui dat descendere ad ima.
Hic nos PLUTONEM, magnum illum invenimus hostem.

VII.

Hau SATANA, hau SATANA, umbrarum suprema potestas!
Rauca voce fremens coepit PLUTO. At sophus ille
Comis, quem nihil effugit: Tibi ne timor obsit
Iste tuus, dixit me solaturus; ut ille
Possit, non tamen hac descendere rupe vetabit.
Conversisque oculis in spumea labra tumentem
His infit contra: Cohibe, lupe pessime, vocem,
Cumque tua rabie interius te confice. Nostrae
Non deest caussa viae, per quam nigra regna subimus.
Sic placitum est alto, MICHAEL stuprum unde superbum
Ultor dejecit. — Veluti turgentia vento
Vela plicata cadunt, ubi tandem frangitur arbor:
Haud aliter pressit crudelis bellua terram.
Sic simul in quartum lapsi descendimus antrum,
Et loca metimur ripae interiora dolentis,
Tot mala, quot fuerunt totum grassata per orbem,
Condentis. Proh juste ultor, quis congerit unquam
Tot nova supplicia et poenas, quas fervere vidi?
Et quisnam noster sic nos male dissipat error?
Ut supra pelagus Siculum, quod vasta CHARYBDIS
Obsidet, incurrente unda, quae frangitur unda:
Haud aliter nostrae vulgus simulacra ciere
Cogitur hic riddae. Haud alibi mihi copia visa est

Tanta magisve frequens. Magnis ululatibus illi,
Hinc inde obnixi volventes pectore moles,
Sese caedebant adversi, atque huc ubi ventum est,
Quisque pedem referens clamabat pectore toto:
Quare parta tenes? Quare tu projicis? et sic
Undique ad oppositam partem se quisque ferebat
Tetrum orbem repetens, solito et convicia versu
Ingeminans. At ubi medium confecerat orbem
Altera, conversus certamina inire parabat.
Atque ego perculsus quodam quasi vulnere mentem:
Praeceptor, dixi, mihi nunc ostende, quid istud
Sit gentis? quos nudus apex, detonsaque in orbem
Insignit cutis, anne omnes ex ordine sacro
Hi laevi? Dum vita fuit, transversa tuentes
Hos mala mens rapuit cunctos, dispendia quorum
Haud novere modum, dixit; quod carmine claro
Vita sonat, cum puncta duo tetigere nigrantis
Orbis, ubi disjungit eos contraria culpa.
Queis nudat tonsura caput, hi, dum alma manebat
Vita, sacerdotes fuerunt, et cardine in alto
Fulgentes astro patres, primaque tiara,
In quibus est bacchatus amor vesanus habendi.
Rursus ego: Hos inter tamen et mihi nosse licebit
Quosdam, qui fuerunt immundi hac labe malorum.
Is mihi: Vana tuo nequidquam pectore volvis.
Quae turpavit eos, male cognita, sordida vita
Omnem notitiam involvit caligine coeca.
Aeternum opposita duo proelia fronte ciebunt.
Hos palma adducta tumulis exire videbis,
Hos tonsos. Male sueta dare, et male sueta tenere
Dextera eos pulchri fraudavit lumine mundi,
Misit et in talem luctam: quae quantaque gliscat,
Nunc neque ego ornatis, neque multis versibus edam.
Fili, nosse brevem quam ludant haec bona ludum
Fortunae commissa potes, mortalia tanto

Pectora quae miscent motu; nam divitis auri
Quidquid inesse potest lunae sub lumine, quidquid
Aut fuit, ex istis unam, quae lassa labore
Umbra gemit, minima haud posset donare quiete.
Tum sic aggredior: Mihi dic quoque, care magister,
Dic mihi: Fortuna haec, cujus meminisse videris,
Quidnam est, quae omne bonum mundi sic possidet una?
O mentes hominum stultas! sic incipit ille,
Quanta premit laeditque animos inscitia rerum!
Nunc avide arripias vellem, quae pectore fundo.
Is, cujus transit cunctos sapientia fines,
Effinxit coelos, ductores et dedit illis,
Ut pars quaeque horum splendorem effundat ubique,
Distribuens aeque radiantis semina lucis.
Non secus humanis splendoribus ille ministram,
Atque ducem instituit generatim cuncta moventem,
Quae, cum tempus erit, bona inania permutaret
A gente ad gentem, atque ab origine sanguinis una
Deductura alio, prudentum vana virorum
Conata eludens. Quare nunc imperat ista,
Altera gens languet, prout stat sententia tanti
Judicii, quod cuique latet, velut anguis in herba.
Nequidquam obniti contra sapientia vestra
Contendit; namque invigilans ea providet, atque
Judicat, imperiumque suum et sibi credita regna
Persequitur secura aliorum, more Deorum
Non haec mutandis dat pausam sortibus ullam:
Ordinis aeterni lex hanc jubet ire citato
Cursu. Ita saepe venit, nova qui festinat apisci.
Haec illa est, multi quam adeo torquentque premuntque,
Criminibusque probrisque onerant nil tale merentem,
Queis potius laudanda foret. Verum illa beata
Nil audit: reliquo mista agmine Coelicolarum,
Laeta suam volvit sphaeram, gaudetque beata.
Tempus inire aliud mage lamentabile regnum

Jam venit, jam praecipitant, quae sidera coelum,
Primum ubi sum molitus iter, conscendere vidi;
Nec mora longa datur. — Sic nos rescindimus orbem,
Oppositamque oram petimus, quae prominet amplum
In fontem, qui fervet aqua, seseque refundens
In fossam irrumpit, quae humorem sumit ab illo.
Plus multo obscuri referebat lympha coloris,
Quam rubri. Tunc nos, gilvis comitantibus undis,
Praeruptum per iter successimus. Alta paludis
Stagna, STYGA appellant, triste effecere fluentum,
Unda ubi nigrantum est claustris illapsa malignis
Riparum. Tum qui cupide speculatus acutos
Contendebam oculos, vulgus miserabile vidi,
Nudum membra, fimo demersum turpiter illo,
Et vultu offenso. Illi inter se proelia miscent,
Nec manibus tantum, sed vertice, pectore, plantis.
Caedebant sese obtruncantes dentibus artus.
Tum mihi praeceptor: Fili, nunc aspice, dixit,
Illorum hic animas, quas vicerat impetus irae,
Idque simul jubeo te certo credere, turbam
Hisce subesse vadis suspiria corde trahentem,
Quae spumarum aestus in summa suscitat unda,
Ut tibi testatur visus, quocunque pererret.
Defixi limo dicunt: Super aëra dulci
Sole hilarem fuimus tristes, qui pectore lentum
Impacati odii fumum compressimus, at nunc
Moeremur sub faece nigra. Hoc in gutture carmen
Quisque sibi mussat, neque enim est potis edere totum.
Sic stagni immundi magnum peragravimus arcum
Ripam inter siccam foedamque putredine fossam,
Conversi ad turbam sordes haurire coactam.
Tandem ad radices turris devenimus altae.

VIII.

Dico ego, quo coepi pergens, multo ante praealtae
Quam murum turris vestigia nostra subirent,
Ad summum nostros oculos ivisse cacumen
Ob faculas geminas, quas poni vidimus, atque
Respondentem aliam longinqua in parte locatam,
Indicium, quod vix acie usurpare dabatur.
Quare illum aggressus, cujus sapientia abundat
Ceu pelagus, dixi: Quid vult flamma ista? quid illa
Respondet? quinam accendere? — Loquelas
Ille dedit tales: Per flumina lurida coeno
Jam tibi cernenda est res exspectata, modo illam
Non celet limi surgens vapor ater in altum.
Haud unquam repulit tanta vi corda sagittam,
Quae levis oppositas currendo raderet auras,
Ut parvum vidi per aquas nos tendere contra
Navigium, imperiis unus quod nauta regebat,
Qui sic clamabat: Venisti, anima improba, tandem? —
O Phlegias, Phlegias, nequidquam hoc tempore clamas,
Respondit mihi qui stabat dominusque comesque,
Tu nos tantisper, dum coeno eximus, habebis.
Qualis ubi audita damnum gravitate molestum
Deceptus discit, paullo post indolet illi:
Talis erat Phlegias collecta turbidus ira.
Dux cymbam ingressus me juxta accedere jussit,
Atque ea visa fuit me tantum onerata recepto.
Sed simulac pressi pandam cum vate carinam,
Prora antiqua secans plus fluminis ibat aquosi,
Quam solet ex quo homines transportat tetra fluenta.
Mortua dum nigri stagni vada currimus, ecce,
Occurrit quidam coopertus sorde, fimoque,
Atque ait: O quis es, ante diem qui huc advenis? Illi
Sic ego: Si advenio, haud maneo: at quem, ita turpiter ora
Membraque foedatus, te dicis? Talibus ille:

Cernis ut ipse, unum de flentibus. Huic ego contra:
O anima exsecranda, tuo fletu atque dolore
Hic maneas; ego te novi, licet horrida totam
Te tegat illuvies. Tunc ambas ille tetendit
Ad puppim palmas, quod ubi videt, impete magno
Illum dejecit praeceptor, talia fatus:
I procul hinc, reliquoque canum te examine misce!
Exinde ipse suis cinxit mihi colla lacertis,
Osque ori jungens: O indignate protervos,
Illi, inquit, bene sit, quae te talem tulit alvo.
Ille fuit, vestro dum vixit in orbe, superbus:
Nil virtutis inest, aliqua quod laude rependat
Opprobrium; quare furiosa hic infremit umbra.
Quot modo apud vestros sublimes se esse putabunt
Reges, qui veluti porci hac sub valle jacebunt
Obducti limo, post mortem horrenda suorum
Sibila vertentes in se, populique cachinnos!
  Hic ego: Praeceptor, modo fert me dira cupido
Hunc mersum liquido coeni spectare sub illo,
Stagna prius quam sint nobis superata paludis.
Lumina pascendo, dixit, satiabere, erisque,
Ante tibi siccum quam detur tangere litus,
Mox compos voti, et referes haec gaudia tecum.
  Post paullo aspexi coenosae illa agmina plebis
Talibus hunc contra, tantisque insurgere probris,
Ut superos laudem, nec parcam his solvere grates.
Clamore horrisono cuncti insultare Philippo
Argenti. Stolidus Florentinae furor umbrae
In se conversis sibi rodere dentibus artus.
Liquimus hic illum, nec carmine compellabo
Amplius. At mihi tum quidam dolor impulit aures,
Quare aciem intendo, protentaque lumina pando.
Praeceptorque bonus: Fili, se proximá sistit
Urbs, inquit, manes quam dicunt nomine Ditem,
Cui numero immensum est gravibus cum civibus agmen.

Huic ego: Praeceptor, jam turres, altáque tecta
Illic vallem intra videor mihi cernere certo.
His rutilus color est, lucem et velut ignea mittunt.
Isque mihi: Aeternus, qui has turres excoquit, ignis
Ostendit rubras, ut in ima hac valle videre est.
Fas fuit et nobis fossas intrare profundas
Tristem vallantes terram. Mihi moenia visa
Ferrea. Circuitu cum longo, cumque recursu
Venimus in partes, ubi clamans navita fortis:
Exite, infremuit, patet hic ingressus in urbem.
Tum vero multa, immo plus quam millia vidi
Coelo lapsorum, corde indignante, rogantum:
Hic quidnam est hominis, cui vivo contigit ire
Regna per absumptae ferali funere gentis?
Sed tunc praeceptor sapiens stans annuit illis,
Nescio quid, se velle loqui ac demittere in aures.
Tum vero gravis ira stetit compressa parumper
Fantibus: Huc venias tu solus, et ille recedat,
Haec regna ingressus tanto temerarius auso.
Ille insana retro repetat vestigia solus:
Experiatur iter, si scit, nam hic ipse manebis.
Volve animo, lector, quali mens nostra pavore
Conciderit, simulatque haec me sententia diris
Percussit verbis, ut nunquam posse putarem
Inde referre pedem. O mihi dux carissime, dixi,
Plus vice septena mihi reddite sponsor, et obses
Cognite in immani vitae discrimine, cum me
Contra obsistentem docuisti evadere pestem,
Ne me sic linquas desertum, atque omnium egenum.
Quod si iter ulterius nobis tentare negatur,
Nos raptim pariter vestigia nostra petamus.
Tum vero ille potens, qui me perduxerat illuc:
Pone metum, dixit. Nulli est concessa potestas
Nos prohibere via, quam nunc contendimus ire:
Usque adeo dantis supereminet omnia virtus.

Sed fac me hic maneas, prostratamque erige mentem
Et spe pasce bona; haud te ima in tellure relinquam.
Sic dulcis pater it, meque isthic deserit. Ipse
Pendeo in ambiguo. Menti pugna aspera surgit,
Spemque metumque inter trepido, maneatne, reduxne
Se mihi restituat. Quid dixerit ille, nequivi
Audire. At non ipse diu permanserat illic
Hos juxta, namque inde cito pede quisque recurrit;
Inque mei pectus clauserunt ostia vatis
Isti hostes nobis. Stetit ille exclusus, et ad me
Se pede convertit lento. Defixa tenebat
Lumina humi, atque supercilii fiducia rasa
Omnis erat, tum corde ciens suspiria ab imo:
Quis mihi, dicebat, moerentia lustra negavit?
At mihi: Parce metu, si me turbaverat ira;
Namque ego ero melior tanto in certamine, quidquid
Cogitet adversaus, urbem quae turba tuetur.
Nec nova mi surgit devotae audacia gentis;
Hac est usa minus secretae in limine portae,
Quae sera adhuc expers manet. Haec est scilicet illa,
Scripta ubi legisti ferali fusca colore.
Et jam citra illam clivo delabitur alto
Transiliens orbes, nullis ducentibus, unus,
Quem propter nobis pandetur janua Ditis.

IX.

Is color, exterius quem mi socordia pinxit
Terga ducem his dantem cernenti, effecit, ut ipse.
Quem subito induerat, citius compresserit intus.
Constitit intentus sonitum captantis ad instar;
Namque aër fuscus nubesque obducta tuenti
Longius ire oculos prohibet. Tum talia fatur:
Haec vincenda tamen nobis est pugna: nisi si ....
Talis erat, quae ostendit opem ... Sed quam mihi lentum

It tempus, dum se his quem demoror applicet oris?
Illum ego sat sensi extremis texisse priora;
Ultima nam fuerunt non respondentia primis.
Sed tamen incussit fandi ratio illa timorem,
Cum detorsissem, quae tum imperfecta reliquit.
Verba in deterius forsan, quam est ille locutus.
Tristis in hunc fundum conchae num quis ruit unquam
Incola primi orbis, cui sola est poena, salutem
Haud sperare ultra? Quaesivi. Talibus ille:
Accidit id raro, ut quisquam nostri ordinis istud
Tentet iter, quod sum molitus; at ipse fatebor
Huc me devenisse olim, cum dira coegit,
Ad sua quae manes revocabat corpora, ERICHTHO.
Carne exutus eram pridem, cum Thessala jussit
Murum intrare illum, JUDAEque ex orbe reductam
Protrahere ad Superos umbram. Locus infimus ille est
Maxime, et offusus nigra formidine, abestque
Maxime ab aetherea, in gyrum quae corripit omne
Inclusum, sphaera. Bene novi signa viarum.
Aude ergo. Ista palus, saevum quae spirat odorem,
Ambit tristem urbem, quo jam penetrare sine ira
Non erit. — Haec et multa super fuit ille locutus,
Quae mens oblita est; nam me mea lumina totum
Traxere ad celsae candentia culmina turris.
Ilicet hic vidi pariter tres pectore recto
Contra insurgentes suffusas sanguine DIRAS,
Femineos artus gestumque habitumque ferentes.
Illas caeruleae sinuosis orbibus hydrae
Cingebant, et pro crine anguiculi atque cerastae
Exstabant, quibus horrebant fera tempora vincta.
Atque is, qui famulas, quibus est stipata ministris
Regina aeterni luctus, bene noverat, inquit:
EUMENIDES specta, fera corda. Est dira MEGAERA
Haec latere in laevo; ALECTO, quae dextera luget;
TISIPHONE media est. Hic facta silentia linguae.

Quaeque sibi ungue sinum pariter laniabat et ora.
Palmis percussae clamoribus adsiluere
Talibus, ut premere ad pectus mihi suaserit ingens
Terror ductorem. — Simul omnis turba sororum:
Adveniat Gorgon, sic, sic immobile saxum
Hunc faciemus, ait despectans infima claustra.
Thesea pugnantem contra male non sumus ultae
Pro facto. — Averte os, et fac, tua lumina clausa
Contineas; sua nam si ostenderit ora Medusa,
Ac tu spectaris, Superos tibi nulla petendi
Copia in aeternum dabitur. Verba ista magister
Edere, et ipse mihi visus avertere, nec sat
Confidisse mea, propria ni conderet ipse
Lumina nostra manu. Vos o, queis sana vigensque
Mens est, accipite haec animis discenda pudenter,
Quae veniunt velo numerorum obtecta novorum.
Jamque propinquabat per caligantia stagna
Horrisonus fragor, a quo late atque eminus ambae
Contremuere orae; veluti si unquam ingruit aestu
Ventus ab adverso, qui praeceps impete magno
Irruit, atque ferit silvam ramosque revellit,
Projicit abreptos ac dissipat, itque superbus
Pulveream nubem volvens, gentesque ferarum
Pastoresque gregesque fuga dispergit agitque.
Tum mi oculos solvit dixitque: Huc dirige robur
Visus, qua cernis spumis canescere fluctus
Illuc, fumus ubi densatus acerbius urget.
Ceu ante infestum chelydrum longo agmine ranae
Vanescunt per aquas cunctae, dum quaeque reperta
Stipat se terra: sic plus quam millia vidi
Umbrarum extremis moeroribus eversarum
Diffugere ante virum, sicco pede qui ostia propter
Flumen transibat Stygium. Removebat ab ore
Aëra concretum, praetendens saepe sinistram;
Qui tum visus erat tantum lassatus ab aestu.

Tum bene mi patuit demissus ab aethere summo
Nuncius, atque oculis coepi spectare magistrum,
Qui nutu jussit me sistere poplite flexo.
Oh, quantum irarum est mihi visus prodere vultu!
Portam adit et virga, nullo obsistente, reclusit.
  O coelo pulsi, gens despectissima, in atro
Limine dicebat, quo haec tanta audacia crevit?
Quid contra arbitrium mentis pugnate supernae,
Cui vis nulla valet, quem vult, abrumpere finem,
Et quae vos poena saepe asperiore gravavit?
Quid prodest urgere haud eluctabile fatum?
Cerberus hic vester, jam vos meminisse potestis,
Gestat adhuc mentum et tria guttura vellere nuda.
  Deinde viam ad foedam gressus deflexit et ultra
Haud ullum nobis signum; sed talis abibat,
Qualis, cui pectus longe diversa remordet,
Quam quae cura premit, sua quos videt ora tuentes.
Nos, simulac sanctas emisit pectore voces,
Terram securi petimus, nulloque vetante
Intulimus gressus. Ego, qui cognoscere avebam,
Quaenam conditio vallo includatur in illo,
Huc simul intravi, stans omnia circumspexi.
  Planitiem vidi longe lateque patentem,
Et luctu et diris cruciatibus omnia plena.
Sicut apud Arelam Rhodani stagnantis in ora,
Sicut apud Polam, sinus unde Liburnicus aequor
Prospicit, Italiam quod claudit, et alluit undis
Illius fines, tota est variata sepulchris
Tellus; hic talem faciem locus undique habebat;
Excipe quod luctus hic plus erat atque doloris.
Namque arcis suberat flammae vis torrida passim,
Quam propter tanto candebant marmora ab aestu,
Ut nulla ars cogat sic ferri ignescere massam.
Cuncta impendebant suspensa his tegmina, et inde
Alti erumpebant gemitus, duraeque querelae

Testantes miserae ac domitae fata aspera gentis.
Hic ego: Praeceptor, gens haec, quae inclusa profundo
Illorum sese tumulorum ex carcere prodit,
Nomine quo nota est? Ille autem: Hic haeresiarchae,
Cum grege quisque suo, stant, quorum copia abundat,
Hasque onerant arcas plus quam te credere dignum est.
Parque pari hic junctus tegitur, monumentaque ab igne
Plusve minusve calent. Hic postquam laevus abire
Is coepit, tormenta inter transimus et alta
In gyrum erecto maeniana exstantia muro.

X.

Angustum per iter, murum inter Ditis et inter
Supplicia, incedit doctor meus, atque ego juxta
Post terga, incipioque: O virtus summa, nefandos
Quae me per circos, quo visum est, arbitra ducis.
Effare, atque meis indulgens annue votis:
Fasne est per tumulos populum spectare jacentem?
Omnes namque patent, nec custos assidet ullus.
Omnes claudentur, dixit, cum quisque redibit
Josaphat a valle, et supera ossa relicta sub aura
Sumpserit. Hic proprio loca designata sepulchro
Cum doctore tenent Epicuri de grege alumni,
Qui statuunt animam cum corpore morte resolvi.
Quare hic cuncta cito fient manifesta roganti,
Et desiderio pariter, quod dicere mussas.
Huic ego respondi: Bone dux, quae corde voluto,
Haud celo, nisi pauca licet quia verba profari,
Quod vice non una, te praecipiente, paravi.
O Thusce, igniferam qui praeterlaberis urbem
Vivus adhuc ita honesta loquens, tibi sistere gressum
Hic placeat: tua nam te prodidit ipsa loquela
Illa gente satum, quam patria nobilis edit,
Cui fortasse fui nimium nimiumque molestus.

Hunc subitó sonitum ex arcis emiserat una.
  Quare ductorem propius, suadente pavore,
Accessi. Ille autem mihi: Respice; quid facis? inquit.
Cerne Farinatam, qui sese arrexit, et adstat,
Pube tenus totum videas. Jam fixa manebat
Hujus in os acies oculi, cum pectus et amplam
Sustulit is frontem, veluti si Erebumque Chaosque
Temneret indignans: tum vero animosa levisque
Dextra ducis tumulos contra me impellit ad ipsum,
Sic fando: Tua sint numerata ac libera verba.
Utque steti ante arcam, paullum me lumine lustrat;
Deinde quasi iratus: Quibus es majoribus ortus?
Dixit. Ego, qui aderam cupide parere paratus,
Id non celavi, nitide sed cuncta retexi.
  Triste supercilium tum sustulit ille parumper,
Atque inquit: Gens vestra mihi primisque meorum
Atque meae genti fuit acriter aversata;
Bis ideo hanc fudi. Huic contra: Si fusa profugit,
Bis tamen huc rursus reditum tulit undique; at istam
Non bene noverunt vestri artem. Hic umbra recluso
Busto alia assurgens, mento tenus exserit ora
Hunc propter. Genubus se, credo, innixa levarat.
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrans
Visu me tacito, stetit, ut qui noscere averet,
Num quis venisset mecum. Ut frustrata tuentem
Spes est, illacrimans: Si hoc coecum carceris antrum
Sublimi ingenio fretus perlaberis, inquit,
Natus ubi meus est? Quianam non adstat et ipse
Tecum? Ego tunc illi: Non per me haec regna subivi;
Est mihi dux, illic qui praestolatur, et ille est,
Cujus fors vester despexit carmina Guidus.
  Et verba et ratio poenae mihi nomen aperte
Hujus prodiderant; quare sic plena remisi
Responsa. Isque statim totum se arrexit et inquit:
Heu, quid ais, vester despexit? An ille superstes

Non est? Illi oculos non icit amabile lumen?
Nonnihil ut sensit me respondere moratum,
Recidit inversus, nec protulit amplius ora.
At vero ille alter spectandus pectore celso,
Pro quo constiteram, vultum haud mutare, nec hilum
Cervicem indomitam motare aut flectere corpus.
Si male (in incepto perstans) didicisse feruntur
Hanc artem nostri, id vero me saevius urit
Quam meus hic lectus, sed quinquaginta regressam
Haud videas vicibus dominam loca nostra regentem,
Ille inquit, cum per te disces ipse vicissim,
Quam gravis ars ea sit. Superas elapsus in oras
Sic aliis praestare queas, da noscere caussam,
Cur in quaque sua sit gens illa impia lege
Sic nostris. — Ego ad haec: Strages et magna ruina,
Arbia quam volvit rubro saturata colore,
Has resonare preces nostrum jubet undique templum.
Isque ubi quassavit caput, imo pectore ducens
Singultum, dixit: Sed non ego solus in illa,
Nec me certe aliis socium, nisi caussa fuisset,
Junxissem. Verum ipse fui, qui solus ibidem,
Cum Florentinam pateretur caetera turba
Urbem deleri, sum ausus defendere coram
At tu, sic olim tuto gens vestra quiescat,
Orans quaesivi, ne istum mihi solvere nodum
Abnue, quo nunc implicita est sententia nostra.
Si bene ego audivi, visa est mens vestra videre
Ante, quod adducant labentia tempora posthac,
Ast aliter quod adest. Nos, laesi lumine ad instar,
Quae procul a nobis distant, ventura tuemur;
Dux supremus adhuc hoc nobis lumine splendet,
Inquit, sed quidquid propius succurrit adestve,
Fallit continuo mentem praesentium inanem;
Et nisi quis doceat, res vestras scire nequimus.
Conjicere hinc tibi erit, nobis ut tota peribit

Vis cognoscendi, postquam sit clausa futuri
Janua. — Tum veluti percussus corda dolore
Ob culpam, dixi: Lapso illi tu ista reporta
Dicta, suum natum vivis conjunctum agere aevum.
Quod si muta illi mea tunc responsa fuere,
Effice, ut ille sciat, me jam secus esse putasse,
Mentis ob errorem nuper te fante solutum.
Alloquio me jam ductor revocabat ab illo:
Quare ipsum oravi multo properantius, ut me,
Altera si qua sibi conjuncta sit umbra, doceret.
Plus quam mille jacent hic mecum, ait ille; secundus
Hic intus FRIDRICUS, et ostro splendidus olim
Ille jacet positus princeps in cardine celso,
Et reliquos sileo. Dein totum se abdidit arca.
Ast ego ad antiquum verti vestigia vatem,
Evolvens quae verba mihi sunt hostica dicta.
Ille pedem ante tulit, dein pergens talia fatur:
Quare sic trepidus? Dixi explevique rogantem.
Cuncta audita, tibi contraria, mente reposta
Stent solida, jussit sophus ille, modo arrige ad ista
Consiliumque animumque tuum, digitumque levavit.
Cum dabitur praedulce jubar tibi cernere coram
Illius, pulchra quae oculorum luce tuetur
Cuncta, tuae vitae cursum tibi scire per ipsum
Fas erit. Haec vates, pedibus dein laeva petivit.
Sic nos deserimus murum, mediumque tenemus
Urbis iter valli respondens, unde mephitis
Invisum usque illuc mittebat virus in ora.

XI.

Praecelsae extremam ripae conscendimus oram,
In gyrum quam rupta dabant ingentia saxa,
Institimusque magis diras stipantibus arcis
Poenas. Atque hic horribili superante putoris

Afflatu, barathri quem eructant claustra profundi,
Ad superimpendens immani accessimus urnae
Tegmen, ubi legere est: Hic Papam Anastasium intus
Servo, Photinus quem avertit tramite recto.
Nunc descendendum est tarde, ut modicum ante mephiti
Triste exhalanti sensus assuescere possint;
Dein pergamus iter securi. Haec ore magister.
Tunc ego: Quaere aliquid, dixi, quod damna rependat,
Incassum ne tempus eat. En scilicet istud
Volvebam, ille inquit, verbis et talibus infit:
Fili, tergeminos intra saxa ista minores
Esse orbes scito, decrescentesque gradatim,
Ut quos nunc linquis. Sunt omnia plena scelestis
Haec loca damnatis; verum ut cognoscere aventi
Sit tibi sat spectare semel, nunc accipe, quare
Quoque modo hi pressi jaceant. Injuria finis
Nequitiae omnigenae est, Superorum quae excitat iram.
Hujus et omne genus finis contristat amara,
Seu vis seu fraus est, laesorum pectora sensu.
Sed quia fraus propria est hominis, plus taedet acerbe
Numen. Propterea labuntur in ima dolosi
Tartara, poenarumque illis crudelior imber
Ingruit. At primus violentos distinet orbis
Totus; sed quia forte potest illata referri
Vis ad tres, ternos in circos septus et apte
Exstructus fuit. In regem omnipotentis Olympi,
In se ipsum, inque sibi similes insurgere posset
Vi quisquam, dico in caput horum, resque domumque,
Ut te, si advertas, ratio manifesta docebit.
Mors solet inferri per vim, per vulnera saeva
Vitae; fortunis per cladem, incendia, raptus
Damna infligentes. Quare qui corpora mactat,
Quique ferox caedit, populator, onustus abacta
Qui exsultat praeda, cuncti torquentur in orbe
Primo, digesti in classes, et habent sua septa.

Fit quoque, ut in se aliquis violentus saeviat, aut res
In proprias; quare est par, septi ut in orbe secundi
Frustra poeniteat, qui vestris se expulit oris,
Qui indulget ludo atque aes fortunasque profundit,
Fletque, ubi jucundam posset producere vitam.
Est inferre Deo vim, si quis corde negaret,
Hunc esse in coelo, et maledicta atque impia verba
Hunc contra effundat, naturam spernat et hujus
Ingenium, auctifica bonitate juvare paratum.
Septum ideo minimum Sodomae imprimit atque Caorsae
Signum, spernentique Deum corde, ore fatenti.
Fraudem, cuncta suo quae rodit conscia morsu
Pectora, tendit homo, cum hos et cum decipit illos
Credentes nimis, atque ipsum, qui nomina scripta
Non jacit in loculos. Ratio haec postrema videtur
Altera mors homini, ob vinclum, quod provida nectit
Natura. Hinc nidum sibi ponit in orbe secundo
Relligio simulata, loquens mellita, nocensque
Arte maga, tum falsa serens, furtisve potitus,
Qui sacra mercatur Simonis more profani,
Leno, deceptor, similisque his sordida labes.
Ast aliud fraudis genus illum spernit amorem,
Quem natura creat, tum qui super additur, unde
Priva fides manat. Quapropter in orbe minore,
Est ubi terrestris compagis seque rotantum
Sphaerarum centrum, cui Dis super insidet ingens,
Consumptus jacet aeternum, quicumque malignus
Prodit. Ego vero dixi: Sat clara, magister,
Haec tua fit ratio, et recte distinguere visa est
Hoc barathrum et populum, qui possidet; at mihi solve
Hunc nodum: Illae animae, quas pinguia stagna paludis
Claudunt, quasque agitant venti, et quas verberat imber,
Quaeque sibi occurrunt tam acri certamine linguae,
Cur non candenti potius torquentur in urbe,
Si Deus has odit? Sin contra est, tam aspera poena

Cur ipsas vexat? — Tunc is mihi talia reddit:
Cur praeter solitum deliras pectore toto?
Mens quo abiit? Num te fugiunt, tua quae ethica tractat,
Verbaque, ubi signat triplex genus ingeniorum,
Quae coelum haud patitur: suadentum inhonesta, ruentum
In Venerem aut in nequitiam, insanumque furorem
More ferae? Utque Deo minus est injuria praeceps
In Venerem rabies, speciem acquiritque minorem
Opprobrii? Illa tibi si haeret sententia, et illam
Si bene perpendis; memori et si mente recenses,
Respondit, qui sint extra urbem solvere jussi
Poenas, tum bene cognosces, quae separet illas
Caussa grege a pravo istorum, et cur lenius illam
Excruciet gentem judex regnator Olympi.
O sol, qui morbum turbati luminis omnem
Sanas, sic animum comple, quaesita resolvens,
Ut mihi non secus ambigere, ac dignoscere per me
Sit volupe. At retro quoque nunc te verte parumper,
Dixi, illuc rediens, ubi dicis foenus amorem
Laedere divinum, nodumque resolve. Poeta
Sic: Attendentem sophiae doctrina docebit
Passim a mente suum naturam ducere cursum
Divina, tum et ab arte sua. Bene sique notabis,
Quae tibi Aristotelis physicis traduntur, et ista
Si bene perspicias, multas evolvere chartas
Non erit, inveniesque, omnes contendere vires
Vestram artem, ut sese naturae accommodet, illam
Usque sequi, a vetere ut discentis cura magistro
Nunquam digreditur. Quare est ars vestra putanda
Paene Dei neptis. Porro per utramque necesse est
(Usque a principio Genesin si mente revolvis),
Aevum agere atque opibus vestram ditescere gentem.
Et quia qui crescit positis in foenore nummis,
Diversum molitus iter, praepostera captat,
Per se naturam spernit, perque ejus alumnam,

Spes sibi proponens alias, ac totus in illis.
Sed jam carpe viam mecum; juvat ire, micantes
Jam coelum ascendunt pisces currusque Bootis
Impendet Cauro totus; tum lenius illic
Ardua praeruptae descendit semita rupis.

XII.

Ille locus, quo nos lapsuri ex margine ripae
Venimus, asper erat, tum ab eo, qui insederat illic,
Talis, ut aspectu quivis horresceret audax.
Non secus ac rupes illa convulsa ruina,
Ob quam Athesim, citra fines illapsa Tridenti,
Impulit in latus, aut quia vi succussa resedit
Terra tremens, aut quod deerat fultura labanti;
Vertice enim a celso montis, qua ex parte recessit
Mota, ad planitiem cautes sic nuda rigebat,
Tantum aliquam ut daret illa viam loca summa tenenti.
Haec erat ex illo descensus copia saxo,
Inque apice abruptae ripai infamia Cretae
Strata erat, in falsa quondam generata juvenca:
Atque ubi nos vidit, rabido se dente momordit,
Ut quos interius frangit furor improbus irae.
Hanc meus inclamans contra sophus: Anne putabas
Cecropium huc venisse ducem, qui stipite caesum
Stravit apud superos? Isthinc jam comprime gressum,
Bellua! Namque haud iste tuae praecepta sororis
Advenit edoctus, sed poenas cernere vestras
Fert animus. Qualis, mortali ubi percitus ictu
Se expediat vinclis, quo evadat, nescit, et isthuc
Emicat atque illuc taurus: sic ipse furentem
Vidi semihominem discurrere Minotaurum.
Atque id ut advertit sapiens: Aditum arripe, dixit;
Nunc te, dum furiatus abit, descendere oportet.
Sic sumus aggressi, quod iter dabat ima petenti

Congeries ea saxorum, quae saepe moveri
Sub pedibus sensi, haud consueto pondere pressa.
Ibam multa putans, atque is: Tibi mente reposta
Forte ruina manet, cui custos illa ferina
Ira sedet, modo quam exstinxi. Nunc impulit ultro
Mens, ut te id doceam. Quo huc olim tempore veni,
Nondum etiam ruerat commota haec diruta rupes;
At certe paullo ante, nisi me decipit error,
Quam huc adventaret, magnam qui ex orbe superno
Extorsit Diti praedam, jam alta undique foeda
Vallis ita intremuit, raptum ut dulcedine amoris
In Chaos antiquum mihi sit considere visum
Funditus omne, aliqui quoniam id venisse putarunt
Saepe; atque ista vetus cautes in temporis illo
Puncto hic atque alibi tali est revoluta ruina.
Sed tu nunc oculos defige. Est proxima nigro
Unda cruore fluens, ubi vasto ebullit in aestu,
Vi quicumque aliis noceat. Oh coeca cupido,
Oh rabies vesana, brevi quae hoc tempore vitae
Nos adeo exstimulas, male sic mersura per aevum
Aeternum! — Hic amplam, quae se sinuabat in arcum,
Fossam cernere erat, veluti quam dixerat omnem
Planitiem amplecti ductor prius. Inter et imas
Radices ripae et fossam agmine circumfusi
Centauri huc illuc gestantes tela ruebant,
Ut mos his fuerat venari lustra ferarum.
Nosque ubi viderunt labentes vertice, quisque
Constitit, atque acie ex illa tres ilicet arcu
Atque hastis prius electis excedere, et unus
Inclamare procul: Vos, qui descenditis, ad quam
Venistis poenam? Isthinc dicite, sin minus, arcu
Ejaculor tenso. Praeceptor talia contra:
Chironi haec isthinc propius responsa dabuntur:
In tua damna nimis semper tam prompta libido
Ista fuit. Tum me fodiens: Haec illius umbra est

Nessi, inquit, qui olim pro Aetolide Deianira
Occubuit, cavitque idem, ne ita inultus obiret.
Atque hic, qui medius demisso ad pectus inhaeret
Obtutu, sese inspiciens, est magnus alumnus
Pelidis, Chiron. Alter Pholus ille, sub acri
Irarum fluctus tantos qui pectore volvit.
Stant circum fossam innumeri, quascumque parati
Figere telo animas emersas sanguine plus, quam
Sorte illis sua noxa dedit. Nos illa ferarum
Agmina, veloci cursu pollentia, adimus.
Arma capit Chiron, et posteriore sagittae
Crena usus, retro ad malas barbae sibi silvam
Dimovit; sed ubi os magno detexit hiatu,
Edidit haec sociis: Numquid sensistis, ut ille
Pone sequens moveat quidquid pede tangit? at istud
Haud solet accidere a pedibus jam luce carentum.
  Sed bonus huic contra dux, qui prope pectora stabat,
Qua duplex jungit natura hominemque feramque,
Tunc ait: Iste quidem vivit sic solus inopsque,
Atque meus labor est huic tetram ostendere vallem.
Nec jam sponte venit, Superum sed lege coactus.
Talis mota loco est, ubi concinit alleluja,
Hoc dignata novum nobis committere munus.
Non hic praedator, neque ego sum crimine vitae
Foeda anima impurae. Quare nunc te oro per illam
Virtutem, per quam fas est mihi tendere gressus
Tam durum per iter, de vestra cede cohorte
Notum aliquem, cujus vestigia certa sequamur,
Quique vadum monstret, detque huic insidere tergo,
Huic, qui non umbra est assueta per aëra ferri.
  Tum latus in dextrum convertit lumina Chiron,
Et Nessum appellans dixit: Vestigia retro
Tu relege, et sic hos duc, ut, si qua altera sistat
Contra adversa acies, nulla obstet caussa morandi.
  Hoc duce sub fido fumantem legimus aestu

Oram puniceo, plebes ubi cocta ciebat
Immanes gemitus. Oculis tenus undique mersam
Aspexi gentem; atque ingens haec edidit ore
Centaurus: Sunt hi bacchati in caede tyranni,
Inque latrocinio. Hic veniunt lugenda feroci
Damna illata manu. Manet hic PELLAEUS, et ille,
Qui Siculis tristes tribuit, DIONYSIUS, annos;
Atque hic, sic nigris cui frons est horrida setis,
AZZOLINUS habet nomen, qui vertice flavam
Alter caesariem diffundit, OBICCIUS ille est
Patria ATESTINUS, quem (adsit reverentia vero)
Mactatum superis privignus depulit oris.
  Tunc ego respexi vatem, atque ille ora resolvit:
Hic tibi nunc ductor sit primus, me adde secundum.
At paullo ulterius CENTAURUS lumina fixit
In gentem, scatebris quae exire vomentibus aestum
Visa tenus colli est. Hic solam in parte reducta
Ostendit nobis umbram, atque haec insuper addit:
Numinis in gremio cor discidit ille, quod isto
Tempore adhuc TAMESIS multo veneratur honore.
Praeterea plures rubicundo in gurgite fossae
Aspexi capite exstantes et pectore toto;
Atque nimis multos istorum ex ordine novi.
Sic magis atque magis subsidens sanguinis ille
Fons ibat, plantas ut vix obduceret humor:
Jamque hic fossa viam ostendit transire paratis.
  Quanto ex parte vides hac plus decrescere semper,
NESSUS ait, scatebram, tanto te credere oportet
Et magis atque magis deorsum fundi premere ima
Ex alio, donec sese conjunxerit undae,
Sub qua mersatur lugere coacta tyrannis.
Hic justa spreti crucientur numinis ira
ATTILA, qui fuit in terris fatale flagellum,
PYRRHUSque et SEXTUS, lacrimasque emungit in aevum
Aeternum dolor, undanti quas fundit in aestu,

Corneti crimen patriae, Rainerius; adstat
Paccia progenies, alter Rainerius; ambo
Tanto infestantes bello insidiosa viarum.
Tergo deinde dato, remeat vada nota bimembris.

XIII.

Nondum etiam Nessus ripae ulteriora tenebat,
Cum sumus ingressi nullo tritam pede silvam.
Non frondes virides, fusca at ferrugine tinctae;
Non rami laeves, at nodosi inque plicati;
Non pomi stabant, spineta at plena veneno.
Non ita habent rigidas stirpes, passimque frequentes,
Quae fugiunt odio silvestrià saecla ferarum,
Inter Caecinam et Cornetum culta locorum.
Hic nidum obscoenae, strophadum quae littore Teucros
Omine terrifico damni pepulere futuri,
Harpyiae ponunt. Latae alae, collaque et ora
Humana, atque pedes unci, plumosaque magni
Ventris erat moles, abnormibus insidentes
Plantis dant questus. Tum doctor talia fundit:
Interiora priusquam tu penetralia silvae
Istius subeas, te devenisse secundum
Circum, erraturumque isthic jam scito, tremendae
Ad cumulos donec via te deducat arenae.
Propterea inspecta penitus; namque ipse videbis
His factura fidem, quae sum sermone locutus.
Undique ploratus veniebant, undique fletus,
Nec mihi cernere erat quemquam tam triste dolentem:
Quare constiteram totus formidine torpens.
Credo ego, Minciadem tum me venisse putasse
Mentis in hunc sensum, ut tot rerer fundere voces
Gentem, quae hos inter ramos obtecta lateret
Nos propter. Quare verbis est talibus usus:
Unam si obtrunces quavis ex arbore virgam,

Quae tu nunc animo reputas, mutilata labescent.
Tum paullum extendi dextram, magnoque revulsi
Ex pruno exiguum ramum, et lacrimabile truncus
Clamavit: Cur me vellis? Sed sanguine ubi ater
Factus erat, rursus: Cur me decerpere gestis?
Nulla tuum pietas docuit miserescere pectus?
Quondam homines fuimus, qui nunc sub cortice stamus
Mutati in stirpes. Certe exspectanda fuisset
Haec tua dextra magis flecti pietate parata,
Anguigenas animas si nos gestare putasses.
At veluti in ramo viridi, cui flammeus ardor
Summa urat capitis, tum pars extrema gementi
Sibilat assimilis, vento exspiranteque stridet:
Sic simul ex illo erumpebant fragmine verba,
Et sanguis. Quare labentem vertice prono
Demisi virgam, atque steti, ut qui territus haeret.
Si prius ex nostris potuisset credere verbis,
Respondit sapiens, quae oculis hic aspicit ipsis,
Laesa anima, haud unquam foret ausus tendere dextram
In te. Incredibilis sed res me adducere suasit
Hunc in opus, quod me pariter gravat. Ast age fare;
Qui sis huic memora, ut pro, quo tua damna rependat,
Munere, apud superos, ad quos remeare facultas
Huic datur, ipse tuam jubeat revirescere famam.
Et truncus: Tam dulce mihi sonat ista loquela,
Ut tacitus nequeam vos mittere. Nec grave vobis
Sit, si qua alliciat me, dicere pauca, cupido.
Ille ego sum, claves qui quondam nactus utrasque,
Queis Fridrici animum noram me posse potiri,
Nunc claudens, modo recludens ita suaviter ambas
Verti, ut submorim cunctos, cui sensa solebat
Credere; et explevi tam fidus nobile munus,
Ut me deficerent somni, et vis vivida pulsus.
At meretrix, oculos avertere visa protervos
Caesaris hospitio nunquam, commune sepulchrum,

Et vitia aularum, flammis ardentibus omnes
Accendit mentes in me, queis pectora flammis
Incensa Augustum sic incendere, beatos
Ut mihi conversos in tristia tempora honores
Flerem. Animusque avidus vesanam ulciscier iram,
Atque hunc posse ratus praevertere morte furorem,
Contra me justum me injuste surgere jussit.
Per ligni istius radices juro novellas,
Me nunquam violasse fidem praeclara merenti
Praemia tot laudum domino. Atque evadere ad auras
Si cui fas vestrum est superas, det surgere nomen,
Atque meam famam quoque nunc post illa jacentem
Vulnera, quae inflixit meritis turba invida nostris.
  Paullisper stetit attendens, deinde ora resolvit
Sic doctor: Quoniam tacet is, ne labier horam
Incassum sine, sed loquere et, quae scire laboras,
Ipse roga. Sed ego hunc contra sum talibus orsus:
Tu quoque fac rogites, si quid mihi posse putabis
Sat facere; ipse etenim impedior, sic opprimit angor
Cor miserans. Iterum hic coepit: Sic iste capessat
Ingenue, quae verba orant tua, carcere in arcto
O anima inclusa, haud quaerenti taedeat unum
Hoc pariter monstrare mihi, qui fiat, ut istis
Vincta anima in nodis habitet, vel, si qua facultas
Est tibi, dic mihi, num ex membris sese ulla resolvat
Talibus: Interea magno conamine truncus
Exspirare animam venti se vertere in istas
Voces! Haec breviter vobis responsa dabuntur.
Ut primum membris animae effera vita recedit
Corporis, unde suis se avulsit viribus usa,
Tartarei hanc barathri Minos in septima septa
Mittit, et haec cadit in silvam, nec certa parata est
Sedes; et quocumque illam sors projicit, illic
Permanet, utque zeae granum sua germina trudit.
Deinde in virgultum plantamque assurgit agrestem.

Pascunt Harpyiae frondes, acremque dolorem
Ingeminant, latam huic dantes simul ore fenestram.
Corporis exuvias nostri, ceu caetera turba,
Nos quoque sumpturi pariter veniemus; at illas
Induere haud dabitur; neque enim est res aequa tenere
Quemquam, sponte sibi quae adimit. Raptabimus ipsas
Huc, et per moestam pendebunt corpora silvam.
Unumquodque illi pruno appendetur, ubi umbrae
Cogitur indoluisse suae. — Nos ora tenentes
Intenti stabamus adhuc, utrique putantes
Plura locuturum truncum, cum murmur ad aures
Attonitis venit, velut illi, qui impete magno
In se conversum nemorosis vallibus aprum
Erupisse audit, strepitumque exterritus haurit
Latrantumque canum turbataeque undique silvae.
  Atque ecce, ecce duo laevo descendere clivo,
Ambo nudati, foedatique unguibus artus,
Tam celeri elapsi cursu, ut ramalia silvae
Obvia dejicerent. Tum qui prior incitus ibat:
Mors, occurre mihi, mihi mors, occurre! fremebat;
Atque alter nimium lente sibi currere visus:
Non ita pernices plantae tibi, Lane, fuerunt,
Cum te in Toppiacis agitarunt proelia campis.
Et quia forte, anima jam deficiente, fefellit
Hunc vigor; ipse sui tum cespitis objice nodum
Implicuit. Post hos resonabat plena nigrarum
Ore inhiante canum cupido, rapideque ruentum
Silva. Illae, veluti demptis venatica vinclis
Turba furens, dentes misere latentis in artus,
Cumque in frusta ipsum solvissent morsibus aspris,
Mox illos secum simul arripuere dolentes
Artus. — At dextra prensum me protinus egit
Dux, ubi mittebat cespes per rupta cruentis
Vimina vulneribus gemitus lamentaque vana.
O Jacob, toto dicebat pectore clamans,

De Sancto Andrea, quid te quaesisse salutem
Juvit me opposito? Tibi si turpissima vita
Acta fuit, quodnam tantum mihi crimen in illa est?
Ipsum ubi praeceptor super adstitit, ora resolvit:
Qui fueris, memora, o qui tot per vulnera fissus
Exspiras lugubre gemens cum sanguine carmen.
Ille autem: O animae, quae istas venistis in oras,
Visurae nostras tam inhonestis undique sparsas
Excidiis frondes, vos illas cogite in unum
Cespitis ante pedes tristis. Prognatus in illa
Urbe fui, domino quae suffecisse priori
Baptistam fertur. Quare ipsam tempus in omne
Efficiet tristem arte sua, et nisi signa manerent
Nunc aliqua ex illo glaucus qua profluit Arnus,
Qui supra cineres olim, quos Attila liquit,
Hanc struxere iterum, vidissent ire labores
Incassum. Ipse meis pro furca sum aedibus usus.

XIV.

Patria me postquam pietas distrinxit, in unum
Dispersas mihi cura fuit conjungere frondes,
Reddere et huic jam tum fracto. Devenimus inde
Ad finem, unde orbis discindit septa secundi,
Horribiles justi qui ostendit vindicis artes
Tertius. At nova sat claris ut pandere verbis
Copia sit, dicam nos descendisse patentem
In campum, cui cuncta suo plantaria strato
Amovet. Hunc tristi praecingit silva corona,
Ut funesta palus ipsam, pesque unus et alter
Aegre haesit stringens nemus. Arida spissaque arena
Stratum erat, haud aliter quam quae pede pressa Catonis.
Ultrix ira Dei, quam es formidanda legenti
Haec oculis manifesta meis, quae mente notavi!
Multos stare greges animarum veste videbam

Nudos, atque omnes valde miserabile flentes;
Qui mihi sunt visi diversa lege teneri.
Nam resupina solo gens quaedam strata jacebat;
Quaedam sede sedens, arcte contractaque stabat;
Altera continuo gens ibat concita motu.
Quae circumit, major multo, minor altera poenae
Subdita: at ista magis solvebat fraena dolori
Allapsu lento flammarum expansa pluebant
Vellera, arenosus campus quacumque patescit,
Nix alpina velut, nullis spirantibus auris.
Quales, assiduo qua torrida fervet ab aestu
India, militibus Pellaeis incidere ignes
Vidit Alexander, solidosque incumbere terrae;
Quare provisens, juncto simul agmine, jussit
Conculcare solum pedibus, nam posse vaporem
Noverat exstingui melius, dum solus adurit:
Talis erat sine more furens delapsus ab alto
Aeternus calor, unde omnis flagrabat arena,
Supposita ut silici excussae succenditur esca,
Duplice ut excruciet poena. Pax nulla dabatur,
Nulla quies misere compulsis ludere ludum
Continuum manibus, nunc hinc nunc inde repulsa
Ut vis usque recens ardoris longius iret.
Tunc ego: Praeceptor, cui fas est vincere cuncta,
Praeter durorum praecordia Daemoniorum,
Surgere quae vidi nos contra in limine portae,
Quisnam est ille ingens, qui non curare videtur
Flammas, et jacet insultans, transversa tuendo,
Ut mihi sit visus nondum mitescere ab imbre?
Isque, ubi me sensit scitantem nomen, et ausa
A doctore sua, exclamans haec pectore fudit:
Qualis ego vixi, talis post funera persto.
Si fabrum ipse suum delasset Juppiter, a quo
Ira excandescens accepit fulmen acutum,
Quo me percussit postremo tempore vitae;

Perque vicem in nigris reliquos fornacibus Aetnae
Ipse fatigaret, fer opem, faber optime, opem fer,
Vulcane, exclamans, veluti in certamine Phlegrae,
Inque caput totis jaculetur viribus ignes,
Post poenas ultor sane non laetus abiret.
    Tales flammato tum rupit pectore voces
Dux meus, ut nunquam verbis sic acribus usum
Audierim: Quoniam mentis furor iste superbae
Non deflagrat adhuc, ideo majore gravaris,
O Capaneu, poena. Poenarum copia nulla
Tanta, tuam praeter rabiem, foret apta dolorem
Incussisse, tuo qui det completa furori
Vulnera. Dein placide vultu meliore loquelam
In me convertens dixit: Fuit ille tyrannis
Unus de septem Thebas obsidere adortis,
Atque odio hic habuit Superos, et habere videtur,
Et curare parum. Verum ut me dicere dudum
Audieras, isti, quos nunc fovet ipse, furores
Ornamenta animae nimium sunt debita atroci.
Nunc sequere, atque cave arenti vestigia arenae
Defigas, sed stringe nemus. — Devenimus illuc,
Parvus ubi silva decurrens labitur amnis,
Cujus adhuc horret mea mens meminisse ruborem.
Qualis de scatebra Viterbi rivulus exit,
Quem sibi scorta solent partiri; talis arena
Hac unda emergens ibat. Sinus illius imus,
Tum geminae ripae, tum marginis utraque labra
Naturam induerant lapidis; quare esse putavi
Hac iter. Ex cunctis, quae ostendi plurima, postquam
Nos sumus ingressi portam, quae limina nulli
Obserat, haud ulla est unquam sic digna notari
Res oculis inspecta tuis, ut rivulus iste,
Qui super allapsas quascumque exstinguere flammas
Est potis. Ista meus fundebat ab ore magister.
    Tum prece persuasi largiri pabula, amorem

Qui largitus erat. Dedit haec responsa rogatus:
In medio vastata mari sedet insula, CRETAM
Appellant, cujus sub rege fuisse pudicus
Narratur mundus. Vi quondam laetus aquarum,
Frondibus et patulis mons surgit, et IDALOS isti
Nomen erat, nunc stat, ceu res corrupta senecta,
Desertus, quem RHEA sibi cunabula nati
Fida sui legit. Melius rata condere furtum
Posse ibi, cum flebat, cava tympana, et aera jubebat
Edere tinnitus. Manet intra viscera montis
Ingens, arrectus, DAMIATAE immania tollens
Terga adversa senex, prospectans moenia Romae,
Ut speculum. Vertex ex auro divite, pectus
Brachiaque argento ex puro, deinde aere rigenti
Cuncta ipsi constant tenus inguinis; omnia ferro
Electo inferius, praeter pedis infima dextri,
Qui terra conflatus erat, quam coxerat ignis.
Plus huic insistit, quam laevo erectus, et ejus
Pars quaevis, auro excepto, disrupta fatiscit
Rima, quae exstillat lacrimis. Junguntur in unum
Hae guttae, atque illud vis harum perfodit antrum.
Quarum decursus vallem se immittit in illam,
Unde ACHERON, PHLEGETHONque oritur, STYGIAEque paludis
Lenta vada, atque eadem hoc arcto ruit unda canali
Usque illuc, unde ulterius descendere non est;
COCYTUM et facit, et quae sint ea stagna videbis;
Propterea ulteriora tibi nunc dicere parco.
  Illi ego: Si, modicis qui nunc it rivulus undis,
Nostro ita ab orbe oritur, cur solum apparet in ista,
Quam sumus aggressi, ripa? Is mihi talia reddit:
Tu scis hoc spatium gyro constare rotundo,
Et quamvis longo processeris intervallo
Semper descendens laevus, loca cum infima adimus,
Nondum circuitum totum pes noster obivit;
Hinc, si qua apparet novitas, absiste moveri.

Rursum ego: Ubi flumen Phlegethon, ubi sunt vada Lethae?
Unum namque taces, illumque hoc crescere ab imbre
Dixisti. Tua cuncta quidem quaesita fuere,
Suntque mihi jucunda, inquit; tamen aestus aquarum
Rubrarum poterat quaesitum solvere primum.
Aspicies Lethen simul atque evadere ab ista
Fas fuerit fossa, quo fit concursus ad undas,
Postquam corda terens dolor imus rite removit
Culpas, approperantque animae veniuntque lavatum.
Sed jam tempus erit silva discedere, dixit;
Tu fac nostra retro veniens vestigia serves.
Dant non usta viam tibi ripae labra, superque
Postremas oras omnis restinguitur ardor.

XV.

Nunc de marginibus duris nos prendimus unum,
Caligansque amnis fumus sic desuper umbrat,
Ut defendat aquis, et claustris aggeris ignem.
Qualia, ab undarum metuentes impete, Belgae
Munimenta struunt inter Guzzanta Brugasque,
Objice quo incurrens fluctus maris inde recedat;
Qualia Trojano prognati Antenore cives,
Distenti studio rura et castella tuendi,
Medoacum propter, solaria tela prinsquam
Alpes sentire incipiant: sub imagine tali
Illa assurgebant, quamvis minus alta minusque
Ampla esset moles; quisquis sit, qui arte magister
Hoc exegit opus. — Silva jamque ipse relicta
Cum duce, tantum aberam, ut nequaquam nosse daretur,
Quo devenissem, licet observata retrorsum
Signa requisissem, veniens cum offendimus agmen
Umbrarum propter lapidosas aggeris oras,
Nos oculis lustrans, veluti sub luce novellae
Lunae se alterni, post facta crepuscula noctis,

Obscuri inspiciunt; aciem et figebat utramque
Quisque, senex ut sutor acus in tenue foramen.
Haud aliter tali nos vestigante caterva,
Me quidam adveniens novit, limboque prehendit
Vestis et: Oh, monstri quid tu? clamavit. Ubi ille
Bracchia me contra protendit, figere coepi
Intentos oculos hominem coctum igne pererrans,
Ustus ut aspectus minus hunc defendere quisset,
Quin internorit nostrae vis conscia mentis:
Declinansque manum ad vultum illius, ora resolvi:
Hic te, Brunette, invenio? Tunc ille: Molestum
Ne tibi sit, fili, paullum vestigia retro
Si tecum fert Brunettus, quem vestra Latini
Terra vocat, reliquamque sinit procedere turbam.
  Illi ego: Te vero id precibus majoribus oro.
Quod si forte cupis me tecum hac sidere ripa,
Id faciam, dum isti placeat, quocum ire necesse est.
  O fili, quisquis subsistit de grege nostro
Vel minimum, dixit, centenos procubat annos,
Quin queat obnitens manibus prohibere favillas.
Quare i prae; ipse latus stringens sequar, atque catervam
Deinde meam repetam cursu, sua damna dolentem
Aeterna. Haud me animus descendere calle sinebat,
Ut pariter graderer; cervice at cernuus ibam,
Atque observanti similis. Tum talibus infit:
Quae sors aut fatum ante extremam funeris horam
Te tulit huc? Quisnam iste, viam qui monstrat eunti?
  Huic ego: Apud Superos fruerer cum luce serena,
Respondi, vallem deveni devius, ante
Quam cursum vitae plenum confecerit aetas.
Huic mane hesterno solus dare terga studebam.
Cumque redire illuc coepissem, hic tempore in illo
Adfuit, atque domum per callem hunc me ipse reducit.
  Is mihi: Ubi, quod iter monstrat tua stella, sequaris,
Nobilis haud poterit te famae fallere portus,

Si bene id agnovi jucundae tempore vitae.
Et nisi tam subito clausissem lumina morte,
Cum tibi vidissem coelum sic esse benignum,
Incepti hortator quoque consiliumque fuissem.
Ast ille ingratus populus mentisque malignae,
Editus antiqua Fesula qui ab origine venit
Hactenus atque tenet montana et saxea corda,
Saepe tibi infestus propter benefacta redibit,
Exercens odio; ac merito, neque enim aspera ficum
Inter sorba decet dulci ditescere fructu.
Fama vetus coecum hunc vocat. Invida, avara, superba
Gens est; fac praestes te purum moribus horum.
Sed tantum fortuna tibi tua servat honorem,
Esurie ut superante tui pars utraque sit te
Optatura; sed a rostro fiet procul herba.
Ipsa sibi de se Fesulana animalia stramen
Efficiant, et si qua sua inter stercora planta
Surgit adhuc, illam parcant contingere, ubi almum
Semen Romulidum reliquum, cunabula postquam
Nequitiae tantae fuerunt fabricata, revivat.
Totum, huic respondi, si plane habitura fuissent
Vota mea eventum, nondum natura fuisset
Jussa tua exilio mortalia linquere saecla.
Nam subit, atque mihi cor imum affligit imago
Cara paterna tui, crebro praeclara docentis,
Dum vesci in terra licuit vitalibus auris,
Ut scirem, quo quisque modo sua nomina in aevum
Aeternum extendat. Quare quam grata voluntas
Me tibi conjungat, dum stat mihi vita, necesse est,
Per nostram ut possit quivis id noscere linguam.
Quae cursu narras de nostro, haec tradere scriptis
Appropero, atque alio libro illustranda relinquo
Cuncta meae Dominae; si coram adstare licebit,
Haec sciet. Id tantum cupio tibi pandere aperte:
Dum mihi non latret verbis mens conscia amaris,

Insistam, quodcumque velit fortuna, paratus
Carpere iter; neque enim novus auribus arrhabo nostris
Surgit. At ipsa suos orbes fortuna, bubulcus
Pro lubito verset rastros. — Tum vertere malam
Praeceptor dextram retro, et me respicere, atque hos
Reddere deinde sonos: Bene is audit, qui notat aure
Percepta. Haud tamen interea sermone rogare
Brunettum absisto socios hoc carcere clausos,
Quorum fama magis micet, et tollatur in altum.
Is mihi: Scire bonum est aliquos; laudabile lingua
Praeteriisse alios; tot enim me nomina fantem
Tempus deficeret. Scito, esse ex ordine cunctos,
Cui nudata pilis capitis cutis explicat orbem,
Multos doctrina insignes, magnoque decore,
Turpiter in terris maculatos crimine eodem.
Illa Priscianus cum turba incedit, in illa est
Editus Accursi Franciscus. Cernere quissem,
Si mihi cura hujus porriginis ulla fuisset,
Illum, quem Servus servorum jusserat Arnum
Permutare oris Retronis, ubi male tensos
Is liquit nervos. Memorarem plura; at eundi
Longius et fandi ulterius me copia fugit.
Namque novum video fumum consurgere arena,
Et gens adventat, quacum simul esse vetamur.
Thesauri tibi cura mei sit sedula, in illo
Vivus adhuc spiro, neque te orans plura morabor.
Tergo deinde dato, vestigia flammea flexit,
Ut qui Veronae tendunt celeri pede cursum
Per campum, viridis certantes vincere panni
Praemia, et ex istis, cui dat victoria laudem
Visus erat similis, non cui pes cessat in auso.

XVI.

Ventum erat in partes, ubi aquae labentis in orbem
Suppositum strepitus nostras ita perculit aures,
Ut, quod plena solent alvearia mittere, murmur;
Cum simulacra simul vidi tria devia cursu
Deseruisse agmen sub diro evadere nimbo
Supplicii properans, et nobis obvia ferri.
Singula clamabant: Siste, o, quem prodit amictus
Nostratem, pravae prognatum semine terrae.
Hei mihi, quae nova, quae vetera illis vulnera inusta
Artubus aspexi jaculante incendia flamma!
Nunc quoque mens renovat revocanti talia luctum.
Substitit, auditis horum clamoribus, et me
Respiciens doctor: Maneas et comiter istos
Fac, ait, accipias. Et ni fera spicula flammae
Naturam feriant regionis, te aequius esse
Dixissem, quam illos, properante accedere passu.
Ut stetimus, vetus illi iterarunt flebile carmen;
Atque ubi nos propter trina haec simulacra fuere,
Trina rotam de se simul implicuere. Virorum
Ut mos est, ubi nudi unctique adstare solebant
Signantes oculis, quo vertant aptius arma,
Ante ictus quam inter se et vulnera acuta cierent;
Singula non aliter, dum se rotat, umbra tenebat
In me versam aciem sic, ut contraria collo
Planta iter assidue faceret. — Tunc incipit unus:
Si locus hic miser instabili substratus arena,
Tinctus et aspectus, tristisque odisse monebit
Nos nostrasque preces, at saltem flectere nostra
Fama tuam valeat mentem, et da discere, qui sis,
Cur vivas ita fas tuto est fricuisse cavernis
Tartareis plantas. Hic vir, vestigia cujus
Me calcare vides, quamquam sic veste pilisque
Captus, de majore gradu est, quam forte putabas.

Guidoguerra habuit nomen, Gualdrada nepotem
Quem bona fassa suum est. Dum movit spiritus artus,
Plurima consiliis hic gessit, plurima ferro.
Alter, qui prope me terram terit, Aldobrandi
Tejajus, cujus gratissima habenda loquela
Esset apud vestros. Ego, qui una torqueor isthic,
Rusticulus Jacob; et certe rustica conjux
Plus mihi, quam quidquam pejus, nocuisse putanda est.
Si tecto flammae licuisset tela subire,
Ire sub amplexus horum fuit impetus ingens,
Idque meus doctor, ni fallor, forte tulisset;
Sed quia mi torrens coxisset flamma medullas,
Me bona destituit, superante pavore, voluntas,
Quae cupidum urebat. Dein talia pectore fudi:
Vestrae conditio sortis mihi corde dolorem,
Non odium, infixit sic, ut jam serius illo
Omnino exspolier, simulac comes ore loquelas
Effudit tales, claros ut adesse doceret
Nobilitate viros, quales vos usque fuistis.
Vestra fuit mihi terra parens, et tempus in omne,
Non sine honore pio, decora alta et nomina magna.
Vestra ego descripsi, studiosisque auribus hausi.
Triste ego fel linquo, et quaesitum dulcia poma
Appropero, mihi quae promittit idoneus auctor;
Sed primum jubeor centrum descendere in imum.
Sic tua felici deducat spiritus aura
Membra diu, dixit; sic post te fulgida fama
Sit tua; dic, an adhuc nostra remorentur in urbe
Humani mores, animorum et mascula virtus,
Ut solet, an contra prorsus fugisse ferantur?
Namque Guilelmus Borserius, incola arenae
Urentis novus, et turbam comitatus euntem,
Dum permulta refert, nostras valde asperat aures.
Gens nova, tum subitis congesta pecunia lucris,
Et fastum et luxum immodicum, Florentia, in urbe

Sic genuere tua, ut jam tristia tempora plores.
Haec ego sublato clamavi turbidus ore:
Tresque, his auditis, umbrae vertere vicissim
Lumina in alterius vultum, ut qui vera tuentur.
Si fuit unquam alias tibi respondere facultas
Tantillo constans, tamque apta explere rogantem,
O te felicem, cui mens ea verba ministrat!
Quare si has valles tibi fas evadere nigras,
Sitque tibi rursus jucundas cernere stellas:
Illic ipse fui, quam te dixisse juvabit!
Fac, nostra ut memores viventi nomina vulgo.
Dein rupere rotam, alarumque fuisse putasses
Remigium plantas. Quam prosiluere fugaces,
Non amen citius potuisset dicere quisquam:
Tam celeres oculo se subduxere sequenti;
Quare doctori visum est discedere nostro.
Ibam post ipsun, isque parum processerat ultra
Gressu, cum insonuit sic nos prope rumor aquarum,
Ut vix ulla esset fantes audire potestas.
Qualis, iter proprium qui primum corripit amnis
Prosiliens ex rupe Vesi, quae prospicit ortum
Ex qua parte latus laevum explicat Apenninus,
Quique appellari solet Unda quieta, priusquam
Sese praecipitem fundum demittat in imum,
Atque foro Livi sonat expers nominis hujus,
Illic supra aedes, quibus est a nomine Sancti
Deductum nomen Benedicti, vi incitus amnis
Obstrepit, e scopulo pronum ruiturus in agrum,
Quem jam mille viri incolerent, fors si qua tulisset:
Sic nos labentes praeruptae ex aggere ripae
Vidimus hanc tanto resonantem murmure aquarum
Diluviem tinctam, ut mox nobis laeserit aures.
Funis erat circa lumbos mihi cinctus, et isto
Rebar pantheram capere olim pelle decoram.
Hoc me dissolvi, sic praecipiente magistro,

Porrexique ipsi nodis nexum inque plicatum.
In latus is dextrum versus, paullumque recedens
A sponda, hunc barathri demisit in ima profundi.
Et mecum: At certe nova res succedat oportet,
Dicebam, huic nutus novitati, ubi ductor utroque
Istum sic oculo sequitur. Quam mente sagaci
Est opus et cauta his coram, quos non modo facta,
Intima sed cordis moneat prudentia praesens!
Ille mihi dixit: Quam primum exire videbis,
Quod cupide maneo; et quod nunc tua somnia versant,
Quam primum, ut par est, claro se lumine prodet.
Quod verum falsi faciem induit, usque tacendum est,
Dum liceat, namque insontis tegit ora pudore.
At vocem hic nequeo retinere, notasque per istas
Juro, quas doctis comoedia nostra propinat,
Sic ea non redeat diuturni vana favoris,
Lector, me his oculis vidisse per aëra crassum
Et nigrum quiddam monstri emersisse natando,
Cuilibet horrendum gestanti ferrea corda;
Ut redit is, salsum qui se dejecit in aequor,
Navem exempturus ferrato dente retentam,
Qui scopulum, aut aliud prensat, quod clauditur undis,
Atque, ut consurgat, se extendit parte superna,
Dum pedibus nitens membra inferiora coarctat.

XVII.

En fera caudae acie pollens, quae transfodit Alpes,
Et rumpit muros atque arma; en bellua, tristi
Quae cunctas mundi terras infestat odore! —
Dux meus his infit verbis, atque annuit ipsi,
Ut teneat ripam, calcata ubi marmora finis
Limitat. Illa autem foedissima fraudis imago
Adstitit, atque caput truncumque admovit arenae;
Sed non extraxit sinuosa volumina caudae.

Os erat huic hominis justi, usque adeo ipsa benignam
Induerat pellem exterius, sed caetera trunci
Totius anguis erat. Villosus uterque lacertus
A digitis ad utrasque axillas usque rigebat,
Pinxerat et dorsum pectusque atque undique costas
Nodis exiguisque rotis. Non Tauricus unquam
Turcave conjunxit supposta, impostaque fila
Vestis tam vario discrimine tincta colorum,
Non tales radio telas distinxit Arachne.
Ut stant interdum pelagi prope littora cymbae,
Quarum pars undas tangit, pars altera terram,
Utque illic inter lurcones Teutonas arma,
Atque suam pugnam castor parat; haud secus ista
Pessima forma ferae lapidoso in margine stabat,
Undique qui cumulos ustae claudebat arenae.
Quanta erat, in spatio cauda vibrabat inani,
Torta veneniferae sustollens verbera furcae,
Quae ritu scorpi mucronem armabat acutum.
  Nunc declinandum est paullum, dux inquit, eoque
Intendendum iter est, mala ubi se bellua sternit.
Nos ideo latus ad dextrum descendimus, et bis
Progredimur quinos extremo in limite passus,
Curantes flammam et nubem defendere arenae.
Hanc prope ut est ventum, gentem considere arena
Ulterius paullo vidi, quae proxima inani
Pendebat barathro. — Tum doctor ita ora resolvit:
Ut tibi sit cunctas hujus cognoscere circi
Experto penitus partes, i, perspice stirpem
Istorum; at breviter loquere, haud ita multa rogando.
Dum redis, ipse superveniens monstrum alloquar istud,
Ne fortes humeros nobis praebere recuset.
  Sic quoque per caput extremum, quod septimus orbis
Finit, eo solus, gens moesta ubi fusa sedebat.
Illorum ex oculis dolor intimus erumpebat:
Hinc atque inde ipsi manibus succurrere tendunt

Adversus flammas, telluremque igne perustam;
Non secus atque aestate canes contendere contra
Et rictu et pedibus nituntur, ubi aspera morsu
Aut tafani, aut pulices, aut muscae vulnera figunt.
Atque ubi quorundam quaesivi lumine vultum,
Quos supra cadit ignis atrox, ego noscere quemquam
Haud potui; at peram e collo cujusque videbam
Pendentem, atque inerant perae rata signa colorque
Certus, et hinc oculos sunt visi pascere hiantes.
Utque ego perspiciens accessi, fulgere flavo
In loculo vidi glastum, os habitumque leonis
Effingens; oculisque meis cum longius irem,
Altera visa fuit mihi pera rubentior ipso
Sanguine, quam signat presso lacte albior anser.
   Ast unus, glaucae et magnae suis indice signo
Albentem loculum sibi qui distinxerat, inquit:
Hac tu quid facis in fossa? Jam hinc proripe gressum.
Et quoniam tu vivis adhuc, te scire jubebo,
Ut VITALANUS mihi proximus usque sedebit
Hic latere a laevo mecum. Cum civibus Arni
Ipse ANTENORIDES maneo, mihi saepe sonora
Qui voce et magnis tundunt clamoribus aures,
Summus eques veniat, dum dicunt, qui tria rostra
Afferet in loculo. Atque hic os distorsit, et extra
Produxit linguam, ut bos nitens lambere nasum.
   Tunc ego praemetuens, mora ne diuturnior illum
Taederet, brevibus qui me sermonibus uti
Jusserat, a lassis retro vestigia flexi
Umbris, invenique ducem, qui ascenderat atrae
Terga ferae, dixitque: Opus est jam pectore firmo,
His etenim scalis nos nunc descendere oportet.
Ascendas prae me; medius considere crevi,
Verbere ne possit te monstri laedere cauda.
Ut stat, quartanae cui frigidus imminet horror,
Pallentes gestans ungues, quatiensque tremore

Membra simul dentesque, cubat dum lentus in umbra;
Sic ego restiteram, dux haec ubi protulit ore;
At verba, ipsiusque minae incussere pudoris
Sat mihi, quod famulo vires solet addere coram
Lenis heri aspectu. Tunc illa in grandia terga
Insilui, suasitque animus sic dicere, sed vox,
Ut volui, haud venit: Fac des mihi brachia circum.
Atque is, saepe alias mihi qui succurrit, in altum
Fortis, ut insilui, me sustulit atque lacertis
Vinctum sustinuit; mox has dedit ore loquelas:
Geryoneu, fac te moveas jam, at larga rotando
Intervalla legas, nec multum accedito ad ima,
Respectaque novum, quod gestas tergore, pondus.
Ut cum cymba loco se submovet, ista retrersum
Et magis atque magis cedit: sic inde recessit
Paulatim abscedens; sed cum via libera nanti
Inventa est, ubi pectus erat, caudam ipse retorsit.
Protentaque illa, ex anguillae more natabat,
Brachiaque extendens ad se collegerat auras.
Majorem haud credo terrae incubuisse pavorem
Tempore, quo manibus Phaethon emisit habenas,
Unde hujus quoque adhuc coeli pars cocta videtur;
Nec quo se pennis miser Icarus exspoliatum
Sensit, ubi cera incaluit, clamante parente:
Est mala, qua pergis, via; quam mihi, cum undique totum
Libratum vidi jam corpus in aëra, et omnem
Aspectum exstinctum, praeter monstri horrida membra.
Interea ille natans magis et magis ire remisse
In gyrum, ac sensim descendere, nec datur hilum
Id sentire mihi, nisi qui mihi ventus in ora
Spirat, et inferius sub plantis. Gurges aquarum
Jam sonat horrendum ad dextram. Hic oculosque caputque
Despectans flecto. Tunc major me occupat horror
Ad strepitum; nam ignes aspexi hausique ululatus.
Quare ego contraxi coxas tremefactus utrasque,

Summa vi nitens. Dein, quod non viderat ante,
Visus ibi sensit, nos labi, et per mala multa
Atque ex diversa magis adventantia parte
Circumagi. Ut falco, postquam libratus in alas
Erravit, neque avem, revocantis signave nota
Vidit, cogit herum clamare: Heu laberis! alto
Descendit lassus centumque per aëra gyros
Molitur levis, atque animi tandem impos ob iram
A ductore procul considit et infremit acer:
Sic nos deposuit prope fundum Geryon illum
Rupis ad exesae radices, atque ibi utroque
Excusso evasit, ceu chorda missa sagitta.

XVIII.

Est locus, appellantque *malas* hunc nomine *bulgas*
Manes, de saxo totus, ferrugine nigrans,
Orbis ut est ripae, spatium qui amplectitur omne.
In media prorsus campi statione maligni
Stat puteus, barathrum qui labris cingit inane
Latum, immane, imum, cujus narrabitur ordo,
Tempus ubi adveniet. Reliqui ergo quod manet agri
Altam inter ripam et rigidam, puteumque jacentem
Magno intervallo praecingit forma rotunda,
Et per valla decem distinguitur infima vallis.
Sicut, ubi muros opus est defendere, qua se
Castellis multae, et multae undique circumfusae
Fossae protendunt, stat pars circumflua tuta:
Sic non dissimilem referebant illa figuram.
Atque ut ponticuli cujusque e limine turris
Externam attingunt ripam: ex radicibus imis
Rupis sic scopuli progressi valla recidunt
Et fossas usque ad puteum, hos qui obtruncat, et una
Colligit. — Hic, ubi nos excussit bellua dorso,
Restitimus. Vates laevam legit; ipse sequebar

Hunc pone. A dextra nova sese forma doloris,
Poenarumque novum genus, atque novorum
Arma ministrorum veniunt, queis bulga repleta est
Anterior. Nudi fossa spectantur in illa
Damnati. Ex media hinc venientes ora ferebant
Adversa, inde, ut nos, conversa, sed ocius ibant:
Sicut, ubi exactis complentur mensibus anni,
Romani ad stata sacra, quibus dant jubila nomen,
Invenere viam, qua pontem plurima turba
Hinc inde exundans transiret libera gressu;
Nam latere ex uno castello obversa, Petrique
Sancti templa petens it pars una; altera spondam
Pars aliam tenet ad montem vestigia flectens.

Hinc atque hinc saxum per tetrum Daemonas ire
Cornibus armatos, immani et verbere vidi
Vulneribus saevis illorum terga terentes.
Heu mihi, quam propere hos adigebant tollere crura
Ad primos crepitus plagarum! Jamque secunda
Verbera caedentum, vel tertia nemo manebat.

Cumque irem, offendere simul mea lumina quendam;
Atque cito dixi: Haud ab ea est jejuna figura
Nostra acies. Ideoque pedes, ut noscere possem,
Continui, ac dulcis mecum dux restitit atque
Annuit, ut retro paulum vestigia ferrem.
Ille autem caesus me fallere posse putabat,
Vultu demisso, parum at ipsi profuit astus;
Nam dixi: O tu, qui defigis lumina terrae,
Ni fallunt quae signa geris, Venedicus ille es
Caccianimico. Ad coenas tam acri sale salsas
Quisnam te ducit? Tum is: Non sponte ora resolvo;
Sed tua me cogit claro sermone loquela,
Propter quam antiquum mea mens reminiscitur orbem.
Ille idem ipse fui, qui vultu et corpore pulchro
Praestantem suasi Ghisolam dedere cuncta,
Marchio quae voluit, quidquid mala fabula cantet.

Sed neque ego hic solus de tot, quos Felsina mittit,
Lugeo, at iste locus tot jam completus abundat,
Ut totidem linguae nondum didicisse ferantur
Inter Savenam ac Rhenum modo dicere sipa.
Quod si digna fide ac verum testantia quaeras,
Fac animo nostrum perpendas pectus avarum.
  Haec fanti Daemon percussit terga flagello;
Atque: Hinc, dixit, abi, leno, hic mercabilis aere
Haud ulla est mulier. Comitem ipse subinde petivi.
  Progressi paulum, conscendimus egredientem
Ex ripa scopulum. Sed nos invenimus istum
Ascensu facilem, praeruptaque saxa prementes
Abscessu, aeternos anfractus liquimus illos,
Ad dextram versi. Sed cum devenimus illuc,
Dux, ubi pons vacuus manet infra, ne locus undis
Caesorum desit: Gressum modo comprime, dixit,
Fac male natorum feriant te lumina, et horum,
Quorum tu nondum potuisti cernere vultum,
Namque hi nobiscum venere. — Ex ponte vetusto
Vidimus alterius speculantes agmine turbae
Ex alia raptim nos contra occurrere parte,
Quos pariter fustis crepitanti verbere trudit.
  Tum bonus haec addit, me non scitante, magister:
Aspice magnum illum venientem, pectore nullum
Cui gemitum aut lacrimam dolor expressisse videtur.
Quantum is adhuc retinet formae regalis in ore!
Thessalus Aesonides ille est, qui mente animoque
Arietis aurato privavit vellere Colchos.
Venerat is casu Lemnum, cum, caede peracta,
Corpora cuncto virum per calles strata jacebant
Femineae turbae dextra, et crudelibus ausis.
Nutibus hic usus verbis et fallere doctis,
Dicitur Hypsipylae fucum fecisse puellae,
Femineo fucum quae fecerat ante furori.
Hic gravidam et solam liquit. Damnatus ob istud

Crimen, dat poenas istas; nec inultus obivit
Medeae deceptus amor. — Qui hac decipit arte,
Hunc sequitur. Sed ita hanc primam cognoscere vallem
Sit sat, quosque suo cruciatos carcere claudit.
Jam ventum fuerat, via quo se angusta secundo
Vallo decussat conjuncta et continet arcus
Alterius partem. Hic stantes audivimus agmen
In bulgae alterius tenebris immane gementum,
Rictu frendentum atque suis sibi pectora palmis
Plangentum. Horrebat mucosis obsita crustis
Ripa, etenim densus barathro effert se halitus illo,
Oppugnans oculos ac robur naris odorae:
Atque ita coecus erat sinus ille voraginis altae,
Ut locus, unde mei demisi lumina visus,
Non faceret satis. Ergo, qui supereminet, arcum
Legimus ascensu, et demersam stercore eodem,
Quod motum humanis credas exire latrinis,
In fossa vidi gentem. — Mihi quaerere aventi
Qui suberant, quidam apparet, cui merda fluebat
Sic capite ex toto et sic deturpaverat ora,
Ut scire haud possem, num aliquem tonsura ministrum,
Crinis an intonsus de nostris proderet unum.
Hic ille increpitans dixit: Quis te impulit ardor,
Ut me plus cupide aspiceres, quam plurima turbae
Turpia? Respondi: Quia te, ni fallor, Alexi,
Crine olim sicco vidi, quem nomine clarat
Gens Intermineï Lucensem. Quare ego visu
Te praeter cunctos quaero. Hic caput ictibus, ambas
In se convertens palmas, sibi tundere et ista
Mittere verba: Isthuc me deduxere loquelaë
Blandisonae, et nimium incautis palpantia verba,
Queis satura haud unquam fuerat mea lingua. — Fac ultra
Plus paulo inspicias, dux inquit, et ora tuere
Illius ancillae foedatae et crinibus hirtis,
Quae sibi coenosis misere secat unguibus artus.

Et modo se in talos inclinat, nunc stat utroque
In pede recta. Est haec Thais, lupa pessima, amanti
Respondisse suo quae fertur vocibus usa
Talibus: Est ingens tecum mihi gratia, quin est
Mira. — Atque hinc satiata acies sit nostra vicissim.

XIX.

O Simon mage, et o miseri hujus castra secuti,
Qui res divinas, summi quas ducere amoris
Dignum esset sponsas, et vos, suadente rapace
Ingluvie, ob lucrum audetis corrumpere, moechi,
Vos propter claro sonitu tuba clangat, oportet;
Tertia nam vobis substruxit bulga sepulchrum.
Jamque erat ascensu tumuli superata sequentis
Rupes, directe qua scilicet imminet altae
In medio scopulus fossae. O sapientia summa!
Oh quantum in coelo terraque elucet, et illo
Pessimo in orbe, artis! Virtutis munera juste
Dividis omnigenae! — Per ripae terga, per imi
Strata soli vidi liventia marmora crebris
Plena foraminibus, latis aequaliter: oris
Forma rotunda inerat cunctis. Minus ampla fuisse,
Nec majora reor, quae vidi, templa Joanni
Sacra meo ingressus pulcherrima, purus aquai
Humor ubi stabat hominem renovare paratus.
De quibus, haud ante haec multo, mihi contigit unum
Rumpere, ut extraherem quendam jam corpore mersum,
Interclusa anima; idque obsignet caetera, ut omnem
Dissipet errorem. Cujusque foraminis ore
Damnati exstabant pedibusque et cruribus usque
Ad suram. Interius pars caetera tecta manebat.
Omnibus igne incensus erat pes unus, et alter;
Quare convulsi jactabant impete tanto
Membra, ut rupissent ex torto vimine vincla.

Utque micare solent res unctae, atque vagari
Summam lambentes flamma tantummodo pellem:
Sic illic erat a talo usque ad pollicis unguem.
Tunc ego: Dic, doctor, quisnam is, qui sic furit, atque
Sese contorquet plus quam sibi proxima turba
Consors, et quem flamma magis rubra sugit adustum?
At contra: Si forte optas, ait ille, sub istam
Ripam, quae melius jacet, haud te ferre recusem.
De se deque suis malefactis ipse loquetur.
Res mihi sola placet, quae te juvat, huic ego dixi;
Tu dominus mihi, tu scis me discedere nunquam
Consilio optatisque tuis, scisque ipse, tacenda
Quae reor esse mihi. — Tum quarti culmina valli
Scandimus et laevi descendimus, infima fossae,
Plena foraminibus loca nec non arcta legentes.
Praeceptorque bonus sublatum pondere toto
Nondum me posuit, donec pervenit ad arcam
Ruptam sic misere, jactando crura, dolentis.
Quisquis es, heu, capite inverso qui membra superne
Inferiora tenes, anima improba, more modoque,
Quo in terra palus defigitur, haec ego fari
Coepi, fac prodas, est si tibi copia, vocem.
Adstabam ut frater, sua cum malefacta fatentem
Latronem auscultat fictum, qui, ubi figitur, aurem
Indulgentis adhuc poscit; quae caussa morandae
Mortis sola subest. Ille autem corde profundo
Clamorem ducens, inquit: Tune in pede rectus
Hic jam es, Bonifaci? Tune hic es jam in pede rectus?
Me plures annos igitur mentita fefellit
Pagina. Tam cito divitiis satiatus abisti,
Quas propter non es veritus tibi jungere fraude
Egregiam forma sponsam, quam deinde parabas
Perdere? — Non secus ac qui stans accommodat aures,
Non percepturus, sibi quae responsa rogatus
Reddit, ut illusus nescit, quae verba remittat:

Sic ego restiteram. At vates sic ora resolvit:
Ille ego, quem credis, non sum, dic ilicet, ille
Non sum. At ego, quae jussus eram, tunc verba remisi.
Hic plantas totis distorsit viribus ambas
Illa anima atque trahens singultum flebile fatur:
Quid me igitur poscis? Si te fert tanta cupido
Noscere me, ut ripam idcirco percurreris, audi:
Non me pontificale decus gestasse negabo;
Veraque caussa fuit, cur crederer editus ursa,
Tam cupidus catulos ad opes extollere summas,
Ut nummis illic loculum, hic mihi deinde pararim.
Sub capite at nostro, qui me anteiere, trahuntur
Simonis comites, in marmoris abdita rima
Membra coarctantes, pariterque ego labar in ima
Haec loca, ubi is veniet, quem te nunc esse putabam,
Cum subito audisti scitantem. At longius, ex quo
Hic coquor igne pedes, capite ex quo inversus ita angor,
Praeteriisse reor mihi temporis intervallum,
Quam cum candentes flammis defixus habebit
Ille pedes. Sed enim qua Sol juga prospicit orbis
Occidui mox adveniet mage turpia facta
Ausurus pastor, non ulla lege retentus,
Qui me, ipsoque simul detruso, contegat ambos.
Alter, quem memorant Machabaea volumina, Jason
Hic surget novus, utque suus tunc mollior illi
Rex fuit, haud magis asper erit rex Gallicus isti.
Nescio an hic amens fuerim, cum talia contra
Fudi: Dic, quodnam pretium tam grande poposcit
Petrum, ante arbitrio quam claves traderet hujus,
Christus? Me sequere! haud aliud certe ille petivit.
Nec Petrus, aut Petri socii jussere Mathiam
Afferre argentum, aut aurum, cum sorte trahebant,
Quam Judas male perdiderat, qui sede sederet.
Quare sic maneas, nam poenis jure gravaris,
Atque male ablati bene serva dona metalli,

Per quae saepe tuos expertus Carolus ausus
Dicitur; et nisi quae summas reverentia claves
Respicere hortatur, me fari plura vetaret,
Audisses verbis etiam gravioribus usum;
Vestra enim avarities omnes contaminat oras.
Per se quisque, bonos dum calcat, tollit iniquos.
Vos ita pastores fore sensit Apostolus ille,
Qui sibi visus erat meretricis cernere more
Regibus utentem, quae hinc atque hinc insidet undis,
Quae septingemino nata est cum vertice, quaeque
Cornibus ex denis duxit sua robora, donec
Virtutem huic juncto fama est placuisse marito.
Ex auro, argentoque Deum effinxistis in usus
Vestros. Ecquid enim jam vos discernit ab illo,
Qui Divum coluit simulacra? Id nempe, quod unum
Praecipuum ille habuit, vos centum in vota vocatis.
Eheu, quot genetrix, o Constantine, malorum
Inventa est, non jam quae te sententia vertit,
Sed dos, qua primum patrem cumulasse priorem
Diceris! — Ast alter, jam dudum me ista canente,
Sive furor stimulo seu mens hunc conscia agebat,
Fortiter ambabus calces propellere plantis.
Id credo placuisse duci, sic adstitit ore
Semper contento attendens, quae vera loquebar.
Quare complexus medium me sustulit ulnis
Ambabus, repetitque viam, quam legerat ante
Descendens, prae se ipse sinu me haud stringere lassus,
Ad summi donec fastigia detulit arcus,
Qua datur ex quarto ad quintum transcendere vallum.
Suaviter hic pondus dimisit suave, praealti
Ob durum scopuli dorsum, praeruptaque saxa,
Aspera quae capreis fuerit via; deinde tuenti
Alterius vallis patuit tenebrosa vorago.

XX.

Nunc nova poenarum species dicenda, meoque
Materies, praeter bis septem et quinque labores,
Invenienda operi est, hujus primordia cantus
Dum texo, memorans quos dicunt nomine mersos.
Reclusum fossae fundum speculabar, in illo
Totus, solliciti qui fletus imbre madebat.
Atque hic in gyrum per vallem incedere gressu,
Quo bini ire solent, qui nomen voce canora
Sanctorum repetunt, pagi dum compita lustrant,
Aspexi plebem tacitam lacrimasque cientem.
Ut paulo inferius coepit descendere visus,
Miris ora modis cuivis inversa videbam
A mento ad pectus, sinuosus ubi incipit ordo
Costarum. Nam omnes ad renes ora retorta
Gestabant, et erat pedibus via cuique terenda
Retrogradis, neque enim posita ante videre dabatur.
Vi morbi quidam, nervis fortasse solutis,
Inversum se sic a pectore novit; at istud
Haud unquam vidi, et nunquam evenisse putarem.
Si tibi dent Superi, mi lector, carpere fructum
Hoc opere ex nostro, per te modo mente voluta;
Quomodo ego ista genis potuissem cernere siccis,
Cum prope nostra mihi sic torta occurrit imago,
Ut quae rima nates interfluit, usque maderet,
Guttarum emittens oculis lacrimantibus imbrem.
Ipse quidem flebam, incumbens de cautibus uni,
Quae duro exstabat scopulo, cum farier infit
Dux ita: Te pariter stultorum de grege stultum
Inveniam? Hic pietas, ubi sit bene mortua, vivit.
Ecquis habendus erit mortali nequior illo,
Qui, quae jussa Deo stant judice, sustinet aegre?
Arrige nunc caput, arrige et aspice, terra dehiscens
Quem quondam absorpsit, Theba inspectante, suisque

Omnibus horrendum clamantibus: Quo ruis, eheu!
Quo ruis, AMPHIARAE, quid hic infecta relinquis
Bella? Sed ille tamen non destitit ire profunda
In loca, ubi Minos delapsum quemque revincit.
Aspice, ut ex tergo pectus sibi fecit; ob illam
Caussam, qua voluit nimium res ante videre,
Respicit, atque viam modo cogitur ire retrorsum.

Aspice TIRESIAM, qui mutavisse figuram
Fertur deque viro factus modo femina, dein vir,
Cuncta sibi vertit membra: ast iterum ante bacillo
Nexa simul duo serpentum huic caedenda fuerunt
Corpora, quam plumas posset revocare viriles.

Sed qui, pone legens hujus vestigia, tergo
Ipsius sese ventri fert obvius, ille est
ARUNS, qui quondam se in montibus abdidit altis
Lunae, ubi suppositus Carrarius accola runcat.
Huic tectum spelunca fuit de marmore cano,
Unde ingens patuit speculanti pontus et aether.

Quaeque tegit mammas, quas non est cernere nobis,
Crinibus effusis, pars illinc quaeque pilosa
Cui patet, est MANTO, quae plurima regna petivit,
Dein, qua me genetrix peperit, se in sede locavit:
Quare pauca libet, te aures praebente, referre.
Haec ubi persolvit defuncto justa parenti,
Passaque servitium est quae olim cunabula Baccho
Urbs dedit, ipsa diu fuit errabunda per orbem.
Illic, Italiae formosa ubi panditur ora,
Infra Alpes lacus est, qui te, Germania, claudit
Tirolum super, et Benacum nomine dicunt.
Per mille et plures hunc credo crescere rivos,
Gardam inter Camunosque et nubiferum Apenninum,
Atque undam intumuisse, lacu quae stagnat in isto.
In medio locus est, quem dux gregis, atque magister,
Sive Tridentinus, seu qui te, Brixia, seu qui
Te, Verona, colit patriam, describere posset,

Hoc ubi iter tereret. Piscaria, pulchra potensque
Arx, opere egregio fortis, sedet, obvia genti
Borgomeae obsistens, et si quid forte moveret
Brixia. Ubi circum plus ripa inclinat, oportet
Ut tota unda cadat, quae sese in gurgite vasto
Benaci haud capit: haec labens per pascua laeta,
Nomine Benaci posito, fit Mincius amnis,
Donec Acroventum delabens exilit amplum
Eridani in gremium. Spatii nec conficit unda
Longum, nam lamam offendens, spatiatur in ista;
Inde palus oritur, quae aestivo tempore saepe
Obfuit. Hinc ubi transgressa est illa aspera virgo,
Atque oculis inter limum undique circumspexit
Culturae expertes agros, nudosque colonis;
Ut cuncta humanae fugeret commercia vitae,
Illic cum turma servorum restitit, artes
Tractatura suas, vixitque et corpus inane
Deseruit. Tunc turba virum dispersa per agros
Convenere, locumque fimi munimine cinctum
Elegere, urbemque his ossibus impendentem
Construxere manu, cui Mantua nomen ab illa,
Quae tum prima locum legit, sine sorte remansit.
Hanc olim major celebrabat copia vulgi,
Ante nimis stolido quam subdola verba dedisset
Laudensi Alberto Pinnamon; quare ego vellem
Hoc te praemonitum, ne, si quis forte paternae
Diversum genus esse urbis confingeret, ullum
Commentum fraudet quae vere dicta notasti.
   Tunc ego: Praeceptor, dixi, sic certa locutum
Te reor, atque fide sic res narrata potita est,
Ut mihi restinctus foret altera fabula torris.
At quae procedunt, mihi narra examina gentis,
Si qua tibi ante oculos occurrit digna notari
Umbra, id namque unum nostra stat mente repostum.
   Tum dux: Ille, genis, inquit, cui prominet hirta

Barba, nigris affusa humeris, fuit incola terrae
Tempore, quo se tota viris sic Graecia vidit
Nudam, ut per cunas vix corpora pauca manerent.
Dicitur hic augur, socio Calchante, fuisse
Sortitus tempus, quo primum incidere funes
Aulide fas esset; quem nostra tragoedia cantu
Sublimi vocat Eurypylum; nec scire negabis;
Nam tibi, quanta fuit, lecta est ac tradita menti.
Ille alter, laterum sic pauper, Scoticus ille est,
Cui Michael inerat nomen, qui ludere fraudes
Vere doctus erat magicas. Agnosce Bonatti
Guidum atque Asdensem. Supero quam vellet in orbe
Et corium tractasse et contortam pice stuppam!
At frustra hunc facti modo poenitet. Aspice pravas,
Quae digitis dicuntur acum radiumque columque
Excussisse suis, et se voluisse vocari
Vates, carminibusque herbisque et imagine inani
Usae. Sed jam tempus erit discedere; et ecce
Chain ac spinae bifidae confinia sphaerae
Ima tenent, undam et tetigere sub Hispalis ora.
Et nocte hesterna jam pleno fulserat orbe
Luna; etenim meminisse potes, tibi noxia quando
Non fuit, ingresso silvae loca nigra profundae.
Haec ille. Interea sic fantem ego pone sequebar.

XXI.

Sic ponte ex alio atque alio, diversa locuti,
Quae mea non ducit comoedia digna relatu,
Venimus ad culmen. Placuit tunc sistere gressum
Visuris barathrum bulgarum immane malarum,
Quod remanet, vanoque alios conamine questus;
Et loca conspexi miro suffusa nigrore.
Sicut apud Venetos, ubi stant navalia bruma
Canente, ebullit pix nigrans, apta tenaci

Glutine restaurare rates, queis membra fatiscunt,
Tempore, quo nequeunt pelagus tentare protervum;
Proque labore viae navem struit iste novellam,
Ille peragratae longum vada caerula cymbae
Obturat costas, proram ille repercutit, ille
Puppim, remos ille polit, tenet iste rudentes,
Vela minora alius, majoraque carbasa sarcit:
Sic, non vi flammae, divina at numinis arte
Illic fervebat pix densa atque undique ripam
Conspergens visco. Hanc potui modo cernere, in illa
Non potui, praeter spumas, cum turgida ab aestu
Tota insurgebat, donec compressa sederet.
  Hoc ego in obtutu cum lumina fixa tenerem,
Dux: Caveas, caveas! inquit, meque inde retraxit,
Pes ubi constiterat. Tum verti lumina retro,
Non secus ac sibi qui sero vidisse videtur
Quae novit fugienda, timor cui protinus artus
Debilitat, quem visa fugae dare terga morantem
Non faciunt; et post aspexi Daemona nigrum
Summa ascendentem scopuli fastigia cursu
Praepete. Et, heu, quantum feritatis in ore ferebat!
Quam mihi visus erat furiis agitatus acerbis,
Expandens alas, et vix tangens pede terram!
Alte assurgentem huic humerum, qui erat asper, acutus,
Damnatus quidam coxis onerabat utrisque,
Isque pedum huic nervum violentius ungue tenebat.
  Nostri custodes pontis, socii unguibus acres,
Clamabat procul, ecce hic e senioribus unus
De Sancta Zita: sontem supponite, post hunc
Prensurus reliquos mox ipse revertor ad illam
Terram, his magnifice popularibus exornatam.
Quisque etenim, excepto Bonturo, est fallere doctus:
Namque per hanc minime fit maxime, ubi imperet aurum.
Atque isthuc projecit eum, perque ardua duri
Flexit iter scopuli, nec dempto fune molossus

Unquam tam rapido furis vestigia cursu
Pressit. Is et mersit sese, atque humerum extulit inde;
Quique hostes nigri stabant sub rupe latentes,
Clamarunt: Nil hic Divae facit inclita imago;
Hic aliter nandum est, quam ubi friget Saeculus unda:
Et nisi vis nostris laniatos unguibus artus
Ferre, superjecta pice desine velle levatus
Plus aequo eduxisse caput. Dein millibus uncis
Arripuere simul miserum, sic ore locuti:
Hic te submersum in numerum jam ludere oportet,
Laeva ut furtive utaris, si copia detur.
Non aliter famulata coquis plebs uncta jubetur
Uncis exstantes carnes demergere aheno.
  Optimus at ductor: Ne quis te advertat adesse,
Inquit, post scopulum, unde aliquid sperare latenti
Praesidii possis, jaceas depressus, et unquam
Ne timeas, quidquid mihi triste parare videbis
Daemonas; haec alias etenim mihi nota fuere
Experto hanc pugnam. Deinde ulteriora petivit
Pontis, et ut sextae tetigit confinia ripae
Labra, animis opus huic fuit uti, et fronte minarum
Secura. Quantus furor urget, quanta procella
Irarum rabida ora canum rapit, agmine facto,
Adversus stantem, subito quem poscere egestas
Hortatur panem: tantus sub ponte latentes
Impetus egressus custodes egit in illum,
Undique circumseptum armis, atque omnibus uncis;
Queis ait inclamans: De vestris nemo sit acer,
Atque prius nostros quam vester ceperit artus
Uncus, de vestris coram sese efferat unus;
Ac si tantus amor caedendi est, tum rotet arma.
Clamavere simul cuncti: Malacauda propinquet!
Quare unus subiit, dum constitit altera turba,
Minciademque adiens, Quidnam velit ipse? rogavit.
Num, Malacauda, putas huc me venisse, — loquelas

Has dedit ore sophus, — securum, atque omnia contra
Tela tuae turmae tutum sine numine rerum
Cunctarum domino, fatove juvante benigno?
Me sine tendere iter, nam vult suprema potestas,
Ipse oculo alterius regna haec teterrima monstrem.
  Tum sic huic animi cecedit fiducia, ut uncum
Concidere ante pedes sineret, sociosque juberet
Abstinuisse armis. Me vero hac voce vocavit
Dux meus: O tu, qui latitas sub rupe cavata
Compressus, refer huc reditum formidine pulsa.
Quare mox veni egressus. Tunc adstitit ante
Tota inimica cohors sic, ut mens icta pavore
Deficeret, metuens ne auderent frangere pactum.
Sic pedites vidi pallentes ora timore,
Cum pacti exirent Capronae ex moenibus arcis
Et tot conspicerent armorum millibus hostes
Contra se accinctos. — Accessi corpore toto
Ductorem propius, nusquam mea lumina ab ore
Detorquens horum, mihi non jucunda ferentum.
Alternis uncum declinans quisque fremebat:
Vis uropygium huic tangam? cui caetera turba:
Sane, ait, experiare, an sit penetrabile telum.
  At qui ductorem interea sermone tenebat
Daemon prosiliens: Absiste, absiste moveri,
Scarmalio, dixit; dein nobis edidit ista:
Hunc propter scopulum ulterius procedere non est;
Arcus enim sextus jacet a fundamine totus
Excisus. Sed pergere iter si certa voluntas
Vos fert, hoc antri summum superate cacumen:
Hic prope prona viam vobis dabit altera rupes.
Sub lucem hesternam, quinta paulo amplius hora
Post hanc, et bis sena prius quam saecula coelum,
Senosque undecies expletis orbibus annos
Vertisset, rupta ista via est. Modo de grege nostro
Hos mitto, ut videant, num quisquam emergat ad auras

Furtim; vos comites his addite, sed timor absit;
Non hi corda gerent in vos truculenta ministri.
Calcabrina, adsis, Cynisarpagos, Alicchine;
Cum Cynimega adsit Ciriattus dente timendus,
Inquit, bis quinos duc, Barbacrispe, sodales,
Tuque, Draghignacci, simul, et Libicocche, propinqua;
Farfarulus se addat, Rubicusque furore protervus.
Jam spectate simul picea ferventia spuma
Stagna, hosque incolumes ripam mihi ducite ad illam,
Quae superimpendens aliis tota incubat antris.
Heu mihi, quid video, praeceptor? pectore vocem
Hanc rupi, quaeso, nullis ducentibus, istud
Suscipiamus iter soli, si semita nota est;
Namque duces mihi non posco. Si mente sagaci es,
Ut prius; anne vides, ut frendunt dentibus atris,
Utque supercilio minitantur pessima nobis?
Is mihi respondens dixit: Jam mitte timorem;
Hos sine pro lubito ringi. Nam signa per ista
Elixos pavitare jubent sua damna dolentes.
Illi iter ad ripam versi flexere sinistram;
Verum quisque prius linguam sibi dentibus arcte
Presserat, adversus ductorem his nutibus usus;
Atque erat huic tibicen, qui inflaret classica, podex.

XXII.

Jam vidi ipse equites discurrere, et ordine inire
Certamen seseque pares ostendere in armis,
Saepe fugae tergum nudare et quaerere tuta.
Vidi excursores in vestram irrumpere terram,
O Aretini, et latronum more ruentes
Ludere quosdam armis, pugnae et simulacra cieri
Nunc cornu, modo Campani tinnitibus aeris;
Tympana pulsa aderant, castellis edita signa,
Instrumenta domi inventa atque aliunde petita:

Nec mihi jam audita est adeo praepostera bombo
Fistula, ubi pedites equitesque accedere vidi;
Talia non terram, aut stellam monuere carinas
Indicia. — Interea sic agmine Daemoniorum
Bis quino cincti (heu comitatus effera turba!)
Nos molimur iter nostrum. Sed templa petenda
Cum sancto veniunt, et cum lurcone tabernae.
At mihi pix animum totum retinebat, ut hujus
Bulgae introspicerem penitus claustra omnia et omnem
Circuitum, nec non gentes, quas aestus adurit.
Non secus ac signum delphines tergoris arcu
Dant nautae, ut caveat properetque reducere pinum:
Sic quandoque aliquis, captans leniminia poenae,
Dorsum ostendebat de sontibus, atque sub aestu
Spumarum piceo celabat fulguris instar.
Ac veluti ranae stant fossae in margine aquoso
Ora objectantes, pedibusque et corporis omni
Parte latent: haud dissimili ratione modoque
Undique damnati stabant. Ut adesse videbant
Jam Barbacrispum, retrahebant ilicet artus
Sub spumam. Vidi, et me nunc quoque concutit horror,
Cunctatum quendam, sic, ut forte accidit, una
Cum rana effugiens elabitur, una moratur;
Quique aderat propius contra Cynisarpagos isti
Glutine concretos crines convolvit, et ipsum
More lutrae extraxit. Cunctorum ego mente tenebam
Nomina, ubi lecti fuerunt, nam quemque notavi,
Et qua quisque alium vocitasset voce, sciebam.
Injicito huic ungues, Rubicas, simul ore fremebant
Tristes, donec eum glubas. — Tum talia fudi:
Si licet, o sapiens, fac quaeras, qualis et unde
Sit miser hic, manibus quem sors objecit acerbis
Hostilis turmae. Tum dux accessit et illum
Scitatus, quis sit, tulit haec responsa: Parentes
Me Navarensem civem genuere, deditque

Mater hero servum perverso me patre natum,
Qui bona cuncta domumque suam male perdidit, et se.
Deinde aulam accessi, regnum moderante benigno
Thebaldo, atque isthic studui me dedere technis,
Pro quibus hoc poenas cogor persolvere in aestu.
Sed qui ore exstantem parte ex utraque gerebat,
Sicut aper, dentem, Ciriattus ungue rigenti
Hunc docuit, quam artus laniaret vulnere acerbo.
Inciderat feles inter, mala saecula, sorex.
Hunc Barbacrispus complexus utrisque lacertis:
Quisque, ait, absistat, dum furca ipsum male mulco!
Deinde ad doctorem conversus, talibus infit:
Si quid scire optas ultra, scitare, priusquam
Hunc alius perdat. — Reliquos ergo incipe sontes
Dicere, doctor ait; num quemquam sub pice nosti
Ex Latio? Is contra respondit: Nuper abivi
A quodam, vestris qui non procul abfuit oris;
Sic ego nunc una tegerer, nam haud cogerer unguem
Horrere aut uncum. At vero Libicoccus ad ista:
Hunc, dixit, tulimus nimium; et furca arripit ulnam;
Cumque ita saeviret, fractum tulit inde lacertum.
Aspra Draghignacci voluit manus infima crurum
Prensare; at circumspiciens stetit ore severo,
Qui praeerat. Postquam paulum repressa quievit
Turba, moram abrumpens praeceptor voce rogavit,
Vulnera adhuc sua spectantem: Quisnam ille vocatur,
A quo digressum te dicis tempore tristi,
Oras ut caperes? — Gomita est nomine, Frater
Ille ex Gallura, vas omni fraude refertum;
Prae manibus qui habuisse suis hostilia fertur
Arma parata suum in dominum, sed, qui illa gerebant,
Hostes pro facto hunc laudant; nam pondere captus
Auri, ut et ipse inquit, passus fuit ire solutos.
Non fuit hic humilis fraudator, at ordine princeps.
Utitur hoc Michael (Logodurum patria Zanchen

Quem vocat), atque istis nec vox nec lingua loquendo
De Sardis unquam lassa est. Ast heu mihi fesso!
Aspicite hunc alium frendentem. Dicere averem
Ulteriora, sed hunc metuo, ne saeviat ungue.
  Tum magnus princeps, ut vidit torva tuentem
Farfarulum, atque artus pavido laniare parantem:
Accede huc, mala avis, dixit. Tunc territus ille
Sic fari pergit: Si rursus corde cupido
Fert fantes audire, et coram cernere vultus
Thuscos, quosque Padi una atque altera ripa tenebat
Cives, arcessam; ast exercitus unguibus acer
Cesset, ne ultores metuant. Hic ipse sedendo,
Nomine pro unius, qui sum, hinc exire jubebo
Septem, cum, sicut mos est caput emittentum,
Sibila nota dabo. Audito sermone, levavit
Rictum quassavitque caput Cynimega locutus
Sic: Audi technam, quam secum versat, in ima
Ut se dejiciat nostri securus. — At ille,
Multorum dives laqueorum, talia contra:
Egregiis vero technis instructus abundo,
Respondit, majora meis cum damna procuro.
Sed non usque adeo mens perstitit Alicchini,
Atque alios contra dixit: Si stagna subibis,
Non cursu incurram, alarum sed utrumque movebo
Remigium, pice torrentes instans super undas.
Linquamus collem, tibi sit tutamine ripa:
Num tu plus valeas, an virtus nostra, videre est.
  O tu, qui legis ista, novum nunc accipe ludum.
Quisque oculos alio ex scopulo convertit, et ille
Primus, qui hanc mentem est magis aversatus acerbe
Tum Navarensis conamen tempore sumens
Sat scite, pedibus terram pulsavit, et uno
Ictu oculi assiliens, stagnum se injecit in imum,
Ac se subduxit meditanti atrocia turbae.
Hoc casu confossi omnes; verum acrius ille

In primis, qui caussa fuit: Quare ilicet urgens
Clamavit: Jam, jam teneo! At leve pondus habebant
Voces, namque alis praevertere posse timorem
Non licuit. Subit ille; arrectus corpore toto,
Iste supervolitans instabat. Ita obruit undis
Corpus anas, findente auras falcone propinquo,
Isque furens ira, et fractus petit aethera rursus.
Ludum indignatus mox Calcabrina volatu
Hunc sequitur, tacite gaudens, quod fugerat alter,
Jam cupidus conferre manus. At ubi improbus omnem
Evasit casum, socii petit unguibus ora,
Arripuitque simul fossam super. At fuit ille
Accipitri similis praedanti, unguesque rapaces
Immisit contra, revolutusque unus et alter
Decidit in medii ferventia glutina stagni.
Protinus hos aestus dirimens defendit, at inde
Surgere nulla dabant conamina, ita haeserat alis
Concreta viscum pice. Barbacrispus acuto
Vulnere cum reliquis percussus, quattuor ad se
Evocat ex alio clivo, simul omnibus armis
Instructos, propereque. Ast illi hinc inde volando
Lapsi, devenere locum, viscoque revinctos
Appetiere uncis, nam coctos crusta tegebat.
Hos sic implicitos est nobis linquere visum.

XXIII.

Nos taciti, soli, ac nulla comitante caterva,
Vadimus, et praeeunte uno, pone ambulat alter,
Quales, quos nostri Fratres dixere minores,
Egressi incedunt. Animum mihi fabula movit
Aesopi, historiam ranae murisque canentis,
Propter praesentem rixam, quae convenit aeque
Ac nunc atque modo. Namque huc concurrit utrumque
Exemplum, fixa si quis componere mente

Principium et finem recte velit. Utque frequenter
Res alia ex alia emergit, sic inde suborta
Cura nova est animo, primam formidinis umbram
Quae duplicem ostendit. Namque haec ego volvere mecum:
Isti nos propter decepti fraude, tulerunt
Et damna et ludum, et sic, ut taedere furenter
Hos credam. Si forte malis accesserit ira
Ingeniis, in nos crudelius irruet hostis,
Quam canis in leporem, quem primum contigit ore.
Tum sensi subito arrectos mihi stare capillos,
Horrescens totus, tum pone secutus euntem
Intendebam aures, ac talia denique fudi:
Ni te meque cito celas, male ab unguibus acrem,
Dux, turbam extimeo; jam hostes post terga propinquant:
Hos mihi sic fingo, ut videar jam audire tumultum. —
Si speculum ipse forem, non ad me externa referrem
Tam vultus simulacra tui, quam pectoris ima
Sensa, ait, insculpo; perque haec simul ipse vagabar
Tecum, hunc ipse ferens gestum similemque figuram;
Quare unam feci mente ex utraque. Sed iste
Dexter ubi jaceat sic mons, ut copia detur
Descendendi aliam in bulgam, quem fingimus, hostis
Effugere incursum dabitur. — Vix desiit istud,
Reddere consilium, cum vidi accedere pansis,
Haud procul hos, alis nos captum. Matris ad instar,
Cui somnum excussit rumor, cum incendia cernit
Proxima, quae, arrepto nato, fugit incita, nec stat,
Plus isti metuens, dum uno se velat amictu,
Quam sibi; dux cito me prendit, ripaeque rigentis
Ex alta sese misit cervice supinum
Erga impendentem scopulum, quo clauditur unum
Alterius bulgae latus. Haud unquam unda canali
Ocius exsiliit, terrestris volvere jussa
Orbem pistrini, propius illapsa batillis,
Quam meus hic sapiens hujus per lubrica valli,

Pectore me portans comitem non ut comes alter,
Sed veluti natum genitor. Vix intima fossae
Contigerant plantae, cum jam super adstitit hostis
Insidens clivo, sed nil erat inde timoris;
Provida nam summi sapientia numinis istos
Quintae praefecit fossae imposuitque ministros,
Sed non inde dedit vestigia posse movere.
Illic inventa est gens infucata, graduque
Tardo aegre reptans, quae circum largiter imbre
Rorabat fletus oculos, vultuque ferebat
Se lassam ac victam. Demisso ante ora cucullo
Tegmina pendebant istis, quo more lacernas
Consutas monaci suerunt adhibere Coloni,
Exteriusque auro visum fallente micabant.
At plumbo interius quacumque ex parte rigebant,
Sic gravia, ut paleae fuerint de stramine habendae
Vestes Fridrico miseros torquente repertae.
O perpessu asprum tegmentum tempus in omne!

Nos pariter laevi passus defleximus una
Conjuncti arrectique ad tristis murmura luctus.
Pondere lassa suo sed gens ea lenta movebat
Sic raro passus, novus ut comes ire viderer,
Unum ubi promoram femur. Hic ego talibus orsus,
Ductori dixi: Fac coepto, aut nomine notum
Invenias quendam, atque oculo undique circumspecta,
Dum sic incedis. — Sed, qui cognovit Hetruscum
Sermonem, quidam post tergum tollere coepit
Exclamans vocem: Plantas retinete, citatas
Per caligantem cursu sic praepete ripam!
Forte a me disces, quae poscis. Lumina retro
Dux, his auditis, vertit, sic ore locutus:
Fac maneas ac dein passu procede secundus.
Restiti, et ecce duos vidi praepandere vultu
Magnum animi ardorem mecum properantis adesse;
Verum hos tardabant et pondus, et arcta viarum.

Tandem ubi perventum est, valde me lumine torvo
Conspexere ambo muti, dein vertere vultus
In se, et sic fari secum: Hic spirare videtur,
Guttur ubi aspicio. At si mors absumpsit utrumque,
Quae lex priva stolis gravibus dedit ire solutos?
Deinde mihi: O, qui, Thusce, potes collegia inire
Intima, ubi tales dat tristis hypocrita poenas,
Qui sis, effari ne dedignare rogatus.
  His ego: Jucundi prope ripam fluminis Arni
Magna urbs me vidit prognatum crescere in annos
Plures, quosque habui semper, gero corporis artus.
Sed vos qui tandem, queis tanto lumina fletu
Exstillant, quantum ex vestro patet ore doloris?
Quae vos poena premit sic fulgens? — Ora resolvens
Ex istis unus, respondit: Tegmina flavae
Vestis ita solido stant plumbo, ut pondera lances
Sic stridere suas cogant. Nos Felsina in auras
Edidit, ac fuimus Gaudentum de grege Fratres,
Iste LODERINGI, CATALANI ego nomine notus,
Quos tua terra duos praefecit, ut ante solebat
Unum, sic pacem sperans se posse tueri.
At fuimus tales, ut adhuc vestigia nostri
Praeferat imperii Gardingus. Ego edere vocem
Hanc coepi: O Fratres, mala vestra... Haud plura locutus;
Namque mihi ante viam tendenti lumina quidam,
Quem terrae fusum palorum trina tenebat
Vis cruci inhaerentem, fuit obvius. Undique totum,
Me viso, se distorsit barbamque senilem
Sufflabat, graviter suspiria pectore ducens.
  Quod cum sensisset CATALANUS, talia fando
Commemorat: Quem tu confixum conspicis isthic,
Ipse PHARISAEIS consultus reddidit istud
Verbum: Pro populo dare poenas expedit unum:
Perque viam positus transverse, ut cernis, et omni
Nudus veste jacet, perpendere pondera jussus

Huc intendentum passus praeterque meantum.
Nec socer huic aliter fossa cruciatur in ista,
Turbaque, consilium quae caetera inivit iniquum,
Ex quo JUDAEIS sementis pessima venit.
  Tunc ego MINCIADEM vidi pallescere vatem,
Mirantem infami fixam trabe corporis umbram,
Tam turpe opprobrium passuram tempus in omne.
Tum sic Gaudenti: Haud pigeat, ni forte vetaris,
Dicere, an ad dextram jaceant aliqua ostia, per quae
Exitus ambobus sit pervius, ante ministros
Quam nos cogamus nigros hinc tollere utrumque.
  Ille autem: Propius, quam speras, obvia rupes
Circuitu ex magno prodit, vallesque per atras
Ire dat, attingens omnes. Tamen excipe ruptam
Istam, quae bulgae non contigit intervallum;
At per congeriem saxorum perque ruinam,
Quae jacet acclivis superansque assurgit in altum,
Ascensus dabitur. — Paulisper lumina doctor
Fixa solo tenuit, dein sic est ore locutus:
In nostrum malus auctor opus fuit ille, recurvo
Qui sontes illic damnatos corripit unco.
Atque iste: Audivi jam, cum me FELSINA haberet,
Plurima Daemonii vitia, inque his, fallere doctum
Cognovi et fictum, commentorumque parentem.
  Exin dux properante gradu digressus abivit,
Ora gerens ira paulum turbata. Gementem
Immani abscedens liqui sub pondere turbam,
Carorumque pedum pedibus vestigia legi.

XXIV.

  Illa ubi pars anni est parum adhuc aetate vigentis,
Qua sol sub pluvio Ganymedis sidere crines
Temperat, ad medium ac festinant jam ire diei
Noctes, cum faciem delapsa pruina sororis

Fingit canentis, sed non durabile acumen
Est calamo istius; re deficiente, colonus
Corripit ex stratis membra, et prospectat et agrum
Totum albere videt nivibus, quare femur icit:
Deinde domum redit, ac replet loca cuncta querelis,
Ut miser, ignarus, quid agat; mox rura regressus
Lustrat, spemque iterum condit, mutata revisens
Hora cuncta brevi, pecudesque ad pascua sumpta
Compellit virga. Haud aliter mihi corda timore
Concussit sapiens, turbata ubi fronte videbam
Ipsum, sed tribuit prompte mihi pharmaca laeso.
Qui, cum corrupti ventum est ad diruta pontis,
Ipse oculos in me convertit dulce micantes,
Qualis se obtulerat primum sub monte videndum.
   Quaedam molitus secum, inprimisque ruinam
Luminibus tacitis emensus, brachia pandit,
(Haec etenim potior visa est sententia menti)
Et me corripuit. Tunc qualis qui audet et ausum
Aestimat, usque sibi qui prospexisse videtur:
Sic me correptum saxi ad fastigia tollens,
Quod pars exstabat non exiguissima rupis,
Frustum aliud scopuli circumspectabat acuti,
Sic fatus: Manibus deinde hoc prensabis aduncis;
At prius, an valeat libratum ferre, retenta.
Ista lacernato via non tentanda veniret;
Nam vix, ille levis, post tergum ego adactus, in altum
Qua reptare dabat saxi angulus, unus et alter
Quivimus ascensum petere, et ni forte fuisset
Hac multo brevior septi altera ripa sequentis,
Nescio ego hunc, ast ipse manus superante dedissem
Asperitate viae victus. Verum infima campi
Cum puteus teneat, puteique impendeat oris
Totum bulgarum spatium hoc immane malarum,
Quisque situs vallis fert unum surgere septum
Altius opposito. Nos ad fastigia summa

Venimus, unde silex se extremo in vertice scindit.
Sic pulmonis erat mihi vis emuncta micantis,
Cum super evasi, ut gressum ultra ferre nequirem,
Quin imo sedi quam primum. At talia doctor:
Sic est discutienda tibi socordia mollis;
Nam qui suffultus pluma tectusque torali
Desidet, ad famam haud ascendit, qua sine vitam
Qui peragit, de se vestigia talia linquit,
Qualia in oceano spumae, vel in aëre fumus.
Quare fac surgas; vincatur pectoris angor
Qualemcunque animo praesenti vincere pugnam,
Ni sese ipse gravi pariter cum corpore sternat.
Jam nobis opus est mage longas scandere scalas:
Nec satis abscessisse isthinc; si missa per aures
Accipis aequo animo, tu ne sine inania abire. —
Tunc ego consurgo, et me vi majore paratum
Jacto, at qua non ipse mihi pollere videbar;
Atque: I prae, dixi, nam animo sum et robore firmo.
Sic nos per scopuli salebrosa, angusta, maligna
Atque accliva magis, quam quae fuit altera ripa
Victa mihi, ascensum petimus. Neve ipse putarer
Debilis, ore dabam, pede perrepente, loquelas.
Quare vox alia ex fossa mihi venit ad aures,
Verba edens hominis non convenientia linguae.
Nescio quid dixit, quamquam impendentia fossae
Terga arcus premerem, qui dat transmittere cursum
Illuc; at visa est hominis vox illa furentis.
Intendebam oculos pronus; sed lumina viva
Obscurae haud poterant pervadere ad infima vallis;
Quare ego ductori: Fac prendas altera ripae
Culmina, nec mecum pigeat descendere muro;
Namque, ut ego hic sonitum accipio, nec percipit auris
Quidquam, sic illic video, sed nulla facultas
Noscere dat quemquam. — Ulla tibi haud responsa remitto,
Praeter, ait, factum; nam si quis poscit honesta,

Huic indulgendum tacite est factoque favendum.
Nos capite ex pontis, quo ripae jungitur orbis
Octavus, lapsi descendimus, et mihi bulga
Tum manifesta fuit, stipatumque intus acervum
Serpentum vidi horribilem, queis forma genusque
Sic inerat varium, ut revocantem talia mente
Sanguis adhuc fugiat. Non se, non jactet arenas
Africa tota suas. Nam si jaculosque chelydrosque,
Et phareas cenchresque haec gignit et amphisbaenam,
Nec tot tamque malas pestes haec edidit unquam
Cum terra Aethiopum, cum Nilo flumine et omni
Reptilium specie, rubrum quae continet aequor.
Monstrorum huic generi foedo commista ruebant
Corpora nudata, ac domitae formidine gentes,
Queis spem nulla dabat latitandi rima, nec illa
Mira Gygae quondam in gemma sat cognita virtus.
His post terga manus serpentum vincla ligabant,
Qui se per renes cauda et capite insinuabant,
Anteriora hominis complexi nexibus arctis.
Atque ecce ex istis unum prope littora nostra
Invasit serpens et acuto dente momordit,
Qua cervix humeris vincitur juncta superne.
Non *o* tam subito quisquam, aut *i* scribere quivit,
Quam subito iste fuit flammis incensus et arsit,
Et delabenti in terram considere toti
Huic opus in cinerem fuit. Utque absumpserat ignis
Hunc ita humi fusum, sese collegit in unum
Tum cinis, et per se mox formam sumpsit eandem,
Quae prius exstiterat. — Sic et phoenica fatentur
Nobilitate sophi insignes occumbere morti,
Deinde iterum nasci, cum explevit saecula quina.
Non isti gramen, non isti pabula praebent
Fruges, sed thuris lacrimae, sed succus amomi;
Myrrhaque cum spica nardi dant ultima strata.
Atque ut qui procumbit humi male conscius ipse

Casus, atque sui (sive hunc vis Daemonis atri
Detrahat in terram, sive obstruat ostia mentis
Morbus, membra ligans), ubi surgit, lumina circum
Se volvit, totus cruciatibus exanimatus,
Inspectansque oculis suspiria pectore ducit;
Talis, ut arrexit sese, fuit improbus ille.
O justa ira Dei, quanta gravitate severa est,
Quae sic horrendis furit ictibus ulta dolorem!
Tum dux hortatur fari, quibus editus oris,
Quis sit; at ille inquit: Defluxi ex aethere Hetrusco
Nuper in hanc faucem diram. Mihi vivere vitam
Non hominis placuit, pecudum sed more ferarum,
Ut mulo, qui et eram. Sum Vannes Fuccius ille,
Bellua, cui dignum Pistori nota cubile
Urbs fuit. Hunc, dixi, ne nos ita linquat inanes
Rerum diffugiens, ora, dux atque magister,
Atque roga, quae caussa istud detrusit in antrum;
Namque illum novi bacchatum in sanguine et ira.
Nec tamen, auditis istis, simulare, sed in me
Osque animumque suum damnatum vertere vidi,
Atque simul totum tristi erubuisse colore.
Quod me deprendis poenarum vortice tanto
Mersum, ut et ipse vides, gravior me cura remordet,
Inquit, quam cum me superis mors abstulit oris.
Quod petis, abnuere haud possum. Tam proxima centro
Haec me bulga tenet, quod furtim ex aede sacrata
Surripui argentum, gemmisque rigentia vasa;
Quare alius nostrum in crimen sine crimine venit.
Sed ne gaudenti liceat tibi nostra tueri
Ora, ubi fas unquam tibi sit loca linquere nigra,
Quae modo praedico, reseratis auribus audi:
Pistori primum macrescunt oppida Neris,
Dein renovat gentes, renovat Florentia mores:
Atque ex valle vapor Macra, Mavorte trahente,
Ingruit obseptus nimbis et nubibus atris.

Tempestas violenta, acris prosternet in agro
Piceno armatas acies sub turbine belli;
Quare improvisus nebulam ipse abrumpet, et Albus
Quisque suum vulnus lacrimabitur. — Haec ego dixi,
Ut tibi sint misere noctesque diesque dolenda.

XXV.

Verba sub ista manus fur tollens, pollice utrimque
Inserto in digitos: Cape, ait, Deus; haec tibi pando.
Serpentes habui post illud tempus amicas,
Namque una ex illis collum complexa cohaesit,
His veluti argueret: Nolo, ulteriora loquare.
Brachia corripiens ingentibus altera spiris
Vinxit, sic sese parte anteriore retorquens,
Ut vi cum gemina haud esset nutare potestas.
Ah urbs Pistori, urbs Pistori! Cur tibi nondum
Solvere te in tenues suadet mens certa favillas,
Ulterius ne jam dures? Nam pessima semen
Omne tuum superas factis ausisque nefandis.
Cunctos per circos nigri caligine Averni
Nulla Deum contra sic vultu elata superbo
Umbra mihi visa est; non illius umbra tyranni,
Quem cecidisse ferunt Thebanae ex moenibus arcis.
Is sic diffugit, verbum ut non adderet unum;
Atque ego centaurum stimulis furialibus actum
Vidi occursantem, magno clamore rogantem:
Quo, quo proripuit se, quo ille evasit acerbus?
Nulla, reor, maris ora fuit tot plena colubris,
Quam multa huic clunes serpentum turba tegebat,
Quatenus humanae conjuncta est forma ferina.
Huic humeros supra, et post colla jacebat apertas
Attollens alas draco, cuncta obvia adurens.
Cacus is est, inquit sapiens, qui saepe cruentam
Fecit Aventini montis sub rupe lacunam.

Non iter insistit fratrum de more suorum,
Ob furandi artem, qua armenta propinqua retraxit:
Quare huic cessarunt fraudes et facta maligna
Sub clava Alcidis, centenisque ictibus ictus
Forte decem haud sensit. — Memorat dum talia doctor
Atque is praeteriit: ripae, quam prendimus, oram
Tres subiere animae, quae me latuere ducemque,
Donec clamarunt: Qui vos? Tum fabula nostra
Restitit, ac dictis nos harum admovimus aures.

Hos ego non noram, sed tum forte accidit, ut fit
Casu saepe aliquo, ex umbris ut de tribus una
Alterius nomen, studio hanc hortante, vocaret,
Sic affata: Ubinam censes mansisse Ciampham?
Quare ego compescens digito mihi labra, magistrum
Admonui signis, intentus ut ora teneret.

Si tua lenta fides, quae dico, credere cessat,
Lector, non mirer; modo namque assentior aegre
Ipse mihi, haec oculis qui vidi et visa notavi.

Hic dum sublatis palpebris lumina figo,
En pedibus senis serpens irrumpit in unum,
Totus et implicuit. Mediis circumligat alvum,
Brachia praecingit primis, dein dentibus ambas
Invadit malas. Pedibus, quos pone gerebat,
Devinxit coxas, immisitque inter utrasque
Caudam et post renes sinuatam ad terga retraxit.
Non hederam videas sic ulmi intexere ramum,
Ut fera terribilis proprios intexuit artus
Artubus alterius. Dein corpus inhaesit utrumque,
Ut si naturam cerae tepidae igne subissent,
Et color his permixtus erat, neutrumque videtur
Quod fuerat. Veluti rapidos flammae ante vapores
Per chartam excurrit fuscus color, haud tamen ille
Prorsus adhuc niger est, et candidus occidit. Umbrae,
Quae mansere, duo vertentes lumina retro,
Clamabant: Eheu, sic mutas, Angele, membra?

Aspice, nec duo jam, nec simplex esse videris.
Forma duplex capitis jam forma evaserat una,
Bina figurarum cum coram mixta stetere
Una sub facie, quae jam prima ora duorum
Perdiderat. Vidi geminos exire lacertos
Quattuor in partes; femora, et cum pectore ventrem,
Et suras fieri quae nunquam nota fuere
Membra oculo humano. Deleta ibi pristina forma
Omnis erat; perversa duos referebat imago,
Atque unum et nullum; et se ita passu lenta ferebat.
Solis ut aestivi mutans sub verbere sepem
Si quando viridis per iter transversa lacerta
Labitur, assimilis tranánti nubila flammae:
Non aliter venit ad reliquos, facto impete in alvum,
Exiguus coluber, candens livensque nigerque,
Ut piperis granum; atque ubi nos alimenta solemus
Ducere nostra prius, morsu confixit acuto
Ex geminis unum, dein fusus corpore toto
Ipsius ante pedes cecidit, quem vulnere laesus
Aspexit, sed ad haec vocem non edidit ullam;
Quin stabat, ceu qui somno febrive laborans
Oscitat. Hic colubrum, hunc coluber spectabat; utrimque,
Hic plaga, is patulo fumabat largiter ore,
Seque sibi occurrens fumus jungebat in unum.
  Lucanus taceat, si qua is miracula tangit,
Nassidii cum fata canit, miserique Sabelli;
Intentusque, brevi quae vibro carmine, tradat
Menti. Jam mittat Cadmum, atque Alpheida Naso;
Quod si illum in colubrum numeris, hanc vertit in amnem,
Haud equidem invideo. Neque enim converterit unquam
Naturas binas sic in contraria, ut harum
Formae materiem fuerint mutare paratae.
  Has illi ad normas sibi respondere vicissim:
In furcam coluber caudam diffindit; in unum
Committit laesus vestigia. Crura simulque

Coxae ita inhaeserunt, ut jam spectabile nullum
Juncturae exstaret signum. Partita figuram
Sumit cauda, illi delapsam. Mollior hujus,
Durior illius fit pellis. Brachia vidi
In geminas retro axillas sublapsa referri,
Quosque pedes ambos est visus habere minores
Anguis, plus tanto in longum subcrescere, quanto
Illa minus, spatium in brevius contracta, patebant.
Postremi se deinde pedes glomeramine torti
Vertunt in membrum, quod vir naturaque celat,
Deque suo duo membra miser protenderat alter.
Dumque novo fumus suffundit utrumque colore,
Ingeneratque pilos isthinc, depascitur inde,
Unus se erexit, tum pronus concidit alter
In terram; haud torquent tamen impia lumina, quorum
Sub visu rictum mutabat uterque priorem.
Qui rectus stetit in plantis, ad tempora traxit
Rostrum, et, materia superante, exilibus aures
Emersere genis: quae nondum lapsa retrorsum
Pars superabat adhuc, in nasum versa recessit,
Atque dedit modice, ut par erat, turgescere labris;
Quique jacebat humi, rictum protrudit et aures
Per caput adducit, veluti sua cornua limax;
Et, quae haud lenta loqui fuerat conjunctaque, lingua
In partes est scissa duas, et lingua bisulca
Clauditur alterius, statque ipso tempore fumus.
Quique feram induerat, per vallem sibila lambens
Effugit; at retro clamatque atque inspuit alter.
Deinde illi nova terga dedit, simul ista locutus:
Sic volo, jam Bosus currat, velut ipse per istos
Reptabam calles. Ita bulgae est visa saburra
Septima mutare, et formas revocare priores.

Hic nova me excusent, si quid calamus mihi oberrat.
Et quamvis multo haererent defixa stupore
Lumina, mensque mihi fugisset, non tamen illis

Sic clausis licuit labi, quin ora notarem
Pucci Depygis, quem vidi de tribus unum,
Qui venere prius, nondum mutasse figuram.
Alter erat, tibi adhuc luctus qui est caussa, Gavilla.

XXVI.

Gaude, tam magnum quod habes, Florentia, nomen,
Quo terram et mare pervolitas, ac Tartara comples.
Namque tuos inter cives ego quinque latrones
Inveni tales, ut mi pudor occupet ora,
Per quos in grandem non est tibi surgere honorem.
Quod si sub lucem veniunt insomnia vera,
Non aberit tempus, quo tu patiere, quod optat
Pratum, nêdum alii tibi. Quod si forte fuisset,
Non maturatum rerer: sic illud adesset,
Quandoquidem certo eveniet; mihi namque doloris
Vulnus erit gravius, quo plus processerit aetas.
Hinc nos digredimur, quaque ante exstantia saxa
Descensum dederant, dux scalis usus iisdem
Ascensum petiit, sed me tamen ante recepto;
Desertamque viam pergens per fragmina, perque
Exesas scopuli cantes, sine utroque nequisset
Auxilio manuum subnixa evadere planta.
Tunc dolui, rursusque subest modo caussa dolendi,
Ad quae conspexi, cum tendo lumina mentis,
Et plus, quam soleo, ingenium cohibere laboro,
Ne mihi discurrat, quo non dat tendere virtus;
Ut, si stella favens aut hac majus quid abunde
Dotibus ornatum me dimisere bonisque,
Istà mihi minus invideam. Quot cultor agrorum,
(Fusus ubi propter clivum dat membra quieti,
Tempore, quo, cunctas qui lustrat lampade terras,
Ora minus celat, simul importuna strepenti
Musca locum cedit culici), lampuridas imam
Per vallem spectat, fortasse ubi colligit uvas,

Et findit sulcos: octava tot undique flammis
Lucebat bulga, ut sensi, simul atque potitus
Sum loco, ubi ima mihi patuit manifesta vorago.
Atque ut, qui quondam est ursis ultoribus usus,
Viderat ELIAN abeuntem praepete curru
Tunc, cum quadrijugi arripuere per aëra callem,
Quem non sic acies poterat servare sequentis,
Ut praeter flammam salientem, nubis ad instar,
Haud quidquam aspiceret: sic singula flamma per amplas
Fossae ibat fauces, ut furtum haud proderet ulla;
Flammaque damnatum subducit quaelibet unum.
In digito arrectus, studio stimulante videndi,
Sic ponti institeram, ut, ni cautem cura fuisset
Prensare exesam, nullo pellente, ruinam
Traxissem. At ductor, qui me sic ora tenentem
Viderat intentum, dixit: Versantur in illis
Inclusae flammis animae; quo incenditur, igne
Singula sese amicit. Te talia fante, loquelam
Sic solvi: O doctor, modo fit mihi certius istud,
Quod prius adverti per me; sic nam esse putabam,
Et dicturus eram: quaenam illa in vertice flamma
Sic bifida, adveniens, quae surrexisse videtur
Ex rogo, ubi impositum dicunt arsisse minorem
Cum fratre OEDIPODEN? — Dedit haec responsa magister:
TYDIDES illic cruciatur et acer ULYSSES:
Sic simul in poenas excurrunt, sicut in iras.
Inque ista flamma lugentur robore texti
Insidiae fallacis equi, per quem est data porta,
Ex qua ROMULIDUM processit nobile semen.
Hic ars flenda venit, per quam quoque mortua ACHILLEM
DEIDAMIA dolens suspirat, poenaque sacro
Palladio sat justa datur. Tunc ora resolvens:
Praeceptor, dixi, si ex illis forte favillis
Mittere verba queunt isti, magis oro precorque,
Atque haec mille preces valeat prex: desine, quaeso,

Hic me spectantem, adveniant dum cornua flammae,
Me prohibere mora. Ipse vides, ut corpore prono
Totus ad illa feror. — Tunc contra talibus ille:
Laudandas ego laudo preces et dignor; at ore
Edere verba tuo fac parcas, me sine linguam
Solvere; jam novi, cupido quid pectore verses:
Nam fastidirent Graji te forte loquentem.
 Ignis ut advenit, doctor tempusque locumque
Arripit, audivitque istis hunc vocibus orsum:
O vos, qui gemini sub flamma inceditis una,
Si quid de vobis merui, dum vita manebat,
Carmina cum scripsi sublimia, sistite gressum,
Et nobis, in qua occiderit deperditus ora,
Alteruter memoret. — Concusso vertice majus
Antiquae cornu flammae nutare, sonumque,
More laborantis ventis afflantibus ignis,
Mittere, deinde apicem hinc atque inde evolvere, tanquam
Lingua esset fari nitens, ac denique vocem
Ejicere his verbis usam: Quo tempore abivi
A Circe, multos quae me remorata per annos
Cajetae tenuit, cui nondum nomina terrae
Aeneas dederat; nec dulcia pignora nati,
Nec patris antiqui pietas, nec debita cura,
Nec qui justus amor me laetificare jubebat
Penelopen, aestum potuerunt vincere cordis
Ardentis multos per terras cernere mores,
Multorumque hominum virtutes pravaque facta:
Perque patens altum solus me credere cymbae
Haud timui, parva comitum stipante caterva,
Quae me desertum nunquam malefida reliquit.
Hispanos usque ad populos ego littus utrumque
Vidi. Non Afri, Sardoa nec insula nostros
Effugere oculos, nec quos circumalluit undis
Illius ora maris. Tardum me debilis aetas
Fecerat, et comites tunc, cum freta tangimus illa.

In quibus Alcides fertur posuisse columnas,
Ultra ne quis eat. Dextra de parte reliqui
Hispalin, et laeva Ceptam; tum talia dixi:
O fratres, casus duros numeroque carentes
Experti mecum, occiduas venistis ad oras.
Nemo ex tam parva vigilandi temporis hora,
Quod superesse videt, dare sensibus experiundum
Abneget, atque sequi solem, qui lumine mundum
A populis nudum lustrat. Perpendite vestrum
Semen: non vobis membra, et praecordia finxit
Natura, ut deceat pecorum vos vivere vitam,
At virtutis iter moliri, et plura doceri.
   Haec vox una meos stimulis ita suasit acutis
Insuetam tentare viam, ut vix ulla fuisset
Jam mihi sponte sua cupidos retinere potestas.
Nec mora. Ad Eoos puppim convertimus Indos.
Tendimus et stultum studio properante volatum,
Addidimusque alas remis, latus usque potiti
Laevum. Jamque poli cunctas sub nocte videbam
Alterius stellas, sic et descendere nostrum,
Ut non ex plano se attolleret aequore ponti.
At vicibus quinis jam luna accenderat orbem,
Et totidem inferius defectum lumine vultum
Celarat terris, postquam discrimina rerum
Tanta ingressus eram; cum subniger, intervallum
Ob longum, procul ante oculos est visus adesse
Mons, ita sublimi se tollens vertice ad aethram,
Ut socii aequalem in terris vidisse negarent.
   Hic nos laetari pariter, sed gaudia nostra
In luctus abiere cito; nam turbinis atri
Tellure orta nova vehemens violentia navem
In primum feriit latus, et terna vice torsit
Omnibus hanc undis, et quarta sustulit alte
Puppim, ac depressit proram, ut placuisse videtur
Arbitrio alterius, donec nos obruit aequor.

XXVII.

Arrectam se sustulerat jam flamma, quiete
Composita, ulterius fandi finem ore datura,
Atque ibat, dulci hanc missam faciente poeta:
Altera flamma suum cum vertere lumina visus
Ad cornu hortata est, abeuntem pone secuta,
Confuso sonitu, qui funditus erumpebat.
Ut Siculus taurus, qui luctu immugiit ante
Illius (atque id jure fuit), qui hunc finxerat arte,
Edebatque hominis mugitus voce dolentis,
Ut, quamvis totus constaret corpore aheno,
Ipse videretur cruciatu percitus acri:
Sic fraudata via pariterque foramine, ab ignis
Principio in flammae murmur se tristia verba
Mutabant. At ubi haec apicis per mobile acumen
Iuvenere viam, motum vibrantia eundem,
Quem prius emissis vibravit lingua locuti,
Haec vox audita est: Te, verbis quem alloquor istis,
Namque modo cum Ithaco te ANDAEUM est fassa loquela,
Quamvis adveniam serus fortasse, morari
Non pigeat, mecumque loqui. Potes ipse videre,
Ut me non pigeat; quamquam hic me flamma perurit.
Si modo in haec tu regna ruis caligine coeca,
Ex illa dulci lapsus tellure Latina,
Unde ego transactae vitae fero crimina cuncta;
Dic mihi, num AEMILIAE populi modo commoda pacis,
An bellum spectent. Fateor me in montibus ortum
Urbini fines intra rupisque recessus,
Unde fluit Tibris. — Prono tum corpore stabam
Intentus, cum me fodiens dux talibus infit:
Tu loquere, ex Latio est. Ego, respondere paratus
Illico, sic solvi celeres voces: Anima, istis
Abdita sub latebris, tua nullo tempore terra
Aut caret, aut caruit bellis, quae corde tyranni

Vestri agitant; sed ibi modo nulla patentia liqui.
Stat veluti multos stetit ante RAVENNA per annos;
Atque POLENTINUS pollens rostro ales adunco
Sic fovet ora, suis PLYLOCLEN ut contegat alis.
Quaeque olim longo tellus exercita ludo
Gallorum tumulis infecerat arva cruenta,
Pace diu fruitur viridi secura sub ungue:
At VERRUCCHINI, seniorque novusque, molossi,
Sub quibus indigne jacuit MONTEGNA peremptus,
In saltu pasti dentes de more terebrant.
Quasque LAMON terras, quasque alluit unda VATERNI,
Nunc regit imperiis nido LEO parvus in albo,
Qui, quas tutatur calido sub sidere, partes
Sub bruma mutat: CAESENAque proxima SAURO,
Ut media est inter campum lapidosaque montis,
Inter servitium libertatemque moratur.
Nunc mihi dic, oro, qui sis; plus quam fuit alter
Ne mihi sis durus, ut sit tua fama superstes.
  Postquam more suo sat longum immugiit ignis,
Verticis hac illac extremum movit acumen,
Deinde sonum efflavit talem: Si posse putarem
Id fieri, ut rursus visuro lumina solis
Nostra forent commissa viro responsa, maneret
Haec flamma haud agitata ultra: ast, ut credere dignum est,
Quandoquidem revocare gradus hoc carcere ab atro
Nulli unquam vivo licuit, responsa remittam,
Haud metuens famae, quae nostra opprobria prodat.
  Olim miles eram, dein lumbos fune retorto
Cinxi, sic vitam ratus emendare priorem.
Et certe ista fides veniebat mi integra tota,
Si non ille potens ter magnus presbyter esset,
Cui male sit. Namque is me in crimina prima remisit.
Qui quamque ob caussam, ipse volens, adverte, docebo.
  Donec forma fui cum carne atque ossibus illis,
Quae dederat genitrix, non me mea facta leonem,

Sed vulpem fecere. Astus quoscumque, peritus,
Secretasque vias novi, et sic omnia vafre
Digessi, externas ut fama exiret in urbes.
At simul aetatis me vidi limine in illo,
In quo cuique foret satius deducere vela,
Colligere et funes, tunc rerum, quae ante placebant,
Est mihi pertaesum, confesso crimina vitae
Cuncta et testato me poenituisse malorum;
Atque haec, me miserum! juvisset versa voluntas.
Princeps nostrorum novus iste Pharisaeorum
Tempore, quo juxta Lateranum bella gerebat,
Non jam Judaeis infensus, nec Saracenis;
Christiadum nam gente satos sibi duxerat hostes,
Et numero ex illo nemo oppugnaverat Acrin,
Nemo mercator Sultani intraverat urbes;
Nec summum imperii munus, nec chrismata sacra
In se respexit, nec quod tenuare capistrum
Praecinctos solet, in me habuit duxitque verendum.
Verum ut SILVESTRUM inclusum Soracte petivit
CONSTANTINUS, ut a lepra se mitteret acri
Sanum: ita ut et sibi praeceptor febrim ipse superbam
Sanarem, me consuluit. Mihi faucibus haesit
Vox muto; sic verba hominis sunt ebria visa.
Deinde inquit: Nullo trepident tibi corda timore;
Hàc te absolvo tenus; Praenesten quomodo possim
Vertere, tu tantum doceas. Mihi claudere coelum,
Et reserare datum, jam scis; quare mihi claves
Sunt geminae, quas ille parum modo functus amavit.
Tum grave dictorum pondus me pressit, ut ultra
Conticuisse mihi rerer magis affore damno.
Atque ita respondi: Quoniam me, crimen in istud
Jam jam lapsurum, Pater, abluis, accipe: longum
In promissa abeas, promissis addito curtam
Ipse fidem; et duces stans alta in sede triumphum.
Ast ubi Franciscus gelida me morte solutum

Secum adducturus venit, niger obstitit unus
De Cherubin Stygiis: Absitque injuria dixit,
Ne tolle. Hunc aequum est descendere in ima meorum
Permixtum populo. Nam plenum fraudis ab isto
Venit consilium, post quod crini ipsius haesi.
Namque haud ulla data est absolvere posse facultas,
Quem non poenituit; sed culpam odisse, simulque
Hanc velle, haud par est: quis enim pugnantia contra
Jungat? Et, heu misere! excusso mihi qui fuit aestus!
Cum me corripiens dixit: Num forte putabas,
Me logicum non esse. Atque ad Minoa retraxit,
Isque quater geminos caudam sinuavit in orbes,
Ad durum adducens dorsum, et simul ore momordit
Acriter iratus, deinde has dedit ore loquelas:
Istum flamma decet furax sontem; utque videre est,
Perditus his lugens contectus vestibus erro.
  Flebile visa queri, contorto flamma refugit
Quassatoque diu vibrantis acumine cornu.
Dux et ego ulterius transimus, terga prementes.
Rupis, ad usque aliam, quae dat contendere ad arcum,
Qui superimpendet fossae, in qua stat sua poena
Illis, qui conjuncta simul sunt scindere adorti.

XXVIII.

  Quis potis est, verbis vel quavis lege solutis,
Dicere sanguineos rivos, ac pandere plagas,
Quas modo conspexi, repetendo saepe relata?
Omnis lingua quidem minus, ac minus utilis esset,
Ob paupertatem nostri sermonis, et arctos
Ob mentis fines, non aptae cuncta tenere.
  Si quis congereret totius gentis acervos,
Pro quibus infelix fertur terra Appula caedi
Indoluisse suae, Aeneadum data vasta sub ense,
Atque annellorum diuturni ob tempora belli

Magnas exuvias, memorat quas Livius auctor,
Qui nunquam erravit; simul et miserabile vulgus
Ictus expertum tristes, dum arcere Robertum
Guiscardum patriis certabat finibus hostem,
Et reliquum, cujus Ceperanus nunc quoque campus
Ossa tegit, mendax ubi erat nimium Appulus omnis,
Et Taleacoti trans arcem, ubi viribus usus
Armorum nullis vicit longaevus Alardus;
Atque hic perfossos truncos ostenderet, ille
Artus: nil horum nonae foedissima bulgae
Supplicia aequaret. Non sic perfossa videntur
Dolia, queis media est aut infima lamina subter
Amissa, ut quidam a mento usque ad podicis orbem
Scissus, qui mihi spectandum sese obtulit ultro.
Intestina inter crura huic pendentia stabant,
Extaque cum tristi vertente in stercora sacco
Quidquid quisque haurit, nobis manifesta patebant.
Atque hic dum spectans haerebam totus in illo,
Is me respiciens, manibus sibi pectora pandit,
Sic fatus: Cerne, ut lanier crudeliter artus;
Aspice, ut incedat mutilus Maometus; et Alyx
Flens prae me repit, diffissus turpiter ora
A mento ad frontem; quosque illic conspicis, omnes
Hi, dum vita fuit, seruerunt scandala, adorti
Schismatis omne nefas. Quare sic scissa trahentes
Membra illi occurrunt. Isthic post terga moratur
Daemon, qui scindit nos tam crudeliter ense,
Turba de nostra rursum sub vulnera mittens
Quemquam, ubi triste viae spatium revolutus obivit;
Vulnera namque prius coeunt, quam huic obvius alter
Fiat regressu. At quis tu, qui in vertice rupis
Hujus odorare? An subeundae ut sit mora poenae,
Quae tibi decreta est confesso crimina vitae? —
  Nec mors hunc deprendit adhuc, nec facta nefanda
Huc adduxerunt cruciandum, talibus infit

Praeceptor; sed ego, absumptus jam funere, poscor,
Hunc ut circumagam loca per tenebrosa, per omnes
Orbes, hinc donec rerum experientia doctum
Mittat et, ut nunc ipse loquor, res vera patescat.
Talibus auditis, plus quam centena virorum
Turba stupens stetit in fossa; nam mira cruentae
Res poenae immemores fecit. Nunc ergo monebis,
Tu fortasse brevi visurus lumina solis,
Fratrem Dulcinum, validis ut se instruat armis,
Ni mens certa illum tulerit, me pone subire
Quam primum hanc fossam, ne sic tam angustia victus,
Quam nivis aggestae, victorem Guascona mittat;
Nam secus haud facinus fuerit leve castra potiri.
Ut pede suspenso hanc vocem Maometus iturus
Edidit, hinc abiens tellurem hoc pressit. At alter,
Perfossum cui guttur erat, qui naribus ibat
Ad frontem truncis, tantum aure notabilis una,
Et steterat, mistus reliquorum examine, mirans,
Ut me lustraret, per aperta foramina cannae
Undique caede rubrae prior occupat, ista locutus:
O tu, quem nulla impurum facta impia damnant,
Et quem jam vidi in Latio, nisi fallit imago
Me similis, si forte iterum tibi cernere dulcem
Tellurem dabitur, quae a Vercellensibus agris
Ad Marcobejum vergit, reminiscere Petrum,
Patria cui Medicina fuit; duoque optima Fani
Lumina viva modo, mox ista monere memento,
Guidum atque Angelulum, nisi mens hic praescia vana est,
Se vita iri depulsos, atque aequore mersos
In saccum insutos, sub proditione tyranni
Falsi, ad Crustumium; nec, qua Majorica ad oras
Usque patet Cyprias, vasti rex aequoris unquam
Tale scelus vidit, nullo grassante pirata,
Nulla acie Argolica. Qui oculo tantum aspicit uno
Proditor, atque tenet terram, quam, qui modo mecum

Versatur, nunquam vellet vidisse, vocabit
Hos in congressum, efficietque, ut vota precesve
Non opus his vento sit mittere Phocarensi.
Huic ego: Fac monstres, et da mihi discere posse,
Si me forte tuum vis nomen ferre sub auras;
Ecquis is est, adeo visum exsecratus amarum?
Ille manu arripuit socii malam oraque pandit,
Exclamans: Hic est —; neque hiantem verba sequuntur.
Caesaris hic animo dubitanti fraena resolvit,
Sic fatus: Nocuit semper differre paratis.
Atque oh! quam mihi visus erat formidine victus,
In jugulo truncus linguam sic farier ausam,
Curio! Tum manibus mutilatis alter utrisque,
Aëra per fuscum tollens foedantia vultum
Ossa lacertorum, hanc eduxit pectore vocem:
Musca tua maneat pariter tibi mente repostus,
Cui quondam, heu nimium misero! vox excidit ista:
Facta viam invenient, quod genti semen Hetruscae
Triste fuit. Generisque tui commune sepulchrum!
Respondi. Quare ille, suo hunc etiam insuper addens
Moerorem, flenti similis similisque furenti
Fugit, et ipse steti cupidus spectare catervam.
Et res oblata est, quam me narrare vetaret
Ipse timor, nullo mecum testante; sed ipsa
Conscia mens veri, comes optima, sueta juvare
Auxiliis hominem, cui pro thorace dedisset
Nil conscire sibi non purum, mi omnia tuta
Praestat. Ego vidi certe, videorque videre
Nunc etiam, truncum per se capite ire revulso
Cum reliquis grege de tristi; arreptumque capillis
Abscissum caput ipse manu pendente ferebat,
Instar laternae, nosque illud lumine utroque
Spectans: Me miserum! questu repetebat amaro.
Ipse aderat lucerna sibi; geminatus in uno,
In gemino simplex: qui fiat, noverit ille,

Qui regit haec. Postquam sub pontis constitit arcu
Arrectus, dextram ac totum caput extulit alte,
Verba admoturus nobis sua. Verba fuerunt
Ista: Modo nostrae durum genus aspice poenae,
Tu, qui vivus adhuc visurus morte peremptos
Huc ades, atque vide, num sit crudelius ullum
Supplicium; utque aliquid nostri non inscius edas,
BLANDERIONENSEM BELTRAMUM scito fuisse
Me, illum, qui regi dederam perversa JOANNI
Consilia, atque in se patrem natumque rebelles
Armavi. Architophel non sic furialibus egit
Maachiadem stimulis, nec tanto vulnere luctus
Davidem oppressit. Quare, tam juncta duorum
Divisi qui corda virum, sic nunc ego gesto
Divisum cerebrum, miser! usque ab origine prima,
Isto quae in trunco est. Sic lex pro dente reposcens
Dentem, haud absimiles jussit me pendere poenas.

XXIX.

Sic mihi turba frequens, diversaque vulnera visum
Abstulerant domitum, ut cuperent mea lumina longa
Flere mora. At: Quid adhuc, vates ait, aspicis ultra?
Et quid adhuc, acie defixa, immobilis haeres,
Carcere sub tristi speculando vulnere passim
Multiplici laceras umbras? Sic temporis horas
Te flendo haud aliae viderunt ducere bulgae.
Haec vallis, bene si numeres, per millia ductos
Bis patet undenos passus; jamque aurea luna
Sub pedibus lucet nostris, jamque hora diei,
Quae datur, exigua est; minime et quod rere, videnda
Multa manent. Ego respondi: Si agnoscere caussam
Et tu quivisses, cur undique vestigarem,
Cunctandi ulterius spatium breve forte dedisses.
Ille ibat partim, gradientem ego pone sequebar,

Inceptum evolvens responsum atque insuper addens:
Illam intra foveam, consulto ubi fixa tenebam
Lumina, flere meo reor umbram sanguine cretam
Crimina, apud manes adeo constantia magno.
Tum doctor contra: Ne posthac sensa tuamque
Is frangat mentem; atque alias sub pectore curas
Jam versa; hic per te liceat remanere sepulto.
Namque illum vidi graviter sub ponte minantem,
Ac te signantem digito, audivique vocatum
Hic intus **Gerium del Bello** nomine Hetrusco.
Sed qui **Altafortis** quondam possederat arcem,
Sic tibi detinuit mentem, ut divertere visu
Inde tibi haud fuerit; quare jam evaserat ille.
Mi dux, mors violens, ultorem nacta nec ullum,
Qui fuerit probri consors, ita abire frementem
Compulerit, dixi; quare ille, ut corde voluto,
Excessit, nulla dignum qui voce vocarer
Ducens; idque magis miserantem indignaque flentem
Hujus fata movet. — Sermonum hac nos vice primum
Venimus ad callem scopuli, qui ex vertice monstrat
Alterius vallis spatium totum undique ab imo,
Si major fuerit speculanti copia lucis.
Ventum ubi *bulgarum* est postrema ad claustra *malarum*
Sic, ut alumnorum mihi jam apparere figurae
Possent, diverso ferierunt murmure questus
Cor mihi, quos pietas telis armarat acutis:
Quare aures manibus properavi claudere utrisque.
Qualis, si spatio fossae glomeretur in uno,
Quidquid in aegrorum hospitiis pigra stagna Claninae
Vallis, cum arentes agros Leo tristis hiulcat,
Aut cum Libra vices aequat, quidquid maris ora
Importuna Senae, quidquid Sardoa malorum
Morbis foeta gerit, dolor afforet; undique talis
Hic erat, ac talis se hinc halitus effundebat,
Qualem membra halant diuturna putrida tabe.

Nos longi extremam scopuli, laevam usque tenentes,
Descensu petimus ripam, atque revivere visus
Tunc coepit propius fossae ima, ubi rege sub alto
Justa ira, haud patiens falli, cruciatibus angit
Falsificos; atque hic mulcandos ipsa notavit.
Tristius haud quidquam Aeginae vidisse putarem
Confectum morbo communi vulgus, ubi aër
Sic plenus vitio fuit, ut genus omne animantum,
Ad minimum vermem, collapsum morte periret;
Et genti antiquae dein semina formicarum
Suffecere novum populum, ut cecinere poetae;
Quam qui per tenebras illius vallis acervos
Umbrarum varios languere aegrore videret.
Iste superjectus ventri, tergo ille jacebat
Alterius, quidam reptando triste cubile
Mutabat. — Taciti nos lento incedere passu,
Circumferre oculos, aegrosque audire querentes,
Tollere qui nullo sese conamine quibant.

Ipse duos vidi nixos se mutuo, ceu vas
Impositum vasi, calfiat ut esca vicissim,
A capite ad plantas maculatos undique crustis.
Haud unquam strigili propere percurrere vidi
Tergus equi puerum, domino exspectante moratum,
Aut quem pertaedet vigilando ducere tempus:
Ut se quisque supra properantibus unguibus acres
Hic illic iterum morsus geminabat, ob iram
Indomitae nimium proriginis omni ope captae.
Et conabantur scabiem sibi detrahere ungues,
Sardoni ut culter squamas, aut cuilibet ulli
Largius instructo pisci. — Tum talibus unum
De numero aggressus, dictis dux incipit ultro:
O, qui te lanias digitis, ut forcipe adunca
Saepe usus, dic, an quisquam ex tellure Latina
His commistus eat; sic unguis tempus in omne
Sit tibi par operi. — Sumus ambo ex gente Latina,

Quos ita corruptos cernis, tunc unus ad ista
Respondit lacrimans; sed qui nos voce rogasti,
Ecquis es? — At ductor: Veni, descendere adortus
Ex rupe in rupem, ducturus corpus habentem
Vivum, Tartareas homini monstrare cavernas
Certus. Tum vero sese commune resolvit
Fulcrum, et quisque fremens oculos atque ora tenebat
In me, unaque alii, quibus haec vox icerat aures.
Optimus accessit demisso vertice, fatus
Sic mecum, sapiens: Istis tu edissere, quidquid
Vis. Et ego coepi, hanc veniam mihi dante magistro:
Sic nunquam vestrum primo vanescat in orbe
Mentibus elabens nomen, sed vivat in aevum
Multum. Non pigeat qui sitis dicere, et unde
Sit genus; haud vestrae species foedissima poenae
Impediat, veterem metuentes prodere famam.
Aretina mihi tellus est patria, tali
Unus voce infit; damnatum me igne Senensis
Albarus absumpsit; sed, quod me morte peremit,
Haud huc me adduxit. Quamquam, ut verum ordine pandam,
Huic quondam dixi, per ludum multa locutus,
Me callere artem, per quam sublimis in auras
Tollerer. Hic plenus studiorum, et mentis inanis,
Monstrare hanc jussit: sed, quod tranare volatu
Aëra Daedaleo haud dederam, dedit ipse cremandum
Me cuidam, cui carus erat, patri ut sua proles.
Verum me ista decem de bulgis ultima claudit,
Quod me, qui Alchymia sum usus, dum vita manebat,
Minos, cui nunquam decepto errare licebit,
Ista multavit poena. — Atque ego talia vati:
Vidistin' gentem captanti vana Senensi
Aequalem? Huic certe haud multum gens Gallica cedit.
Alter ubi audivit scabiosus talia fantem:
Excipe, respondit, Striccam rescindere doctum
Impensas, simul atque auctorem divitis illum

Nicoleum moris, primum qui invenerit hortum,
Cui caryophylli beneolentia semina adhaerent;
Excipe conventus, ubi consita vitibus arva
Ascianonensis dispersit Caccia, et ingens
Frondiferum nemus, et qui effudit, prodigus auri,
Quidquid consilii prius Abbaliardus habebat.
Utque scias, qui te spectantem mente Senenses
Adversa sic auxilio juvet, inspice, et ora
Fac bene responsent tibi nostra, et disce Capocci
Umbram arte Alchymiae docti vitiare metalla;
Et meminisse potes, si te bene lumine lustro,
Quam bene naturae simulator simius essem.

XXX.

Cum Juno ob Semelen odio indulgebat acerbo
Gentis in omne genus Thebano sanguine cretae,
Quod semel, atque iterum ostendit; furialibus actus
Est adeo stimulis Athamas, ut conjuge visa,
Quae natos, utrasque manus onerata, trahebat,
Exclamarit: Io, tendamus retia silvis,
Ut post insidias gemina cum prole leaenam
Prendam. Deinde feros ungues protendit, et unum,
Nomine quem proprio compellavere Learchum,
Corripuit, circaque caput bis terque rotatum
Ad saxum allisit: reliquo et cum pondere sese
Obruit illa mari. Et cuncta ausa, ausisque potita
Cum fortuna Phrygum coepit sublapsa referri,
Ut regnum et regem deleverit una ruina;
Tristis, inops, praedae mala sors Cisseis, ubi aras
Caede Polyxenia respersas vidit, et ictu
Telorum exanimis Polydori in littore corpus,
Acta furore dedit latratus ore caninos
Pro verbis; tantus mentem distorserat angor.

Sed neque Thebanae, neque Troicae Erinnyes unquam

Visae sunt adeo in quemquam saevire, vel ungue
Figere, nedum hominum, rabidarum membra ferarum,
Sicut ibi umbrarum vidi simulacra duarum
Arida, nuda artus se alterno incessere morsu,
Tamque cito ferri cursu, quanto impete porcus,
Cum se solvit hara. Petit artus una Capocci,
Et colli nodum compressit dente tenaci
Sic, ut raptato venter tellure fricandus
Huic esset solida. Tum, qui stetit ore trementi,
Aretinus ait: Furiosam cerne Joannis
Sticchi umbram cunctos sic depectentis. — At isti
Dixi: O sic parcat te figere dentibus alter;
Ne grave sit fari; dic, quisnam est ille, priusquam
Isthinc erumpat. Myrrhae vetus illa scelestae
Est anima, in patrem fas ultra perdite amica;
Crimen in incestus quem traxit fraude sub ista:
Alterius formam falso mentita, parenti
Sese supposuit; velut alter, qui inde recedit,
Fingi se Buosum Donati passus, equarum
Ut grege de toto reginam acquireret, ausus
Testari hunc simulans, simul et tabulis dare normam.
Postquam abiere duo rabido obvia dente petentes,
In quos obtutum figebam, lumina verti
Inspectura alios male natos. Se obtulit alter
Spectandus litui forma, quam totus habebat,
Non aliter factus, si demas inguina parti,
Qua vir sit bifidus. Gravis hydrops, dispare norma
Sic membra afficiens congestae copia aquai,
Quam male convertit, minime ut respondeat alvo
Os, hunc continuo labris inhiare reclusis
Cogit, more viri, quem tabida febris adurit,
Qui, stimulante siti cum flagrat, deprimit imum
Ad mentum, invertitque ad nares usque supernum.
O vos, qui poenae immunes (nec cognita caussa)
Triste pererratis regnum, circumspicite, inquit,

Intentique gravem perpendite mente magistri
Adami luctum. Mihi vivo haud defuit ulla
Copia poscenti; heu! nunc lymphae gutta vel una,
Una est in votis. Rivi, qui montibus agri
Clusini argento similes labuntur in Arnum,
Quaque iter intendunt, saturant loca cuncta liquore
Frigidulo, ante oculos, nec frustra, errare videntur;
Nam me dulce fluens horum plus siccat imago,
Quam, qui sic macie vultum depascitur, aegror.
Quae me justitiae sic contudit ira severae,
Inde loci, infamem turpi quem crimine feci,
Deduxit caussam, qua plus mihi corde frequentes
Exprimat ex moesto gemitus. Romenia terra est
Haec, ubi corrupto nummos cudi aere notatos
Baptistae effigie; quare membra usta reliqui.
At mihi si coram prava umbra videnda daretur,
Vel Guidi, vel Alexandri, vel fratris utrique,
Inspicere hanc mallem satius, quam fonte potiri
Branda. Jamque una intus adest, si vera loquuntur
Umbrae actae rabie: at quid mi, si vincior artus?
Si saltem mihi corpus adhuc levitatis haberet
Tantum, ut, dum vertunt labentia tempora saeclum,
Unum vel digitum pedibus procedere possem,
Hoc essem jam ingressus iter, vestigia quaerens
Illius has inter vulgi sordes; licet ista latrina
In longum undenos passus per millia ductos,
Et plus quam passus quingentos lata patescat.
Colluviem hanc inter mihi tempus in omne jacendum est
Hos propter. Namque hi suaserunt cudere nummos,
Queis tantum suberat misti purgaminis, ut tres
Pondere adaequaret siliquas. — Tum talibus orsus
Quaesivi rursum: Quae sunt miseranda duorum
Spectra haec, quae fumant veluti sub frigore brumae
Fonte extracta manus, tibi dextrum qui latus urgent
Prostrati, junctique simul? — Quo tempore in istud

Antrum, inquit, pluvi, illos me invenisse recordor
Sic positos; nunquam digressos amplius inde,
Aeternumque reor mansuros. Femina mendax
Una est, quae nomen Josephi crimine falso
Detulit; haec umbra est Danai perjura Sinonis
Ex urbe Iliaca, quorum de pectore febris
Tantum nidoris graveolentis torrida mittit.
Unus at ex illis, piguit quem forte vocatum
Nomine ita obscuro, pugnum huic impegit in ampli
Duritiem ventris. Veluti Cybeleia ab ictu
Tympana, is insonuit. — Contra subita ira magistri
Adam vibrato graviter ferit ora lacerto,
Nec minus hic fuerat durus; dein talia fatur:
Quamvis membrorum gravitas vetet ire, lacertus
It mihi liber, ubi sit opus. Tunc edidit alter
Haec verba: Ardentem ad flammam quo tempore tractus
Ibas, haud fuerat tam alacer tibi; at hunc tamen aera
Cudere sic norunt, et plus fortasse paratum.
Hydropicus contra: Nunc tandem dicere verum
Coepisti; at Trojae tu pandere vera rogatus,
Non ita testis eras verax. Verum assimulavi,
Tu cuneum, Danaus dixit; sed criminis una
Isthic me labes damnat, te plurima, totque
Crimina, quot quisquam haud potuit committere Daemon.
Insidias fallacis equi, perjure, revolve,
Illi respondit, qui inflatum abdomen habebat,
Arguat et sontem totus jam conscius orbis.
At tibi sit crimen sitis arida, dixit Achivus,
Quae tibi disrumpit linguam; sit marcidus humor
Crimen, qui anterius ventrem tibi sepit. — At aeris
Cusor: Ita, ut quondam, magno se scindit hiatu
Os tibi nunc, ubi fert animus maledicere suetus.
Quod si me exsiccat sitis, et me lympha refercit,
Ardor te male habet, male habet caput usque laborans;
Et dum Narcissi speculum tibi lambere detur,

Hortantem haud velles te longa ambage moratum.
Hos ego defixa sermones aure bibebam,
Cum mihi praeceptor subtristis: Prospice, dixit;
Namque parum modo abest, quin tecum in jurgia surgam.
Quem simul iratum audivi verba ista loquentem,
Accessi, puduitque adeo, ut pudor intima mentis
Nunc quoque pervadat, repeto dum talia mecum.
Ac veluti in somnis sua qui sibi damna figurat,
Somnia dum ludunt, ludant modo somnia mavult
Sic, ut quidquid adest, omnino exoptat abesse:
Talis ego adstiteram, cum deessent verba studenti
Errori caussam nostro praetexere; at istud
Fecerat adspectus, quod me haud fecisse putarem.
Culpa tua major tanto purganda pudore
Non esset; quare hic omni te labe levavit,
Doctor ait, meque usque puta te cernere coram
Adstantem, si forte pari certamine gentem
Infensam offendas: id velle audire pusilli est.

XXXI.

Una eademque prius me lingua momordit, utrasque
Tinxerit ut malas, medicataque postea juvit.
Talis, ut audivi, fatalis lancea Achillis,
Ac Pelei patris primo caussa esse solebat
Tristis, deinde bonae strenae. Nos vertere terga
Valli infelici, praecingentemque tenere
Coepimus adscensu ripam, transversa legentes
Muti. Nescio quid minus hic quam noctis opacae,
Atque minus quam lucis erat. Nec longius ire
Vestigando oculus quibat; verum impulit aures
Stridore altisono cornu, quod et omne tonitru
Obruerit strepitu horribili, propriumque secutum
Oppositum sibi iter, me figere adegit in unum
Lumen utrumque locum. Post flendae funera cladis,

Carolus a sancto Magnus cum decidit auso,
Tam perterricrepo non perculit aëra bombo
Rholandus. — Caput inde ausus paullisper in altum
Tollere, sum multas visus spectare praealtas
Turres. Quare ego: Dic, quaenam est terra ista, magister?
Isque mihi: Quoniam multis stipata tenebris
Per loca transcurris nimium procul, hinc fit, ut erres
Propter opinatus animi; at, probe, tu quoque disces,
Illuc si accedas, quam, quae longinqua videntur,
Decipiant sensus: quare properantius ito.
Apprenditque manum peramanter, et insuper addit:
Ante iter ulterius quam pergas carpere mecum,
Scito, non illas turres, verum esse gigantas,
Stantque, tenus ventris quanti sunt, undique fixi
Circum oram putei. Veluti, caligine pulsa,
Paullatim incipiunt oculi internoscere, quidquid,
Aëra qui stipat, vapor abdidit; aëra crassum
Sic me, dum fodio, magis et magis usque propinquans
Orae, error fugit et pavor ingens occupat artus.
Namque ut, ubi vallo sedet area septa rotundo,
Monstregio surgit redimitus turribus altis:
Sic exornabant, puteus qua cingitur, oram
Terribiles media non plus quam parte gigantes
Supra impendentes, queis Juppiter aethere ab alto,
Dum crepitat, minitatur adhuc. — Mihi jamque videbar
Cernere cujusdam faciemque humerosque sinumque
Et magnam ventris partem, distentaque utrimque
Brachia sub costis. Recte natura reliquit
Artem, quae tales homines in luminis auras
Ederet, his similis Marti ereptura ministros.
Quod si cetorum aut elephantum haud poenitet illam,
Res inspectanti penitus censenda videtur
Plus justa ac prudens. Nam si solertia mentis
Nequitiam jungat cum vi, jam nulla juvaret
Contra obnitentis virtus. Praelonga patebat

Atque ampla huic facies, veluti pinna ardua molis
Romae, Petre, tibi sacrae; modus ossibus idem:
Ut pars inferior, cui facta est subligar ora,
Sat bene demonstret tantum superesse staturae,
Ut male praesumant se his tangere posse capillos
Tres Phryges impositi. Non paucos namque videbam
Triginta magnos in longum tendere palmos
Inde, ubi demissam subnectit fibula vestem.
Rafel, mai, amech! coepit clamare ferinum
Os, quod non hymni carmen mage dulce decebat.
  Dux meus hunc contra: Stolidissima bellua, dixit,
Aere tona cornuque tuos effunde dolores,
Ira furorve alius simulac praecordia tangit.
Collum pertenta; invenies, confuse, ligamen
Funis, qui vinctum tenet; atque hunc adspice magnum,
Qui tibi praecingit pectus. — Dein talibus infit
Mecum: Idem scelus ipse suum nunc arguit; iste est
Nembrottus, cujus mala mens effecit, ut una
Tantum haud utantur mortalia saecla loquela.
Istum mittamus, nec ventis irrita verba
Spargamus vanis; nam sermo est quilibet ipsi
Talis, ut et nobis idem hic, non cognitus ulli.
  Longius ire igitur juvit, laevam usque tenentes,
Atque intra jactum teli stetit obvius alter
Saevior, ac major. Qui hunc cinxerit arte, magistrum
Dicere nescirem; at prae se laevum ipse tenebat,
Et post se dextrum religatum fune lacertum,
Qui sic hunc infra collum undique praepediebat,
Ut partem exstantem vel quino involveret orbe.
  Iste tumens fastu voluit tentare quid ipse
Contra supremum terrae coelique potentem
Pugnando posset, ductor mihi dixit, et inde
Haec ipsi merces. Ephialtes nomen habebat,
Extremumque dedit specimen virtutis in illa
Pugna, qua Superis tantum injecere gigantes

Terrorem: haud unquam movet is, quae brachia torsit.
Illi ego tum: Vellem, fieri si posse putares,
Immensum his oculis Briarea videre. Sed ille:
Antaeum haud procul invenies dantem ore loquelas,
Quem non vincla tenent, qui nos deponere in ima
Valle, ubi cunctorum stant pectora pessima sontum,
Possit. Quem velles, is multo longius isthac
Distat, et est vinclis vinctus, nec dispare forma,
Si vultum excipias, qui saevior esse videtur.
Nec jam sic validus terrae tremor ingruit unquam,
Mole sua stantem quateret qui fortius arcem,
Ut cito se excussit dirum genus Iphimediae.
Tunc mihi mors, nunquam pejus metuenda, recurrit,
Ad quam formido sat erat, nisi vincula torta
Vidissem. Quare gressu processimus ultra,
Antaeum et petimus, qui ulnas, sine vertice, denas
Spelunca exstabat, solvitque haec ore magister:
O fortunatae nimium vetus incola vallis,
Quae decora eximii quondam dedit ampla triumphi
Scipiadi, Annibalem, turba cedente suorum,
Vidit ubi dare terga fugae, o cui mille leonum
Sacrasti exuvias; o tu, qui si agmina fratrum
Juvisses alto in bello, jam credere dignum est
Cessuros regnum natis tellure fuisse
Coelicolas victos; ne nos deponere in oris
Cocyti grave sit, glacies quem frigida vincit.
Ne mitte orantes Tityo, ne mitte Typhoeo:
Largiter hic praebere potest, quae munera cuncti
Hic vestri cupiunt. Oneri supponere tergus
Ne pigeat nostro, et naso suspendere parce.
Iste et apud superos poterit tibi reddere famam
Nunc quoque; vivit enim, et diuturnam ducere vitam
Sperat, ubi ante diem non ipsum gratia major
Ad sese revocet. — Sic doctor. At ille tetendit
Approperans dextram et, queis pressit ad incita adactum

Alcidem quondam, ductorem sustulit ulnis.
Ut sese prensum sensit, mihi talia fatur
Minciades: Isthuc accede, ut te quoque prendam:
Dein sic effecit, fasci ut glomeraverit uni,
Sese, meque. Velut sub parte, ubi prona videtur
Carisenda oculis, si quando ex aethere in ipsam
Incumbat nubes, ut contra pendeat illa;
Antaeus mihi talis erat, dum multa morabar,
Clinantem spectans tanta se mole gigantem.
Nec semel evenit, diversum ut quaerere callem
Optarim; sed nos imum prope fluminis alveum
Deposuit leviter, Cocyti ubi stagna profundi
Luciferum Judamque vorant. Hic nulla manendi
Ipsi caussa fuit sic curvo, ast arboris instar
Veliferae, immani se arrexit corpore in altum.

XXXII.

Si mihi sic asprum raucumque sonantibus uti
Fas esset numeris, ut convenientia tristi
Carmina concreperent barathro, in quod pondere rupes
Cunctae aliae tendunt, vena magis ubere succum
Exprimerem mentis; sed ubi est mihi copia nulla,
Fari haud absque metu aggredior: nec parva videtur,
Dignave res risus, aut nomina balba parentum
Fingentis linguae, medium, in quod nititur omne,
Designare. Sed hunc doctissima turba sororum
Ipsa juvet versum, quae Amphiona claudere Thebas
Molitum auxilio juvit, ne carmina rebus
Discordent. — O plebs humanae pessima gentis,
Quae sedes habitas, quas est describere durum,
Profuerit melius vobis pecudum atque caprarum
Isthic sorte datas animas sumpsisse repostis.
Postquam demissi in puteum devenimus atrum,
Sub pedibus Lybici, in multo inferiora locorum

Lapsi, et adhuc murum direxi lumina ad altum:
Prospice, ut incedis, subito haec vox venit ad aures,
Neve caput fratrum miserorum protere plantis.
Quare ego respexi, atque oculos sese obtulit ante,
Sub pedibusque lacus glacie concretus inerti,
Durus ita, ut vitri potius, quam mollis imago
Esset aquae. Non sic denso velamine cursum
Ister contexit, qui praeterlabitur agrum
Austriacum, aut Tanais rigidi sub sidere coeli,
Ut lacus hic stabat. Quod si collapsa ruinam
Vasta Tabernicci, aut Petrapanae pondere toto
Traxisset moles, haud ullum sponda dedisset
Sub casu crepitum. Ac veluti stat rana coaxans
Rictu extra stagnum, cum virgo rustica saepe
Somniat in sulcis se spicas ire legentem,
Stabant liventes, illac tenus, unde pudoris
Apparent signa, in gelidis stringoribus amnis
Umbrae externatae luctu, dentesque ciebant
Conflictu in numerum, ut peregrina ciconia rostrum.
Vultum quaeque suum figebat versa deorsum:
Angorem os, cor triste oculi testantur. At omnia
Ut circumspexi, demisi lumina quaerens
Inferiora meis plantis, simulacraque vidi
Stare duo sic juncta sibi, connexaque ita arcte,
Ut simul immistus capitis pilus esset utrique.
O vos, qui premitis sic pectora mutuo, dixi,
Qui vos, et quodnam genus? — Illi flectere colla
In me sublatis oculis. Tum mollia primum
A lacrimis intus, fluxerunt lumina guttis
Labra supra, at glacies illas oculum inter utrumque
Frigore concretas adstrinxit, et ostia visus
Occlusit. Nunquam sic ligno adnectere lignum
Vi subscus valuit. Quare hi se fronte petebant
Adversa alternis, hircorum more duorum,
Tanta ira hos vicit. Tum unus, cui frigus utrasque

Aures depastum fuit, haud minus usque deorsum
Defixis oculis, dixit: Cur tanta cupido
Sic nos lustrandi? Si istos tu scire laboras,
Possedere ambo vallem, Byzantius amnis
Unde fluit: pater his Albertus; et unica mater
Ipso ventre satos in luminis edidit auras.
Vestigare potes totius lustra Cainae,
Non tamen invenies culpis insignibus auctam
Umbram marmoreo mage dignam in frigore figi;
Non illam, manus Artudis cui pectus et umbram
Uno ictu rupit. Non his Phocaccia, non his
Iste est deterior, modo qui me sic capite umbrat,
Cernere ut ulterius nequeam; quem nomine dicunt
Sasolum Mascheroni. Si es sanguis hetruscus,
Tu quoque quis fuerit jam scis. Et multa profari
Ne me forte adigas, ego sum, inquit, Cammisionus
De Pazzis et, qui purget mea turpia facta,
Carlinum maneo. — Dein vidi mille caninos
Frigore deformes vultus. Quare horreo totus,
Semper et horrebo, gelida vada saxea crusta
Cum relegam mente. At medium, quo cuncta trahuntur,
Queis aliquid gravitatis inest, dum planta petebat,
Et mihi in aeterno trepidabant frigore membra;
An mens sic tulerit, seu fatum sorsve, referre
Nescirem; sed, dum capitum inter strata movebam
Plantas, cujusdam offendi pede fortiter ora.
Ille hanc me contra flens vocem pectore rupit:
Quare me tundis? Nisi multam Montisaperti
Advenis aucturus, quid me, furiose, lacessis?
 Atque ego: Fac maneas hic me, praeceptor, ab isto
Dum mihi solvantur, dubia quae mente revolvo;
Et me pro arbitrio posthac properare jubebis.
 Dux stetit; atque ego adhuc dure maledicta vomenti
Dixi: Quis tu, alios audax incessere probris?
 Ecquis es, o, qui aliis, quos haec Antenora claudit,

Percellens malas spatiaris, ut, integer aevum
Si quoque nunc ageres, tamen id nimium foret? inquit.
Tunc ego respondi: Superest mihi vita, tibique
Dulce erit id scitu, si poscis munera famae,
Caetera quae inscribat vestrum inter carmina nomen.
Quin etiam cupio, dixit, contraria: abito,
Proripe te hinc, caussamque ultra ne intersere questus;
Namque per hanc vallem male nosti pellicere umbras.
Tunc illum, colli cute posteriore potitus,
Arripui, ac dixi: Aut pandas mihi nomen oportet,
Aut pilus in toto nullus tibi vertice restet.
Isque mihi: Ut cunctos studeas mihi vellere crines,
Nec dicam, qui sim, nec per me discere quidquam
Te patiar; non, si centenis calcibus isti
Insultes capiti. Manibus jam utrisque prehensum
Irrueram in vellus, cirris et pluribus illud
Exspoliaram, ipso multum latrante deorsum
Inversis oculis; cum quidam his vocibus orsus
Clamavit: Quid, Bocca, tibi est? Non esse putabas
Sat tibi sic sonitum crepitantibus edere malis,
Ni latras etiam? Quidnam te Daemonis urget?
Tunc ego: Jam verbum, dixi, nolo amplius addas,
Proditor infamis; nam, te obnitente, per omnes
Effundam terras, de te quae vera notavi.
Ille autem respondit: Abi, et quae ferre sub auras
Vis, narra, ac si unquam nostris evadere lustris
Detur, ne taceas illum, cui lingua parata
Sic fuit. Argentum Gallorum is luget et aurum:
Ipse Duerensem, poteris jam dicere, vidi,
Pessima congeries ubi sontum frigora captat.
Si quis forte roget, num quisquam accesserit ultra,
Haerentem ad latus huic est cernere Beccheriam,
Cui quondam ferro secuit Florentia guttur.
Cum Gano, atque Tribaldello simul inde Joannem
Soldanero ortum non tam procul esse putarem,

Per quem est questa suam, dominante Faentia somno,
Irrupisse hostes portis bipatentibus arcem.
Hinc nos digressi non longe aberamus ab illo,
Cum durata gelu fovea duo spectra sub una
Sic conjuncta simul vidi, ut caput unius esset
Pileus alterius capiti; ac veluti improba ventris
Esuries cogit durum convellere panem:
Sic sibi suppositum prendebat dente supernus,
Stabat ubi molli cervix adjuncta cerebro.
Non aliter Tydeus Menalippo tempora rosit,
Exsuperante ira, ut caput hic, et caetera circum.
O qui crudelem ostendis sic more ferino,
In quem stas supra, rabiem, quemque ore voraci
Manducas, dixi, hac caussam mihi dicito lege.
Hunc contra tantos si exerces jure furores,
Dum vos ipsiusque scelus cognoscere detur,
Ipse quoque ad Superos remeans tibi grata rependam,
Ni prius arescat, quae dat mihi talia fari.

XXXIII.

Sustulit os diro a pastu malus ille, comisque
Abstersit capitis, quod retro morsibus acer
Foedarat, coepitque: Jubes renovare dolorem
Insanum, admonitu jam corda premente, priusquam
Dicam. At si quae verba loquor, sint semina iniquo,
Quem rodo, opprobrii infames reddentia fructus,
Narrantem simul adspicies, lacrimasque cientem.
Ignoro, qui sis, et qua ratione sub istas
Veneris huc sedes; at cum tua sensa loquentem
Audio, Florentinum te lingua indicat ipsa.
Jam me Ugolinum comitem ignorare negabis,
Atque hunc Ruggerium ornatum majore tiara:
Nunc dicam, huic tali quae me det caussa propinquum.
Quomodo consiliis atque ipsius arte maligna,

Cui me credebam, sim captus, deinde peremptus,
Dicere non opus est. Sed quae tibi cognita forsan
Haud patuere unquam fando, quam scilicet atrox
Supplicium mortis fuerit mihi, jam ipse videbis,
Et, num sim laesus, tu disces crimine ab isto.
  Rima adaperta brevis tenebroso in carceris antro,
Cui titulus per me famis est, ubi clausus oportet
Ultimus haud fuerim, mihi jam per tenue foramen
Monstrarat plures lunas, mala somnia cum me
Ceperunt, per quae velamina scissa futuri
Sunt mihi. Is hortator dominusque est visus adesse,
Atque lupum et catulos ad montis trudere saltus,
Quo Pisae opposito prohibentur cernere Luccam.
Cum canibus macris, studiosis, atque notatis,
Prae se GUILANDOS, et cum agmine SISMUNDORUM
Una LANFRANCOS in prima fronte locarat.
Jam parvo elapsos spatio natosque patremque
Cernere erat lassos, et acutis dentibus artus
Findi his. Cum evigilans totus, nondum jubare orto,
Natos ecce meos, aderant qui in carcere mecum,
Lugere in somnis audivi, ac poscere panem.
  Vere es crudelis, si jam prohibere dolorem
Scis, reputans tecum, quod cor me triste monebat;
Et si non luges, quaenam te caussa videbit
Lugentem? Elapso stabat jam quisque sopore,
Atque prope hora aderat, qua nobis esca solebat
Adduci; at dubitans sua somnia quisque timere;
Cum subito audivi claudentes stridere claves
Turre sub horribili. Quare simul ora meorum
Quaesivi haud hiscens. Non flebam, ita saxeus intus
Factus eram. Illi flere, meusque ANSELMULUS inquit:
Sic haeres, pater, obtutu, quid mente volutas?
Lacrima nulla mihi tamen, et vox edita nulla est
Tota illa labente die, vel nocte sequente,
Donec mane nova sol luce impleverat orbem.

Utque parum irrepsit jubaris claustra intima acerbi
Carceris, inspiciensque meum per quattuor ora
Legi ipse os, ambas, superante dolore, momordi
Dente manus: illi, id suadente cupidine edendi
Me fecisse rati, in pedibus subito ante stetere,
Haec fati: O genitor, multo minus aspera nobis
Poena foret, nobis si vescere: carnibus artus
Hos tu vestisti miseros, tu hos exue. Motus
Tunc ego composui, ne urgerem tristius ipsos:
Illa aliaque die muti omnes. O mihi dura
Terra nimis! cur non patefactis faucibus imum
Pandisti barathrum? Quarta redeunte diei
Luce, mihi ante pedes protenso corpore Gaddus
Procubuit, dixitque: Pater mi, cur tua cessant
Auxilia? Effuditque animam hic; et, ut ipse videre
Me potes, hic vidi casu tria singula eodem
Quintam intra sextamque diem cecidisse meorum
Corpora natorum exspirantia. Quare ego coecus
Quemque supra incubui reptans, et quemque vocavi
Binos usque dies totos post funera. Tandem
Plus potuit jejuna fames, quam patrius angor.
  Haec ubi dicta dedit, contorquens lumina, rursus
Corripuit miserum caput, haerens dentibus ossis
Contra vim validis, velut escam inhiante molosso.
  O Pisae, o ingens populorum infamia, quotquot
Pulchra alit, ac recipit tellus, ubi cuncta per ora
Si resonat; quoniam tam lenti poscere poenas
Vicini cessant, ruptis Capraria vinclis,
Atque Urgo irrumpant, quaque undans profluit Arnus,
Objiciant sepem, exspatiatus ut obruat omnes.
Quod si Ugolinum comitem tum fama ferebat
Arcibus esse tuis sub proditione potitum,
Saevire in natos quaenam te caussa jubebat?
Quid tantum meruere Ugucculus, atque Brigata,
Quosque alios cecini? Insontes nova fecerat aetas,

Theba nova. — Interea progressi venimus illuc,
Stringor ubi gelidus concretae frigore aquai
Comprimit alterius, velut aspera fascia, gentis
Saecula, non inversa solo, sed ventre supina.
Fusus ibi fletus in fletus non sinit ire,
Inque oculis dolor offendens obstantia, retro
Vertitur, interiora petens, duplicatque dolorem.
Namque ori agglomerant stagnantes frigore guttae,
Cassidis atque instar vitreae loca concava replent
Palpebris subjecta. Licet mihi frigore sensus
Torperent omnes, velut obdurescere callo
Mos est, nec quidquam in visu jam sedis haberent,
Nescio quid venti tamen usurpare videbar
Auribus, atque meo doctori: Quis movet istum?
Nonne hic exstinctum vidi genus omne vaporis?
Is mihi: mox illuc venies, ubi visus ad ista,
Quae quaeris, responsa dabit, cum caussa patebit
Inspicienti oculis, agitatas quae pluit auras.

Atque malorum unus, quos frigida crusta premebat, *
Ad nos: O animae, clamabat, corde ferino
Sic, ut vos poenae sedes postrema reservet,
Demite dura oculis velamina, ut exitus altae
Tristitiae, qua corda gero praegnantia, detur
Mi paulo ante, gelu lacrimas quam duret in ore.

Ut sit opis nostrae, dixi, tibi copia, qui sis
Effare; at, nisi te solvam, sub fluminis imam
Ire mihi glaciem sit opus. Tunc talia fudit:
Albericus ego, male nati a fructibus horti
Ille ego sum frater, carotam qui hoc lego in arvo
Pro fico. — Oh, dixi, anne dies te jam abstulit atra?
At contra ille: Meo quidnam de corpore fiat,
Aut ubi terrarum maneat, mihi scire facultas
Nulla datur. Tantum fert haec Ptolomaeia lucri,
Ut non raro anima in praeceps huc decidat, ante
Hanc ex carceribus quam mittat Parca reclusis.

Quoque magis vitro compressas radere ab ore
Sponte velis lacrimas, haec discito: Quaelibet usa
Proditione anima est, ut et hoc scelus ipse patravi;
Illi aufert corpus Daemon, qui hoc deinde gubernat,
Dum totum excurrit spatium revolubilis aevi.
Hanc in cisternam ruit illa, et forte videtur
Vos inter nunc corpus adhuc versarier umbrae,
Quam mersam hinc retro perstringit frigidus horror.
Id te scire puto, nigra si modo regna subisti
Nuperus: isque est Brancae, suum cui patria habere
Uria dat nomen. Tamen illo ex tempore plures
Praeteriere dies, glacie cum est clausus in ista.
 Hic: Mihi mentitum te suspicor, huic ego dixi;
Nunquam etenim Brancam sublatum funere vidi,
Uriaque hunc salvum testatur patria; vivit,
Atque edit, atque bibit, dormitque, atque integra pannis
Membra tegit. — Contra is: Nondum nigrantia in antra
Ille ingressus erat, fervens ubi nigra tenaci
Unda pice exspumat, Michael cognomine Zanche,
Ex quo suffecit dominantem Daemona in artus
Ipse suos, pariterque affinis, qui fuit una
Proditor. Ast huc tende manus, mihi denique solve,
Pande oculos; sed ego huic oculos aperire negavi,
Atque fuisse hominis credo, sine corde videri
Humano. — O Ligures, contraria pectora legi
Omnigenae, atque omni vitiorum labe referta!
Cur hinc justa Dei vos nondum sustulit ira?
Namque ubi cunctorum stat pessimus Aemilianus
Proditor, inveni ex vestris, qui ob tristia facta
Jam stagno abluitur Cocyti, in corpore visus
Nunc quoque apud Superos vitali vescier aura.

XXXIV.

Obvia Tartarei regis vexilla propinquant;
Quare intende aciem, dixit praeceptor, an illa
Prospicias. Veluti cum spirat pinguis opacae
Caligo nebulae, aut nostris nox incubat agris:
Tunc e longinquo sum visus cernere molem,
Orbi pistrini similem, quem flamine ventus
Vertit agens circum: dein, me impellentibus auris,
Ductorem traxi retro; neque enim ulla latebram
Antra dabant. Ego eram (nec jam formidinis expers
Haec trado numeris), ubi stabant undique totae
Circumtectae umbrae, ac sicut festuca nitenti
Clausa vitro, illarum sic translucebat imago.
Stant aliae multaeque jacent, hae in vertice, et illae
In pedibus rectae; ad talos invertere, ut arcus,
Vidi alias vultus. — Ubi sic processimus ultra,
Ut mihi monstraret, quem dextera summa creatrix
Fecerat eximium forma facieque micante,
Se mihi subduxit submoto, ac sistere jussit:
Ecce tibi Dis, ecce locus, ubi pectore firmo
Atque animis opus est, fatus. — Tu conjice, lector,
Quam tunc horruerint mihi membra, ac faucibus haerens
Vox steterit. Mitto id modo scribere, namque loquentis
Lingua foret quaevis impar. Situs inter inane
Sanguinis atque animae corpus, vivumque manebam:
Jam tecum reputa, si quid tibi mentis acutae est,
Qualis eram factus, defectus munere utroque.
Pectore dimidio regni induperator acerbi
Exstabat glacie; atque magis mea forma giganti
Conveniat, formae corpus quam immane gigantum
Istius: jam tu ipse vide modo, quanta putanda
Sit moles tantae respondens congrua parti.
Si tam pulcher erat, quam nunc deformis, et ausus
Acriter ore suum est auctorem surgere contra,

Omne genus luctus aequum est descendere ab illo.
O mihi quid monstri est visum, cum in vertice trinas
Aspexi facies! Unam, quam in fronte gerebat,
Sanguineam vidi: ast reliquas, quae duplice forma
Constabant, isti superaddi humerum inter utrumque,
Quae concurrebant, quo cristae surgit acumen.
Dextra videbatur pallentem neutra colorem
Inter et albentem, faciesque sinistra tuenti
Talis erat, quales, quos primos alluit undis
Nilus, cernere erat. Geminae sub qualibet alae
Magnae, quaeque pares moli tanti alitis essent:
Per mare velivolum non vidi carbasa tanta.
Haud plumae his inerant ullae, sed tegmina quaedam,
Qualia habent volucres, nomen quae a vespere ducunt;
Hasque ita quassabat, triplex ut spiritus inde
Exiret venti. Atque hinc Cocyti omnia stagna
Frigore durabant. Per senos ora rigabat
Flens oculos, lacrimaeque fluebant triplice mento,
Sanguinea mistae spuma; atque, ut malleus hirtam
Contundens stupam, tria singula morsibus ora
Unum ex damnatis rumpebant, tresque dolentes
Sic emittebat. Verum quae vulnera dente
Os dabat anterius, nihili pensanda fuissent,
Si non certassent caedem geminare cruenta
Asperitate ungues, qui dorsum pelle frequenter
Nudabant. — Quam urget cunctarum maxima poena,
Illa anima est Judae, qui dicitur Iscariotes.
Intus habet caput et jaculatur crura superne
Exterius porrecta, inquit praeceptor; et umbris
Ex aliis geminis, quarum utraque habet caput infra,
Quae pendet nigro a rictu, est Bruti: adspice, ut iste
Sese convolvat, nec vocem erumpat in ullam;
Robore membrorum qui praestat, Cassius ille est.
    Sed nox praecipitat, jamque est discedere tempus,
Quando luminibus lustravimus omnia nostris.

Ut placitum est illi, devinxi colla lacertis.
Is tempusque locumque observans, cum satis alas
Expansas vidit, villosi corporis haesit
Costis, inque aliud vellus de vellere lapsus,
Inter setarum silvam, glacieque rigentes
Postea descendit crustas. Cum venimus illuc,
Coxae ubi se jungit summae femur, anxius, aeger,
Conatu multo, quo crura pedesque tenebat,
Invertit caput, et setas prensavit, ut ille,
Qui petit adscensum. Hinc iterum me in Tartara rebar
Deferri. — Dux, more viri, qui lassus anhelat:
Fige animo hac, inquit, discedere peste malorum
Tanta opus esse istas per scalas. Deinde forato
Emersit saxo, posuitque in margine primo
Hic me sessurum. Mihi post haec sat pede cauto
Obvius advenit. Visus ego tollere in altum
Coepi, et Luciferum rebar, qualem ante reliqui,
Cernere. At adverti sublata hunc crura tenentem.
An me sollicitum tunc ceperit anxius horror,
Curet id ignarum vulgus, cui noscere non est,
Quale mihi dederit punctum transire poeta.
Atque is: Surge! inquit; longa est via, trames iniquus,
Et jam confecit spatii medium ora diei
Tertia. Non erat illud iter per vermiculata
Atria, quo fessus deveni, at carcer ab ipsa
Natura exstructus, cui strata maligna, caverna
Lucis inops. Simul arrexi me corpore, dixi:
Doctor mi, ante antro quam vellam corpus ab isto,
Ut mihi dissolvas errorem, fare parumper.
Dic, ubinam est glacies? Et quomodo figitur iste
Corpore ita inverso? Cur sol tam praepete cursu
Vesperis a primo primum pervenit ad ortum
Lucis? — Et ille mihi: Te mens illusa morantem
Trans centrum telluris adhuc facit; atque ubi inhaesi
Setis infesti vermis, qui perforat orbem,

Ipse diu tam illic mansisti, quam mihi visum
Descensum petere est. Inverti ubi corpus, ibi illud
Est tibi trajectum medium, quo cuncta trahuntur
Pondera. Jamque oculis bifidae convexa tueris
Sphaerae, quae bifidam contra est, unde arida magna
Magnum tegmen habet, summo et sub culmine cujus
Est consumptus homo, qui vixit et occidit insons
Culpae; atque exiguo plantis insistis utrisque,
Frontem Judeccae posticam qui efficit, orbi.
  Hic mane est, ubi sol illic descendit in aequor.
Atque hic, pro scalis qui vellus praebuit hirtum,
Fixus adhuc remanet, fixum velut ante videbas.
Decidit hac coelo: et, quae primum emerserat isthac,
Icta metu tellus ponto, ut velamine, vultum
Texit, et ad nostrum semiorbem venit; et istum,
Ut fugeret fortasse, locum tum liquit inanem
Isthinc quae apparet, sursum et conversa recurrit.
Est illic, nec tam procul est a Belzebub, antrum,
Quam puteus patet in longum: hoc haud noscere visu,
Sed rivi a sonitu est. Fluit iste foramine saxi
Arrosi, cursu qua circum labitur unda,
Exigue pendens. — Dux atque ego (nam data membris
Haud fuit ulla quies) fruituri luce novelli
Mundi, iter ingressi, contectum adscendimus: ille
Primus, ego propius post terga, et plurima pulchra,
Quae gerit arx coeli, per spiramenta rotundae
Adspexi rimae; egressique revisimus astra.

PURGATORIUM.

I.

Ut jam currat aquam meliorem, carbasa tollit
Navicula ingenii nostri, post terga relicto
Tam diro pelago; veniuntque secunda canenda
Regna, ubi concretae sordis veterumque malorum
Stant hominum purgandae animae, et conscendere coelum
Emergunt dignae. — Verum hic exstincta resurgat
Ars nostra, o sanctae Musae; me namque ministrum
Legistis. Nunc Calliope det surgere vati
Altius atque illo sonitu deducere carmen,
Qui sic percussit miseris praecordia picis,
Ut non sint ullam in venia spem ponere visae.
Dulcis ab Eoa saphiro color, undique circum
Aëris adspectum puri sine nube serenum
Primam usque ad sphaeram perfundens, gaudia rursus
Jussit habere oculos, simul ac me mortua passa est
Aura exire suis antris, quae oculosque meumque
Vexarat pectus. Qui pulcher amare planeta
Hortatur, radiis juga subdita matutinis
Spargebat risu, cingens velamine pisces,
Qui sibi ductores aderant. Dextram ipse petivi,
Alteriusque poli vestigans lumina mente
Quattuor intenta suspexi sidera nunquam
Cognita, primigenae nisi genti, atque ignibus horum
Ipse videbatur gaudens hilarescere Olympus.

O vidua extremam quae tellus vergis ad Arcton,
Cur tibi subducta est illos spectare potestas?
Cum detorsissem visum, oppositumque parumper
Axem quaesissem coeli, piger unde Bootes
Cesserat; ecce senex, nullo comitante ministro,
Qui tanto dignum cultu sese ore ferebat,
Majorem ut patri natus non debeat ullus,
Adstitit. In pectus longa illi barba cadebat
Cano mista pilo, et simili coma sparsa colore
Hinc inde in partes geminas divisa fluebat.
Quattuor hac sanctae radiabant lumine tanto
In faciem huic luces, veluti mihi si qua fuisset
Flammiferum coram spectandi copia solem.
Quinam vos estis, qui contra flumina coeca
Ex imo aeterni fugistis carceris antro?
Talia concutiens plumas est fatus honestas.
Quis vos adduxit? Vel quis praeferre lucernam
Vobis est ausus noctis per opaca profundae,
Infernae quibus usque solent nigrescere valles?
Sic quas tartareae subierunt funera leges
Franguntur? vel sic coelestia numina mentem
Mutavere novam, ut vos, o damnata, cavernas
Pectora, adiretis nostras? — Dux atque magister
Tunc me corripiens, verbis nutuque manuque
Jussit in obsequium componere genua oculosque.
Talia deinde illi contra: Non ista petivi
Regna meis opibus fretus. Descendit ab alto
Femina, qua implorante, comes ductorque juvare
Hunc ego decrevi, et quoniam tua certa voluntas
Postulat, ut mage nostra tibi, utque est vera patescat
Conditio, hoc equidem me haud posse negare fatebor.
Nunquam hic supremam sibi vidit funeris horam;
Stultitia at ducente, fuit sic proximus, ut jam
Temporis haud multum abfuerit, quin protinus atro
Conciderit leto. Ut dixi, me miserat illa,

Hunc ut subriperem. Effugii at via vera dabatur
Nulla alia, excepta, quam sum molitus inire.
Huic ego monstravi devotae examina gentis,
Nunc fert mens illos animarum ostendere coetus,
A quibus abluitur macularum funditus omnis,
Te jus dante, lues. Longum esset dicere, ut illum
Traxerim. At ex alto virtus descendit opemque
Dat mihi. ut adducam fruiturum lumine vultus,
Atque oris sermone tui. Ne taedeat hujus
Adventus. Illi libertas quaeritur omni
Cara viro, ut novit, pro libertate cruorem
Qui dedit et vitam; tuque id nescire negabis,
Pro qua dulce Uticae duxisti occumbere, ubi ipse
Liquisti vestem, quae multa luce micabit,
Magna dies cum aderit. Nec per nos laesa videbis
Edicta aeternae legis; nam vescitur iste
Aura vitali, nec Minos arbiter Orci
Me ligat; at me ille orbis habet, tua Martia casto
Lumine quem lustrat, faciemque habitumque precantis
Nunc quoque habens, sanctum pectus, pro foedere primi
Conjugii, utque tuam sese patiare vocari.
 Flecte igitur mentem per, qui hanc tibi jungit, amorem.
Nos septemgemini valles sine visere regni.
Huic de te grates referam, si fama feratur
Vis tua per sedes illas. — Mihi Martia, dixit,
Tantum cara fuit, vestro cum sole fruebar,
Ut sim largitus, dum vixi, quidquid habebat
In votis. At nunc cum trans mala fluminis atri
Stet vada, tempus abit, quo possit nostra movere
Consilia, ob legem, quae egressum jusserat istis
Imperitare locis. Sed si te femina coetu
De supero movet, atque regit, prout ipse fateris,
Haud opus est precibus, tibi nam satis esse putandum est,
Hanc quod me poscis veniam, exorasque per istam.
Ergo i, et fac cingas huic crinem simplice junco,

Osque laves ipsi, ut sordes eluta recedat
Omnis, namque aliqua nebulae caligine laesos
Dedeceat primo visus offerre ministro
Aulae coelestis. Perparva haec insula in imo
Fundo, ubi se illidunt undae, fert sponte palustrem
Per limum juncos. At quaevis altera planta
Seu frondens, solido seu stans in stipite, habere
Hic vitam haud possit, namque harum nulla secundat
Plagarum impulsus. Ne postea ferre regressum
Hinc sit. Sol jam oriens clara vos luce docebit
Carpere iter levius, qua sit minus ardua rupes.

Haec ubi dicta dedit, nostris evanuit ille
Ex oculis. Ego humo haud hiscens mea membra levavi,
Totus et accessi ductori, ac lumina in illum
Verti; atque is coepit: Fili, vestigia nostra
Tu sequere, inque viam retro tendamus euntes;
Namque hinc planities fines descendit ad imos.
Eos vincebat modo facta crepuscula terris
Praemeditata fugam, nec jam procul inde videbam
Aequor crispato tremulum fervescere fluctu.
Per vacui non culta soli nos vertere gressus.
Qualis qui excessit recta regione viarum,
Et redit, effusus cui tum labor ire videtur,
Donec eo veniat. Postquam pervenimus illuc,
Ros ubi cum radiis pugnat solaribus, atque
Sedibus insistens, quas mulcet frigidus aër,
Rarescit lente; super herbam utrasque tetendit
Suaviter ille manus. Ego tunc haud nescius artis,
Quam doctor molitus erat, huic ora, genasque
Protendi lacrimis rorantes. Ille colorem
Omnem detexit, mihi quem celaverat Orcus.

Exin desertam pelagi devenimus oram,
Quae sua mortales nunquam vada findere remis
Viderat expertos reditum. Hic mea tempora cinxit
Pro lubitu alterius. Verum o mirabile visu!

Nam qualisque et quanta fuit, quam legerat ille,
Planta humilis, talisque et tanta est visa renasci
Ilicet. inque loco pariter posita, unde revulsa est.

II.

Jam Sole albebat, qui in plano terminat aethrae
Prospectum circlus, cui qui super imminet aeque
Hinc, inde in medio, qua sese altissimus effert,
Urbem operit Solymam; atque viae, quae conficit orbem
Parte sub opposita, nox assurgebat ab undis
Gangis, praeportans aequato pondere lances
Dextra elapsuras, simul ac properare laboret:
Quare candidulo roseoque adspersa colore
Pulchra Aurora genas, in qua regione morabar,
Lutea fiebat nimio jam languida ab aevo.
Cum duce adhuc ibam propter vada caerula ponti,
Ut gens, quae meditatur iter, sibi corde volare
Visa, suoque moram non rumpit corpore; et ecce
Qualia jam exoriente die splendentia Martis
Igne rubent inter densatos ora vapores
Axe sub Hesperio liquidi super aequora ponti;
Tale mihi lumen (sic hoc spectare facultas
Sit rursus!) visum est adscendere per mare cursu
Tam cito, ut alarum non ullum aequare volando
Remigium valeat. Cum visus inde parumper
Flexissem, donec doctorem pauca rogarem,
Hoc fulgere magis vidi, increbrescere majus:
Dein stetit ante oculos, jubare undique circumfuso,
Albi ignotum aliquid, sensimque exire videbam
Huic quiddam simile inferius. — Dux hactenus ore
Conticuit, donec nobis prima alba videndas
Ostendere alas; sed ubi bene navita cursus
Arbiter huic patuit, clamans est talia fatus:
Fac, fac utrumque genu flectas, ac jungito utrasque

Palmas; ecce tibi coelestis nuntius aulae;
Jam tibi continget tales spectare ministros.
Cerne, ut spernat opes humanas, nec velit ullum
Velum, nec remum praeter, quibus emicat, alas
Per tam longinquis distantia littora terris.
Adspice, ut arrectas ad coelum hic aëra tranans
Explicet aeternas pennas, quas cernere non est
Tempore mutatas mortalis more capilli.
Dein, quanto propius propiusque accesserat ales
Divinus, tanto manifestior ille micabat
Clare, ut nostra acies adspectum ferre nequiret
Cominus; ast in humum defixi lumina visus.

Atque hic applicuit ripis agilissima cymbae
Texta levis, sic ut pini nihil hauserit unda.
In puppi stabat coelestis navita, talis
In fronte, ut legeres hunc omni ex parte beatum;
Et turba umbrarum plus quam centena sedebant
Cantantes intus, quae vates carmina David
Edidit, Aegypti de finibus egredientes
Judaeos memorans, ac tandem exuta catenis
Brachia barbaricis; et erat vox omnibus una.
Ut cruce signavit cunctas, tulit impetus illas
In terram. Iste cito, quo cursu venerat, inde
Ex oculis abiit. Sed, quae illic turba remansit,
Ire videbatur rudis, atque ignara locorum,
Circumspectando haud aliter, quam qui nova tentat.

Omni ex parte diem telis urgebat acutis
Sol, qui cornigerum expulerat medio aethere caprum;
Cum nova gens ad nos sublata fronte locuta est:
Si nota est vobis, quae ad montem semita ducit,
Hanc nobis monstrate. — Illis dux talia contra:
Nos hunc haud nescire locum vos forte putatis,
Attamen hac, ut vos, peregrini erramus in ora.
Huc aliud per iter nos paulo venimus ante,
Asperitasque viae nos talis tantaque fregit,

Ut jam pro ludo veniat labor omnis habendus,
Quaecunque adscensu via sit superanda maligno.
Quae sensere animae me per spiracula vitam
Ducere, mirantes vultu pallente stetere.
Atque ut gestantem ramos pacalis olivae
Circumfusa ruit turba auditura loquentem
Legatum, et quemquam haud refugit calcare premendo;
Sic hae felices animae intendere frequentes
In me aciem pariter certantes cernere coram,
Paene iter oblitae, quod puras mittit et alma
Indutas forma. — Vidi praecedere quandam
Me complecti avidam, ac tanto haec ardebat amore,
Ut me compulerit simili quoque munere fungi.
O umbrae, humani praeter speciem oris, inanes!
Ter vincire manus post hanc tulit impetus, et ter
Ad pectus rediere mihi: Reor ora stupore
Me pinxisse; etenim risit, seseque retraxit
Umbra; at ego ulterius processi hanc pone secutus.
Suaviter haec jussit pedibus me parcere; at ipsa
Tunc mihi cuja esset patuit, precibusque rogavi,
Sisteret ut gressum, ne fandi copia deesset.
Illa mihi: Qualis mortali corpore vinctam
Me tibi junxit amor, talis me morte solutam
Jungit adhuc. Quare sto. At quae te causa coegit
Has penetrare domos? O mi Casella, per istud
Veni iter, ut me alio reducem illuc tempore sistam.
At quis praeripuit tantam tibi temporis horam?
Iste autem: A quoquam mihi nulla injuria venit,
Si mihi, qui imponit quo visum est tempore, quosque
Vult, cursum ad ripas optatas saepe negavit.
Namque illi alterius sua fit bene justa voluntas:
Quamquam, ex quo trinos verterunt sidera menses,
Pace bona, quemcunque animus intrare ferebat,
Accepit patiens. Ego, qui mare prospiciebam,
Tibris ubi spumante salo se immiscet, ab illo

Comiter exceptus sedi, qua versa tenebat
Remigia alarum: nam semper convenit isthuc,
Erga Tartareas quicunque haud labitur undas.
  At tibi nota olim nova ni lex abstulit, aut te
Usus expertem fecit, quo saepe canebas
Carmen amatorum, cupidique et multa moventis
Pectus eras solitus plena donare quiete,
Ne pigeat te aliquo mentem solamine, dixi,
Hanc recreare aegram, tanta quam mole laborum,
Dum venio, via pressit. — Amor qui mente repostus
Alta intus loquitur mecum; sic ille resolvit
Tam dulci ora sono, ut pertentet pectoris ima
Nunc quoque suave melos. — Praeceptor et ipse, cohorsque
Hunc juxta usque adeo visa est contenta, suique
Jam compos voti, veluti si nemo moveret
Corde alias curas. Ita nos consistere hiantes
Intentique notis; verum en longaevus honestus
Advenit, increpitatque: Quid hoc est, pectora lenta?
Qualis neglectus? Quid statis? Quaerite cursu
Montem, quaeque Dei prohibent vos ora tueri,
Ponite ibi exuvias. Ut far loliumve columbi
Si quando carpunt, simul inter pabula stantes,
Nec praeportantes fastum de more superbum,
Si quidquam apparet formidinis, ilicet escam
Deseruere omnes, cura majore premente:
Sic ego deseruisse melos turbae illa novellae
Agmina, et ad montem pariter contendere vidi,
Ut qui carpit iter, nec novit, qua sit eundum
Quaerenti metam; nec nos minus incitus ardor
Ex illis propere ripis discedere adegit.

III.

  Improvisa licet disperderet undique latos
Hos fuga per campos, gressuque animoque petentes
Montem, quo impellit ratio, mihi stringere fidi

Cura fuit comitis latus. Et quo tendere cursum
Hoc sine quivissem? Quis me per saxa rigentis
Traxisset rupis? Percussus pectora morsu
Ire videbatur proprio. O mens conscia, digna
Puraque, ut exigui species erroris amaro
Te pungit stimulo! — Postquam pedis impetus illum
Destituit, quemvis gestum qui invertit honestum,
Mens mea, quae primo stabat contracta, resumens
Propositum, expandit se, ut quae cupiebat, et ora
Converti ad clivum, qui sese effundit et alto
Fit propior coelo. — Solis post terga rubentis
Flamma, meo densum offendens in corpore fulcrum,
Fracta meam fuerat describere visa figuram
Ante pedes. Ego tum metuens, ne linquerer illic
Solus, me verti; sed tum mihi cernere terram
Contigit obscuram ante meam tantummodo formam.
At mihi, qui solamen erat, sic ore profatur
Totus in occursum: Quae diffidentia mentem
Cepit? Me tecum esse, et me te ducere nescis?
Hesperus est, ubi membra jacent, queis clausus opacam
Protendebam umbram. Haec Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope; quod si prae me haud effunditur umbra,
Ne mirere magis, quam cum non excipit ignem
Alterius radiis coelestis quilibet orbis.
Haec parat apta pati cruciatum aestumque geluque
Corpora, quae virtus nobis aperire recusat
Quod facit. Insanit, qui spe sibi spondet inani
Immensam se posse viam percurrere mente,
Quam tenet una Dei natura, triplexque potestas
Unius et trini. Proles humana, doceri
Non ultra fines contenta, absiste moveri.
Nam si vi propria potuisses discere cuncta,
Virginis intactae haud eguissent tempora partu:
Et desiderio multos pallescere vano
Vidistis, queis plena quies concessa fuisset.

Nunc datur his luctu urgeri, poenaque perenni:
Illum Nicomacho natum divumque Platona,
Permultosque alios dico; et capite inclinato
Hic os compressit turbatus. — Ad infima montis
Venimus, atque isthic ita visa est ardua rupes,
Ut levitas crurum hanc suaderet scandere frustra.
Inter Turbiam atque Ericem mage vasta magisque
Sola via, ad nostram, est lenissima scala patensque.
Quisnam, ubi in acclivi rupes jacet ista, docebit?
Doctor suspenso dixit pede, ut ire sine alis,
Qui caret his, possit? Sed figens lumina terrae
Dum mentem ille suam, quae sit via eunda, rogabat;
Atque ego lustrabam suspectans undique saxum:
Adfuit accurrens animarum exercitus ingens
Nos contra ad laevam, nec visa est turba moveri;
Tam tardo illa gradu peragrabat devia rupis.
Tolle tuos oculos, comiti dixi atque magistro;
Ecce hinc, consilium unde petas, si pectore pendes.
Tunc me respexit, vultu et laetante solutus
Sic ait: Ergo illuc vestigia nostra feramus;
Nam lente incedunt, et tu, dulcissime fili,
Spem firma. Sed adhuc tanto procul intervallo
Illae aberant, dico post passus cum duce mille
Perreptos, quanto a longe jaculante recedit
Missa silex dextra, cum altae saxa aspera rupis
Strinxerunt cunctae constipataeque stetere;
Ut qui mente manet dubia, et circumspicit haerens.
O bene defunctae, o animarum lecta corona,
Virgilius coepit, per pacem vos precor illam,
Quam reor ex vestris ardentem quamque manere,
Dicite, ubi jaceat mons sic, ut scandere in altum
Sit nobis; nam quo plus quis sapit, hunc terere horas
Frustra plus taedet. — Veluti sua septa relinquunt
Singulae oves, binae, trinae, et stat caetera turba
Subtimida, affigens oculos simul oraque terrae;

Quodque facit prior, et faciunt uno ordine cunctae,
Densae humeris huic ad dorsum, si forte moratur,
Simplicitate pari dociles, pariterque quietae,
Atque id qui ignorant: ego tunc accedere vidi,
Qui caput illius gregis ibat sorte beati
Gestantis pariter decus incessu, ore pudorem.
Verum ut humi lucem prae se videre retractam,
Me dextrum objiciente humerum, qui extenderat umbram
A me ad speluncam: gens omnis restitit, ac se
Paulum retraxit, reliquaeque hanc pone secutae,
Ignarae, quare id fieret, cessere vicissim
Retro. — De vestris quamquam me nemo rogavit,
Hunc, quem suspicitis, terreno corpore opacum
Esse ego confiteor, per quem modo fissa videtur
Lux solaris humi. Mirari absistite, et ipsum
Non sine demissa coeli virtute putate
Quaerere, qua superet munimen parietis hujus.
Talia praeceptor. Dignusque exercitus ille:
Ferte igitur gressus retro nobisque pracite,
Respondit, dorso manuum velut indice tanto.
  Unus at ex illis coepit: Quicunque vocaris
Tu sic incedens, oculos converte tuoque
Volve animo, an vultus illic perspexeris unquam
Nostros? Respexi figens mea lumina in illum.
Flavus erat, pulcher, forma spectandus honesta,
Deque superciliis unum diviserat ensis.
  Vultu ubi demisso me unquam vidisse negavi:
Illum, inquit, cerne! atque in summo pectore vulnus
Ostendit ridensque: Ego sum Manfredius, addit,
Induperatrix quem Constantia fassa nepotem est.
Quare oro ut, vestras simul ac remearis ad urbes,
Pulchram adeas natam, quae in luminis edidit auras
Hispanae et Siculae gentis lumenque decusque,
Illi ut vera canas, si quis contraria [illegible]
Postquam me geminae letali vulnere plagae

Ruperunt, flentem victas dare supplice voce
Viderat ille manus, qui parcit corde libenti.
Ausa atque acta mihi perverse horrenda fuere;
Divina et bonitas tam late brachia porgit,
Ut prendat, quidquid conversam suspicit illam.
At si Clusinus pastor, venatus in agro
Me per Clementem, tunc saltem volvere librum
Coepisset, dictante Deo qui scriptus habetur,
Corporis ossa mei post pontem condita starent
Sub molis statione gravis propter Beneventum.
Nunc illa allidunt imbres et flumina vexant
Regni extra fines, Verdim quasi propter aquosum,
In quo jactatur restincta luce cadaver.
Sed quos devovit verborum formula, non sic
Perdit, ut aeterni non possit vivida amoris
Flamma redire viam, dum aliqua spe praedita vita est.
Haud equidem infitior praereptum morte, priusquam
Demisse orarit, quam sancta ecclesia pacem
Subjecto indulgere solet male facta fatenti,
Quamvis poeniteat, prohiberi hoc littore in omnem
Annum, ex quo durus jussis parere refugit,
Triginta magnis volvendis orbibus annos,
Vota, bonaeque preces isti compendia legi
Ni faciant. Ergo jam prospice, si potes ullis
Tu me hilarare modis, uxori et nuncius ito,
Ut bona cognoscat per te Constantia, qualem
Hic me vidisti, quam haec interdicta docebis;
Namque hic per vestros lucrari multa solemus.

IV.

Cum propter sensum seu gaudi sive doloris,
Qui quandam [illegible] nostris virtutem apprendat, in illam
Se bene me[illegible] figit, non ista videtur
Amplius ad [illegible] alias se intendere vires.

Quapropter longe diversi errare putantur,
Qui credunt aliam atque aliam insuper inflammari
In nobis animam. Nam si quid fertur ad aures
Aut oculos rerum, valido quod distrahat ictu,
It tempus, neque homo sentit. Namque illa potestas,
Quae sensu haeret in hoc, alia est atque integra nostrae
Tota animae. Haec quasi devincta est, manet illa soluta.
Id verum experto patuit, cum fantis ab ore
Umbrae pendebam et mirabar plurima, donec
Quinquaginta gradus superaverat aethereus Sol.
  Nec sensi, nisi tunc, cum illarum venit ad aures
Umbrarum clamor nostras: Quod poscitis, hic est!
Majorem objicibus sepis vallavit hiatum
Villicus exiguo spinarum saepe maniplo
Usus, ubi nigro suffunditur uva colore,
Quam fuit ille aditus, per quem contendere solis
Ductori atque mihi est visum, post terga caterva
Discedente alia. Sanlaeum est repere plantis,
Naulo delabi, atque tuum, Bismantua, dorsum
Exsuperare datur; verum hic opus esse volatu
Res docet alarum levitateque: scilicet ingens
Me desiderium pennis ducebat adortum,
Illum pone sequi, qui spem dabat, atque ferebat
Prae se meque facem. Nos inter fragmina saxi
Venimus adscensu, stringebatque undique corpus
Summa; pedes pariterque manus pars infima semper
Poscebat. — Postquam supremo in margine rupis
Alterius stetimus, ripae nacti aequor apertum,
O mi praeceptor, dixi, quem carpere callem
Fert animus? Tunc ille mihi: Descendere passu
Parce ullo, ac post me teneas saxa ardua montis
Scandendo, sapiens dum nobis obvius adsit
Monstrator. Sed apex summus distabat ab ima
Radice usque adeo, ut visum longinqua tuentem
Falleret, atque assurgebat magis ille superbe

Clivus, quam ex medio ad centrum demissa quadrante
Linea. Lassus eram, cum coepi: Respice, dulcis
Mi pater, atque vide, ut maneo jam solus, ubi ultra
Contendas. Fili, respondit, repere perge
Atque accede isthuc, ostendens proxima rupis
Terga impendentis, quae ex illa parte rigentem
Undique montem ambit. Tales mihi verba magistri
Admorunt stimulos, ut juxta hunc niterer ipse
Reptando usque adeo, donec saxi orbita duri
Sub pede pressa meo est, et ibi consedimus ambo
Ortum spectantes, qua ex parte adscendimus ante;
Nam juvat emensos oculis lustrare viarum
Difficiles flexus; subjectaque littora primum
Legi, deinde oculos ego coepi tollere in altum;
Ad solem, at laeva hunc mirabar spicula lucis
Mittere. Me vates suspensum haerere stupore
Sat sensit, dum lucis iter solisque tuebar,
Hunc ubi nos inter Boreamque intrare videbam.
Is mihi: Si gemini, lucentia sidera, fratres
Cum speculo ducente jubar sursum atque deorsum
Una irent, ibi in obliquo curvamine sectum
Rubrum iter adspiceres propius, dum se rotat, ursas
Stringere adhuc curru, nisi forte id tramite abiret
Antiquo. At cur id fiat, si cernere posse
Optas, fac mente attendas ac finge Sionem
Tantum, atque hunc montem terrarum exsistere in orbe
Sic, ut, qui in plano prospectum terminat aethrae
Circlus, utrisque unus pateat, diversaque sphaerae
Puncta utrique habeant bifidae, tunc ipse videbis,
Ut sit, per quod iter Phaëthon male decidit ausis,
Huic latere ex alio sol conspiciendus, et illi
Ex alio, clare si advertas lumine mentis.
Haud unquam certe res aeque est clara, magister,
Visa mihi, atque modo, dixi, hanc dignoscere fas est:
Quod prius ingenium mihi erat minus utile visum.

Namque orbis medius, quem circa sidera motu
Labuntur supero, quique appellatur in arte
Aequator, quique usque inter solemque hiememque
Est situs, ob caussas illas, quas dicis, ad Arcton
Hinc discedit; ubi contra hunc Judaea videbat
Gens rutila ad calidas tendentem lampade partes.
At, nisi te taedet, me valde scire juvaret,
Quanta terenda via est nobis; namque altus ad astra
Mons scandit plus quam mea lumina scandere possint.
  Virgilius mihi: Is est clivus, respondit, ut usque
Sit gravis ad summum nitenti evadere ab imo.
At quanto magis ille viam vir pergit, eundem
Tanto urget minus atque minus labor omnia vincens.
Quare ubi suavis erit tibi sic, ut vadere in altum
Res tibi habenda levis veniat, velut ire secundo
Flumine navigiis deorsum; tum haec semita habebit
Finem, et securae dabitur dare membra quieti:
Nullum ultra verbum, namque haec verissima novi.
  Vix haec fatus erat, subito cum venit ad aures
Proxima vox: Fortasse prius tibi copia deerit
Sidendi; ad sonitum cujus convertimus ambo
Lumina, et a laeva saxum conspeximus ingens,
Cui neque ego, neque dux oculos adverterat ante.
Repimus huc, multaeque isthic sub tegmine stabant
Umbrae post saxum, ut queis mollis inertia suadet
Stare, atque ex illis unus languescere visus
In sede haerebat complexus genua tenensque
Haec inter vultum demissum. — O blande magister,
Hunc lustra, dixi, qui sese prodit inertem
Sat plus, quam si pigrities soror afforet ipsi.
  Tunc inspecturo venientes haec prior illi
Cura fuit, visus aciem supponere coxae
Haec fando: Tibi praestanti conscendere par sit.
Tunc mihi nosse hominem licuit, nec plurimus angor,
Qui cogebat adhuc animam, celerare parumper,

Illuc ferre aditum vetuit. — Postquam obvius isti
Restiteram, is tollens caput aegre ita voce profatur:
Jam bene novisti, qui fiat, ut aureus axem
Sol humero a laevo ducat? — Pigrum osque brevisque
Sermo mihi ad risum solverunt labra parumper.
Dein coepi: Bellacqua, tuum jam parco dolere
Casum; åt me doceas, cur hic in sede moreris
Immotus. Num forte manes, quem pone sequaris,
Ductorem, an potius te mos vetus ille revinxit?
Ille mihi: Frater, quid me adscendisse juvaret,
Si, quam praefecit numen, custodia portae
Me loca, ubi poenas luerem, prohiberet inire?
Est opus ùt primum mihi vertant astra tot annos
Excluso, quot adhuc vixi; nisi vota precesque
Corde erumpentes, cui gratia donat habere
Vitam, consurgant ad quem mittuntur: at illae,
Quas fundunt alii, quae non coelestia tangunt
Pectora, quid prosunt? — Et jam sublime petebat
Prae me ac dicebat vates: Jam perge, viden', ut
Axe diem medium Sol hinc contingit, et inde
Nox pedibus tegit Hesperii jam regna Marochi?

V.

Jam procul umbrarum coetu digressus ab illo
Ibam, ductoris vestigia pone secutus,
Cum digitum intendens post me talem edidit una
Exclamans vocem: En si non fulgere videtur
A laeva jubar huic subeunti, et planta moveri
Non secus ac vivo. — Ad rumorem ego lumina verti,
Atque illas vidi me unum lustrare stupentes,
Et retro fracti cedentia lumina solis.
Cur in tot curas animum tibi dividis, inquit
Doctor, ita ut gressus cessarint? Cur tibi curae est,
Quid mussent illi strepitantes? Pergito mecum,

Et sine, quod libeat, post tergus dicere vulgus.
Sta veluti turris, quae immoto vertice nunquam.
Quid possit Boreas, didicit. Nam semper, ubi una,
Atque alia atque alia invadit praecordia cura,
Longe a proposito fertur, quia, ubi altera gliscit,
Altera lentescit. — Potui nil dicere contra,
Hoc uno excepto: Venio! Id dixi, ora colore
Valde conspersus, quo vir quandoque repertus
Est dignus venia. — Interea transversa legentes
Clivi, prae nobis paulum longo ordine gentes
Ibant, pro versu versum *Miserere* canendo
Reddentes. At ubi sensit me turba vetantem
Per corpus transire meum, quae spicula mittit
Sol, interruptum mutarunt carmen in unum
Oh! longum raucumque sonans. Ast agmine bini
Ex illo, qui se legatos ore ferebant,
Occurrere simul nobis et voce rogarunt:
Quae sit conditio vobis decreta, docete.
  Atque meus doctor: Jam vobis ire licebit,
Atque his, qui mittunt, eadem haec responsa referre:
Hujus adhuc corpus vera coalescere carne;
Cujus ut inspiciant umbram, si forte stetere,
Ut reor, haec satis est illis responsa dedisse;
Ipsi habeatur honor, quod eas fortasse juvabit.
  Accensos nunquam, nocte incumbente, vapores
Tam cito ego vidi sudum diffindere coelum,
Aut mense Augusti nubes, jam sole cadente,
Quam citius reditum hi tulerint alti ad juga montis;
Atque ubi perventum est illuc, comitante caterva
Advenere sua regressi, ut fusa sine ullo
Turba ruit freno. Quae se agglomeratque premitque,
Ad nos festinans, numero gens plurima abundat,
Et venit oratum, vates dicebat; at ipse
Ne tamen ire viam desiste audique rogantes,
Non interrupto cursu. Tu, quae artubus illis,

Cum quibus existi primas in luminis auras,
O anima, incedis vestita, initura beatas
Sedes, clamabant venientes, ito parumper
Lenius atque vide, num quem tibi noscere nostrum
Forte datum fuerit, cujus narrata reportes
Ad vestros. At cur properas? cur stare recusas?
Nos vis hostilis jam cunctos funere mersit.
Assueti sceleri extremum duravimus usque
Ad tempus, donec lumen coeleste refulsit
Mentibus, ac docuit sic, ut malefacta perosus
Cum fletu ac certus veniam indulgere nocenti,
Quisque sua exivit, placato numine, vita,
Visendi quod amore sui praecordia adurit.
His ego: Ut in vestros ego figam lumina vultus,
Haud ullum inspiciens nosco. At vos si qua juvabit
Res penes arbitrium nostrum, o bene nata animarum
Turba, loqui haud pudeat. Nam pacem juro per illam,
Quam jubeor tantum ductorem pone secutus,
Nunc hoc, nunc illo properans, mihi quaerere in orbe,
Id me facturum. — Tum contra talibus unus
Infit: Quisque tuo benefacto fideret, ullo
Quamquam haud jurasses verbo, prodesse studenti,
Ni tibi propositum virtus male fida recidat.
Quare ego, prae reliquis unus qui te alloquor, oro,
Ut, si forte unquam terram conspexeris illam,
Aemiliae fines inter, quaeque Appulus arva
Exercet, positam, Fani tu largus abundes
Supplicibus verbis, quisque ut bene numen adoret
Pro me, ut purgando gravium delere malorum
Sit mihi fas labem. Namque est mihi patria Fanum.
Verum Antenoreos inter mihi plura profunda,
Unde cruor fluxit, nostra in quo vita sedebat,
Vulnera venerunt, ubi tutius ipse latere
Rebar. Atestinus vehementi percitus ira
In me plus aequo patrati est criminis auctor.

Quod si, dum fugi, Mirae loca lata petissem,
Cum juxta Oriacum me primum oppresserat hostis,
Nunc quoque, vitalis ubi ducitur aura, manerem.
Currenti est quaesita palus, cannaeque fimusque
Impediere adeo trepidantem, ut corpore prono
Conciderim; atque meis vidi manare cruentum
In tellure lacum venis. — Deinde incipit alter:
O quae vota trahunt te celsi ad culmina montis,
Sic rata sint: succurre meis, miserescere praesens
Corde bono atque pio. Primas Monsfeltrius auras
Ducere me vidit. Buoncontem agnosce; Joannae
Non est cura mei, nec respicit altera egentem
Turba. Ideo hos inter demissa fronte vagari
Cogor. — Ego huic: Quae vis, fortunave Campaldino
Te sic avertit procul, ut se scire sepulcrum
Nemo tuum dicat? — Tunc is mihi talia reddit:
Infra Clusinos agros delapsus Eremo,
Tollit ubi culmen pater Apenninus ad astra,
Fons ruit oblique, Archianus qui dicitur illic.
Jamque ego perveni, quo fertur nominis expers
Unda, meum diro transfossus vulnere guttur,
Diffugiens pedes, atque irrorans sanguine campum.
Hic me defecere oculi, pariterque loquela
Clamantem extremum, lingua frigente, Mariam;
Et corpus mansit solum. Nec vera pigebit
Dicere, tuque refer vivis. Demissus ab alto
Ales me prendit coelestis nuncius aulae;
Tartareus contra clamare: O tu, incola coeli,
Cur me dimittis vacuum? Tu aeterna reportas
Istius spolia ob miseram, mihi quae eripit istum,
Lacrimulam. At reliqui quod me manet, ipse repexum
Longe aliter mittam. Scis jam, ut se tollit in altum
Collectus vapor humidus atque recedit in imbrem,
In loca cum surgit, gelidis ubi stringitur auris.
Huc venit malus ille animus, qui mille nocendi

Usque artes poscit solertis acumine mentis,
Et fumum et ventum ingenita virtute repente
Movit. — Ubi est exstincta dies, caligine vallem
A Prato Magno in coelum sublime minantis
Montis ad usque jugum texit. Dein desuper aethram
Admonuit, foetusque in aquam dissolvitur aër.
Praecipitant imbres, et quos jam terra nequibat
Accipere, in fossas tulit impetus, utque fluentis
Mos solet esse amplis, undae traxere ruinam
Tam rapide in flumen regale, ut nulla valeret
Vis prohibere malum. Mea frigore membra soluta
Indomiti Archiani furor aufert improbus inque
Arnum conjecit, solvitque a pectore nexam,
Quam fecere crucem mihi brachia, cum dolor ingens
Me vicit domitum, et per ripas volvit et imum
Per fundum; deinde ipse sua cinctum atque revinctum
Advolvit praeda. O patrias cum rursus adire
Fas tibi erit terras, dabiturque quiescere longo
A cursu atque labore viae (sic fata secundam
Tertia post animam est), haud obliviscere nostri!
Sum Pia, me genuit Sena confecitque Maremma,
Scitque haec ille, prius mihi qui donarat habere
Annellum, sociamque tori uxoremque vocarat.

VI.

Ludere ubi talis cessatum est, corde dolenti
Stat victus repetitque vices, ac denique tristis
Discit. Victorem sequitur gens tota, praeitque
Unus, eumque alter prendit post tergus, it alter
Ad latus atque jubet meminisse. Haud ille remittit
Ire, at nunc aures isti, nunc admovet illi,
Cuique manum porgit, mens importuna recedit
Instandi ulterius; removet sic ipse sequentem
Turbam. Non secus hoc versabar in agmine vulgi,

Quemque tuens oculis atque undique circumspectans,
Multaque promittens a cunctis liber abibam.
Hic Aretinum, qui sub fera brachia Ghini
De Tacco occubuit, vidi, quique impete coeco
Hostes dum insequitur, subjectum lapsus in amnem
Interclusa anima periit. Hic cum prece blanda
Attollens palmas Fridricus utrasque Novellus,
Nec non Pisanus testatus, pectore forti
Marzuccum eminuisse bonum, tardabat; et Ursi
Vidi animam comitis; disjunctaque corpore ob iram
Atque acrem invidiam, sicut dicebat, at ulla
Absque sua culpa, nobis anima altera venit
Obvia. Ego Petrum Braccensem hunc esse monebo.
Atque hic praecaveat, superest dum vita, Brabanta
Regina, ac videat, ne pejor se maneat grex.
Omni me postquam dissolvi exercitu earum
Umbrarum orantum, ut requiem sibi supplice voce
Orarent alii, ob quam sanctis esse liceret
Ocius, hic coepi: O mea lux, docuisse videtur
Omnino tua Musa loco non posse precando
Fata Dei flecti; tamen id gens ista rogabat.
Frustra ergo hi sperent? An non bene scripta patescunt
Mi tua? — At is contra: Si contemplabere sana
Rem penitus mente, est facilis planusque meorum
Scriptorum sensus, neque eos spes ludit inanis.
Namque haud descendit majestas summa superni
Judicii, dum corda urens vis ignea amoris
Uno ictu absolvat, quod jussus solvere debet,
Quicunque hic stabulat. Sed ut est sententia, nemo
Vitae emendabat veteris malefacta precando;
Namque Deo immensum sejunxerat intervallum
Orantem. At vero tantis obducta tenebris
Dicta arcana mihi ne obfirma certa putare,
Ni prius id doceat, quae lux micat inter utramque
Veri animique facem nostri. Atque hic nescio, an istud

Perspicias etiam. Mihi designanda Beatrix
Verba per ista fuit, tibi quae manifesta videndam
Se dabit istius sublimem in vertice montis,
Pax ubi perpetuo diffundit gaudia visu.
Cui: Bone dux, dixi, hanc gressu properante petamus;
Me namque haud labor iste gravat, velut ante solebat,
Jamque vide, ut major de clivo decidat umbra.
Isto progrediamur iter cum lumine, donec
Sol dabit ire, inquit. Verum id secus esse putabis,
Ac tu rere modo. Nam tu ipse redire, priusquam
Illuc pervenias, iterum miraberis illum.
Qui sic opposita montis sese abdidit umbra,
Ipsius ut radios non sit tibi rumpere. At ecce,
Cerne illic animam figentem lumina visus
Omnino solam, quae nostrum utrumque tuetur;
Haec nos, quae melior ducat via, forte docebit.
Venimus: O anima, italico sata sanguine citra
Eridanum, corde humano, quam te ore ferebas
Celsam ac majestate gravem! O ut honesta moventi
Tarde oculos acies ibat. Nihil illa profari,
Sed sinere ire viam venientes, more leonis
Compositi requie nos contemplata, nec ulla
Vox fuit. — Huic tamen accessit, paucisque rogavit
Virgilius, monstraret iter, quod scandit in altum
Lenius. Illa nihil, sed quae sit patria nobis,
Quae vita, exquirit. Dulcis dux: Mantua, coepit: —
Umbraque sola loco in solo, qua sede sedebat.
Obvia surrexit, vati sic ore locuta:
Urbs tua, Minciade, est pariter mihi patria. Dicor
Sordellus, collo et complexus uterque pependit.
O serva Italia, angoris lustrum, orba magistro
Pinus, ubique gravis stridente furore procellae,
Non jam terrarum domina, ast praesepe luparum!
Nobilis huic animus tam mox assurgere suasit,
Audito dulci patriae modo nomine terrae,

Officiosa suo ut praeberet pignora civi;
At nunc ex vestris nemo, qui lumine solis
Gaudeat, a bello vacat, alternisque furentes
Se rodunt, unus quos claudit murus et una
Fossa. O infelix, quaere et circumspice ab oris
Aequoris omne tui spatium, deinde inspice pectus,
Si qua tui saltem pars in te pace fruatur.
Quid prodest vobis, si Justinianus habenas
Restituit, cum sella vacet? Sors vestra sine illis
Forte pudenda minus foret. O gens, jussa deceret
Te facere, et sinere Augustum considere sella,
Si vobis mandata Dei bene nota fuere.
Adspice, ut haec facta est nequam fera, dum sinis ire
Immunem stimuli, postquam tua dextera lorum
Arripuit. Te jam, te, proles Teutona, princeps
ALBERTE, hanc lentus qui negligis atque relinquis,
Quae facta indomita est, similisque ferocibus ursis,
Istius decuit bene presso insidere dorso.
Justum judicium de coelo decidat alto
In genus omne tuum, horrendum novitate, patensque,
Ut successori metus anxius occupet ossa.
Tu namque atque tuus pater, ambitione jubente,
Isthinc distracti passi estis amoena vireta
Imperii vestri fieri deserta locorum.
Fac reditum huc referas, et prospice CAPPELLETTOS
MONTICULOSQUE PHILIPPENSESque, et cerne MONALDOS,
Illos jam tristes, trepida hos formidine plenos.
Huc ades, o crudelis! ades; circumspice pressos,
Quos tibi conjunctos noras, et vulnera cura;
Et sanctam inspecta Floram, ut secura quiescit.
Cerne tuam Romam flentem viduamque relictam,
Ac solam id tantum noctesque diesque querentem:
Heu! cur, mi Caesar, mecum comes ire recusas?
Cerne, ut amentur, ament gentes; sin pectora vestra
Nulla movet nostri pietas, huc te adjice, famae

Ut puduisse tuae discas. Et si mihi detur,
Proh tu, Summe! crucem in terris contente subire
Pro nobis, alias avertis lumina justa?
An sunt consilii in barathro arcanisque parata
Ista tui, suadente boni melioris amore,
Quod latet omnino, ut rura Itala plena tyrannis
Sint cuncta, et novus exsurgat Marcellus in agris
Quisquis rumpebat glebas, dum sponte sequatur,
Quam malit, partem? — O mea tu, Florentia, certe
Hic me proposito deerrantem, atque ista canentem
Sat fecisse tibi duces; neque te movet illud,
Quod dixi, ob meritum populi sic vestra tuentis.
Justitia est cordi multis, sed missile tarde
Solvitur, imprudens ne dextera liberet arcum;
At summo véstri populi versatur in ore.
Pondera permulti detrectant publica, at ista
Plebs tua respondet, nullis suadentibus; ecce
Meme; adsum, clamans; humeris onus ipse subibo!
Nunc gaude, nam causa subest. Tu dives opum vi,
Tu pacis, tu consilii plenissima: nec res,
Num verum dicam, quemquam inspectare vetabit.
Cecropis urbs, nec non Sparte, queis condere leges
Cura fuit veteres, tanto et florescere cultu,
Perleviter bene vivendi tetigisse feruntur
Exemplar, prae te, quae tam subtilibus usa es
Consiliis. Nam quae tu Octobri fila dedisti,
Non ultra fines medii venere Novembris.
Temporis, ah, quoties! cujus meminisse dat aetas,
Jus, morem, nummos et munera permutasti,
Suppositisque novis posuisti membra priora?
Et bene si memori mente uteris, et bene lumen
Adspicis, illi aegrae assimilandam te esse videbis,
Quae frustra in plumis studeat reperire quietem
Mutandoque latus morbum non pellat acutum.

VII.

Alternis ubi dicta salus est, terque quaterque
Officiis sat uterque fuit laetatus honestis,
Restitit atque inquit Sordellus: Fare doceque,
Qui vos? — Ante animae inciperent quam advolvere monti
Sese isti, Superum dignae conscendere sedes,
Ossa per Augustum mea sunt tumulata, vocorque
Virgilius, nec quidquam aliud me amittere jussit
Coelum, hoc excepto, fidei quod luce carebam.
Sic iste. Ut subito, si cui res obvia fiat,
Quam stupet, hic stat in ambiguo, credatne negetne
Id verum: Est, nihil est! dicens; ita se ore ferebat
Ille, ac deinde supercilium demisit et omne
Pronus in obsequium hunc rursus properavit adire,
Complexuque haesit, qua mos solet esse minoris.
O lux Ausonidum, quotquot peperisse Latina
Se jactat tellus, per quem, inquit, nostra loquela,
Quid posset, docuit, decus aeternum illius urbis,
Unde fui: quodnam meritum, quae gratia monstrat
Te mihi? Si dignor tua verba audire loquentem,
Dicito, an ex Orco quove huc emerseris orbe?
Omnes per circos regni sua damna dolentis
Huc veni, sapiens dixit. Me movit ab alto
Descendens virtus, et ea ducente profectus
Adsum. Non ob facta, sed ob non facta tueri
Altum sum vetitus solem, quem tu expetis, et quem
Ipse nimis sero novi. In barathro est locus illo
Non a tormentis tristis, sed nocte profunda
Tantum, ubi non resonant questus de more ululantum,
Sed suspirantum; et pueris immixtus oberro,
Quos propera insontes mors dentibus ante momordit,
Quam labe humana licuisset abire solutis.
Hic illos inter sedeo, qui sancta feruntur
Virtutum ornamenta trium sibi tempore nullo

Adsumsisse, licet reliquas novere sorores
Immunes vitii, et cunctas sunt rite secuti.
  Verum si scis atque potes, quoddam exsere nobis
Indicium, ut detur conscendere Purgatori
Ad primum citius magis apto tramite limen.
  Nulli certa domus, respondit, et ire facultas
Est data mi sursum ac circa, ductorque paratus,
Qua possum, accedo. Sed jam circumspice, ut umbrae,
Inclinante die, incumbant, nec scandere noctu est.
Quare fit bona suadentis consistere belle
Consilii ratio. Stant dextra in parte remotae
Hinc animae, ad quarum statui te adducere coelum,
Si sinis, atque istas haud te novisse pigebit.
  Qui fit? responsum est. Ergo conscendere aventem
Noctu vis aliqua impediet? Vel fiet, ut iste
Non queat? — Et digito fricuit bonus indice terram
SORDELLUS. Dein sic: Adverte, haec linea sola
Haud tibi post obitum solis superabilis esset;
Non quia quidquam aliud mora sit odiosa parato
Scandere, quam nigror densae caligine noctis;
Haec frustra adnixo contra studium implicat omne.
Ipse quidem, stipante ista, descendere quires
Circum et supposito spatiari in colle vagando,
Dum vesper claudit solem. Miratus ad ista
Tum dux: Ergo illuc duc nos, respondit, et illic
Stantibus occurrent, quae nos vidisse juvabit.
  Nec procul inde aberam comites post terga secutus,
Cum mihi mons minui est visus, quo more residunt
Hic valles. Illuc, ait illa anima, ibimus, amplum
Clivus ubi gremium submittit, ibique novellum
Proderit exspectare diem. Situs inter utrumque,
Difficilem et planum, nos duxit ad ardua ripae
In latus obliquus trames, qua deficit istum
Plus quam dimidium limbi. Massa aurea, puri
Argenti nitor et coccum cerussaque, quodque

India fert lignum pretiosum luce serena,
A plagaque recens, fabro tundente, smaragdus,
Cuncta haec victa forent herbae florumque colore,
Quos habet ille sinus positos, ut visa minorem
Res major vincit. Neque ibi natura crearat
Picta modo; ast etiam centum variarat odorum
Nescio quid mistum, quod non distinguere possis.
Cespitibus vivis ac floribus insidentes
Hinc animas vidi, quas vallis panda videndas
Non concedebat. *Salve, Regina!* sonabant
Cantu harum pulsatae aurae. Lux parva priusquam
Jam cubet occidui Solis, (sic ore profari
Coepit Sordellus, qui nos huc vertere gressum
Suaserat,) hortari, ut vos deducam agmen ad istud,
Desinite. Hac melior fuerit de rupe facultas
Cujuscunque procul vultum gestumque tuendi,
Quam si commistos illis vos campus haberet.
Altior is, qui sede sedet, nutuque videtur
Significare suo, se neglexisse, quod aequum
Parque ipsi fecisse fuit, mediusque canente
Turba alia haud hiscens mutit, fuit Induperator
Rudolphus, bene cui patuit sanare potestas
Vulnera, quae Italiam communi caede necarunt;
Quare ope ab alterius sero solamina ducit.
Ater, qui afflictum nutu recreare videtur,
Possedit terram, unde oritur, quae vectat in Albin
Unda fluens Moldam, atque Albin transportat in aequor.
Huic fuit Octocarus nomen, quem lactis egentem
In cunis stratum meliorem est fama fuisse,
Quam Venceslaum pubentem hoc patre creatum,
Quem mala luxuries et mollis inertia pascunt.
Atque is Nasettus, qui consultare videtur
Illum secreto, qui fulget fronte serena,
Nudans terga fugae ac deflorans lilia obivit.
Cernite, ut iste illic pectus sibi tundat, et alter

Frontem suspirans palma sibi fulciat; unus
Est genitor socer ille mali, quo Gallia tota
Tabuit; haud latet hos vitiis deperdita vita,
Atque hinc ille dolor, quo sic agitatur uterque.
Ille adeo ingenti spectandus imagine, quique
Concinit hunc fusus juxta, cui nasus abundat
Masculus, omnigena fertur virtute micasse
Praecinctus. Quod si post illum regna potitus
Ille foret, qui pone sedet puer, omine fausto
Natorum in natos transisset patria virtus;
Quod non de reliqua quisquam ausit dicere gente.
Jacob, ac pariter Fridricus regna gubernant,
Neuter praecipui patrimoni creditus haeres.
Raro per ramos probitas humana resurgit,
Omnia dante illo, qui vult accepta referri
Cuncta sibi. Quae verba loquor, praecordia tangent
Nasuto atque Petro, qui cantum voce secundat,
Per quos jam luget Narbona atque Appulus omnis.
Semine planta suo tanto minor esse putatur,
Quanto plus etiam Constantia conjuge laetam
Se jactat, quam cum consorte sorore Beatrix.
Adspicite Henricum gaudentem simplice vita,
Anglorum regem, semota in parte sedentem.
Huic rami minus atque minus pejora tulerunt.
Hos inter qui se inferius prosternit, in altum
Suspiciens, habuit nomen Guilielmus, et ipse est
Marchio. Alexandria atque hujus bella per ipsum
Montem Ferratum et Canobejum luctibus implent.

VIII.

Jam prope tempus erat, quod aventes ire per altum
Immutat mollitque animos saepe hora recursans,
Dulcis amicorum cum jussa est turba valere,
Exstimulatque novi peregrini pectus amore,

Si missum aere cavo sonitum procul accipit ille,
Quod jam labentis videatur flere diei
Occasum; mihi cum coepi frustrarier aures
Inspiciens quandam, quae consurrexerat, umbram,
Atque manus gestu adstantes audire jubebat.
  Ut venit, palmas ad coelum sustulit ambas,
Fixo prospectans orientem lumine utroque,
Haec fanti similis: Mihi sunt, Deus, omnia tecum;
Nil ultra. Huic hymnus *Te lucis* in ore sonabat
Voce pia, usque adeo dulci modulamine cantus,
Ut mente ipse mihi exciderim. Dein caetera turba
Dulciter atque pie totam est absolvere adorta
Legem hymni simul ad sphaeram conversa supernam.
Hic bene fac acuas ad verum lumina visus,
Lector; tam bene nunc velum subtile paratur,
Ut leve sit certe cursim, quod clauditur intus,
Inspexisse semel. Dein vidi hoc agmen honestum
Suspicere haud hiscens, more exspectantis, in ore
Pallens et fastu vacuum: tum ex aethere labi
Aligeros geminos. bini quos igne micantes
Armabant enses trunci et mucrone carentes.
Non secus ac frondes modo natae, vestis amictu
Fulgebant viridis, viridi quam pone per auras
Remigio alarum percussam quisque trahebat.
  Unus paullisper supra caput adstitit, alter
Oppositam in spondam descendit. Turba tenebat
Se mediam. Potui flavos ego cernere crines;
At vultum adspiciens oculus mihi hebescere coepit,
Ceu vis, quam nimiae confundit copia lucis.
  Virginis e gremio, dixit Sordellus utrique
Venerunt vallis custodes, propter hiantem
Anguem, qui jam aderit. Quare, qui scire nequibam,
Quo properaret iter, me circumvertere et arto,
Jam totus frigens, humeris haerescere fidis.
Sordellusque simul: Nunc jam descendere tempus

Inter magnanimas umbras farique vicissim,
Quas non perleviter vos hic spectare juvabit.
Tres tantum passus me descendisse putarem,
Cum subii ac vidi quendam me lumine utroque
Lustrantem, similem cupide me noscere aventi.
  Tempus erat, quo aër nigrabat, nec tamen ater
Usque adeo, ut visus non declararet utrique,
Quae latuere prius. Mihi venerat obvius, illi
Obvius ipse fui. Nine, judex optime rerum,
Quam laetus pravo semotum te agmine vidi!
Nulla salutandi ratio bellissima nobis
Praeterita est. — Deinde hac coepit me voce rogare:
Quampridem gressus te montem duxit ad istum
Longinquas transgressum undas? — Oh, sic ego contra,
Hoc mane adveni per tristia regna vagatus,
Quamque habui, me vita manet, licet ipse per istos
Nunc aliam acquiram cursus. Ubi perculit aures
Haec vox, Sordellus simul et simul iste retrorsum
Repressere pedes, ut queis timor ossa repente
Occupat. Alter adit vatem, petit umbra sedentem
Se propter, clamans: Currade, exsurgito adesque
Visurus, donante Deo, quid gratia possit.
  Deinde mihi: Per quae tu tanta et maxima debes
Illi, qui primam caussam sic corde recondit,
Ut penetrare vadum non sit, trans aequora lata
Cum primum venies, mihi natam hortare Joannam,
Ut, quae respondent insontibus, ostia pulset
Pro me. Namque hujus mater delevit amorem,
Primi oblita viri, ut credo, quo ex tempore velum
Album mutavit, quod adhuc optare necesse
Nunc habet infelix. Valde est leve nosse per istam,
Aestus quam cito feminei extinguatur amoris,
Ni renovent flammas oculi tactusque frequentes.
Non illi tumulum tam pulchrum vipera condet,
Quam Mediolanum sub pugnam pandit in auras,

Ut Gallurensis gallus. Sic ille colore
Suffusus faciem, qui justum prodit amorem
Recti, intra certas urentem pectora leges.
Ast avide coeli suspectum nostra petebat
Usque acies illuc, ubi sidera tardius ibant,
Ceu rota, quae propius radiatum vertitur axem.
Duxque meus: Fili, quidnam sic suspicis, inquit?
Huic ego: Tres illas faculas, quibus iste micando
In flammas polus it totus. Contra ille vicissim:
Jam cecidere, illinc primo quas mane videbas,
Bis geminae stellae, inque locum adscendere vacantem
Hae tres. Sic vates. — Hic fantem talia traxit
Ad se Sordellus dixitque: En bellua nobis
Adversa; ac digitum intendens simul annuit ipsi,
Inde loci visus aciem contenderet, unde
Parva patet vallis, nulla munita latebra.
Hac serpens ibat, qui forsan pavit amara
Esca Evam. Flores inter veniebat et herbas
Reptile perversum, nunc isthac, nunc caput illac
Vertens ac lambens dorsum, ut fera sueta polire
Pellem incompositam. Mihi tunc haud contigit istud
Adspicere, atque ideo non est mihi copia fandi,
Impete in hoc quanto irruerit coelestis uterque
Accipiter; tamen hos memini vidisse ruentes.
Ut virides sensit findentes aëra pennas,
Effugit serpens, ac retro terga dedere
Aligeri, aequali repetentes astra volatu.
At, quae juncta Nino steterat, cum me ille vocarat,
Umbra, quoad toto pugnata haec tempore pugna est,
A me nusquam oculos, et ait: Sic tanta lucernae,
Quae te sublimem ducit, sit copia cerae
Arbitrio commissa tuo, quanta est opus, hortum
Ad summum ut venias; si qua unquam digna relatu,
Seu de Valle Macra, seu de tellure propinqua,
Fors vera attulerit, magnum mihi nomen habenti

Illic, haec narra. Curradus nominor, ortus
Stirpe Malaspina; non jam vetus ille, sed ipso
Ex genere, atque meos illo devinctus amore
Fovi, quem jubeor poena hic urente piare.
 Oh, dixi, vestras nunquam mihi tangere terras
Contigit: at quaenam Europae est gens dissita vestri
Nescia, quos clamant proceres, vicinia clamat
Cum plausu, ut norit, qui nunquam hoc littus adivit?
Atque ego, si liceat superas evadere ad auras,
Vestrum illustre genus non dedecorare priores
Juro, seu loculum, seu res expostulet ensem.
Natura atque usus sic dant excellere genti,
Ut, quamvis torta mundus cervice recedat
Perversus, tamen haec una est, quae tramite recto
Incedit florens, iter indignata malignum.
I nunc, nam vice septena haud se straverit aureo
Sol iterum lecto, pedibus quem portitor Helles
Bis geminis tegit insidens, cum infixa manebit
In caput ista benigna tuum sententia clavo
Majore, alterius quam sermo immissus in aures,
Dum currat, quem summa dedit sapientia, cursus.

IX.

 Jam senis albebat Tithoni succuba, Gangis
Prospectans oras, complexu et dulcis amici
Exibat, cui frons ardebat lucida gemmis
Sic positis, ut signa ferae, quae frigore torpet,
Atque sua cauda percellit quemque, referret.
Et nox de gradibus, per quos contendit in altum,
Atque unum, atque unum adscensu superarat, ut inde
Cernere erat tollenti aciem, et jam tertius alis
Deorsum ibat flexis, cum me, qui quidquid Adami est
Attuleram mecum, devicit somnus in herba

Compositum, locus unus ubi jam quinque sedentes
Nos conjungebat. Tristes quo tempore questus
Orditur, primum cum mane rubescit, hirundo,
Fors memori antiquos servans sub corde dolores,
Et quo nostra magis mens carne soluta minusque
Indupedita gravi variarum pondere rerum,
Dum sua visa legit, quasi numen habere putatur;
In somnis aquila est mihi visa ex aethere pendens,
Suspensa, auratis plumis, alisque parata
Delabi expansis, et ibi mihi adesse videbar,
Agmen ubi comitum Ganymedem fama suorum
Deseruisse refert, Divum quo tempore raptus
Est ad concilium. Volvebam talia mecum:
Fortasse hic rapiat de more, et forsitan unco
Dedignata pede est aliunde abducere praedam:
Deinde videbatur paullo magis ire rotando,
Terribilisque velut fulgur descendere, meque
Corripere, atque ignem me attollere ad usque superuum,
Atque ibi cum voluci simul ipse ardere videbar
Jam mihi et incendi. Usque adeo me coxit imago,
Fugerit ut somnus, sua rumpere vincla coactus.
Non aliter, somno expulso, vertebat Achilles
Evigilans oculos circum, quas tangeret oras
Nescius, hunc mater postquam asportaverat antro
Philyridae, et somno demersum advexerat ulnis
Ipsa suis Scyrum, unde exin dicuntur Achivi
Abduxisse virum; quam turbida lumina pandi
Excussus subito fugiens, ubi membra reliquit
Somnus, et expallens haesi, ut qui territus alget.
Quique mihi solamen erat, tantummodo solus
Haerebat latere, et Sol jam processerat horas
Plures quam binas, et ego mare prospectabam.
Parce metu, dixit qui dux dominusque praeibat,
Spemque fove, in tuto nam res est nostra, jubeque
Non premere, at cunctas animum diffundere vires.

Jam tibi perventum est sub limina Purgatori.
En illic scopulus, quo clauditur undique clivus;
En illic aditus, rupes ubi scissa videtur.
Ante, sub Auroram solitam praecedere Solem,
Cum tibi vis animae interius sopita jaceret,
Per flores fuso, quibus illic vallis abundat,
Ornata advenit mulier, sic ore locuta:
En ego Lucia sum, vos isthinc surripere istum
Me sinite evinctum somno. Sic tramite sistam
Hunc facili. Mansit retro Sordellus et umbrae
Binae. Haec apprendit te, et prima luce micante,
Clarius adscendit, me illam post terga secuto.
Hic te deposuit, mihi sed prius annuit ipsa
Luminibus pulchris aditumque ostendit apertum;
Dein pariter tua membra sopor, nosque illa reliquit.
  Ac veluti dubius qui pendet, singula tactu
Atque oculis sibi certa facit, vertitque timorem
Dulce in solamen, simulac sibi vera patescunt:
Sic ego mutabar. Sed ubi mea corda soluta
Curis cognovit doctor, petit ardua montis,
Atque ego pone altum properabam vincere culmen.
  Lector, jam sentis, me audacibus altius alis
Tendere iter: quare mirari desine, si quid
Artis majoris, quae sunt dicenda, requirunt
Materiae fulcrum. Haud illuc accedere nobis
Est visum, atque loco placuit considere in illo,
Unde aliquid rupti sum primum cernere visus
Rimae instar, murum quae partes findit in ambas.
Tum portam, inferiusque gradus vidi ordine trinos,
Per quos huc itur, diverso saxa colore
Suffusa, et custos etiamnum haud hiscere adortus
Hic erat; utque magisque magisque ego lumina visus
Contendi, hunc vidi saxo insedisse superno,
Conspectu talem, qualem sufferre nequivi;
Inque manu ensis erat nudus, qui fulgida Solis

Tela remittebat nos contra, ut saepe tuentem
Luserit inspectus. Tunc ille: Hinc dicite stantes,
Quae vobis est mens? Ubi dux? Ne multa dolenda
Afferat hic vobis adscensus damna, cavete.
Coelestis mulier, non harum nescia rerum,
Contra respondit sapiens, modo dixerat: Illuc
Scandite, ubi porta est. At fauste dirigat illa
Sic vobis gressus, pacato janitor ore
Addidit. Ante gradus ergo procedite nostros.
Venimus huc, primusque gradus de marmore cano
Tamque politus erat tersusque, ut, qualis imago
Conspicienda mea est, mihi tota legenda pateret,
Ceu contra speculum. Color inter utrumque secundo,
Et rubrum, et fuscum fusco superante. Lapillus,
Unde gradus constat, scaber et semiustus, ubique
Fissus; at inferius positis qui tertius haeret
Insistens gradibus, referebat ab igne nitentem
Porphyridem, veluti venis spectare micantem
Sanguineum est rivum. Super istum stabat utrisque
Coelestis custos pedibus, prope limina sidens,
Quae solido ex adamante mihi sunt fulgere visa.
Per tres sponte gradus me ductor traxit, et inquit:
Tu fac, demisse hunc ores, ut clave recludat
Portam. Me sanctos advolvi, poplite flexo,
Ante pedes pius ac dixi: Miserere, foresque
Pandito; terque prius planxi mihi pectora palmis.
P mihi septenos descripsit cuspide ferri
In fronte et: Fac ista laves tibi vulnera, ubi intus
Ipse aderis, dixit. Cinis exsiccatave terra,
Fossa modo, visa est vestis simulare colorem,
Ex qua tum geminas coelestis protulit ales
Claves. Ex auro fuit altera, et altera puro
Argento fulgens. Alba prius usus, et exin
Flava sic tetigit portam, ut satis esset aventi
Intus ferre pedem. Quoties ex clavibus istis

Una redit fallax, quia non se verterit apte,
Haud aditus patet. Est pretiosior una, sed una
Artis et ingenii plus poscit, clausa priusquam
Pandat, et haec illa est, quae nodum solvere possit.
A Petro has habui, qui inquit, se malle, potitum
His, me errore animi potius reserare paratum,
Quam clausas nimium parcentem tangere valvas,
Ante meos dum fusa pedes gens pectora pulset.
Deinde fores portae sacratas impulit, usus
His verbis: Hac ite, sed haec advertite mente,
Hinc egressurum, quem ferret forte voluntas
Respicere. At vero ut distortae in cardine utrimque
Robustae fuerunt valvae solido aere sonantes,
Queis sacra munitur domus: haud ita mugiit acre,
Nec tam Tarpeja infremuit, virtute Metelli
Ablata penitus, quo decedente macendum
Emunctae fuit. — Ad primum se arrexerat auris
Cantum, *te*que *Deum laudamus!* voce videbar
Dulcisonisque modis permiste audire canentes,
Parque erat auditae cantus et vocis imago,
Quam saepe in templo cantantibus organa reddunt,
Quae modo verba sinunt captare, modo illa retundunt.

X.

Ut porta intrata est, quam animarum prava cupido
Efficit insuetam, quia rectum tortile fingit,
Post tergum sensi hanc immani murmure claudi;
Et qualem errori quissem praetexere caussam,
Si respexissem? Per scissum adscendere saxum
Cura fuit, quod se parte ex utraque movebat
Haud aliter, quam quae sese fugit unda petitque.
Hic accedenti nunc hinc, nunc inde recedens
Ad latus, utendum est aliqua arte: haec ore magister.
Atque haec caussa fuit, quae passu repere jussit

Sic raro, ut prius attigerit pars manca recurvae
Lunae jam proprium mox ingressura cubile,
Quam fas esset acus exire foramine nobis
Ex illo. Utque sumus loca libera apertaque nacti,
Clivus ubi cedit retro, seseque coarctat,
Lassus eram, dubiique ambo, quo tendere gressus,
Quamque tenere viam esset opus. Nos campus habebat
Plus multo solus, quam sint per inhospita calles.
Istius a sponda, quam circumscribit inane,
Usque ad radices altae, qua est scandere, ripae
Corporis humani triplex mensura pateret:
Et quoad a laeva dextrave extendere quibat
Nostra acies alas, talis mihi visa corona
Est haec. Nostra illic nondum promoverat unum
Planta gradum, circumspiciens cum hanc undique rupem,
Quae minus adscensum concedere juris habebat,
Cognovi hanc totam canenti ex marmore, formis
Celatam sic, ut non jam Polycletus, at ipsa
Natura hic pendens haesisset victa pudore.
Angelus in terram missus, qui foedera pacis
Firmaret, multos quae complorata per annos
Post interdictum longum patefecit Olympum,
Ante oculos aderat, tam verus imagine, tamque
Suavi compositus gestu, ut mutum esse negares;
Jurares hunc dicere: *Ave!* nam proxima stabat,
Quae reclusuram supremi pignus amoris
Convertit clavem, effigies operosa magistro,
Tamque habitu proprio, tamque ore simillima fanti:
Ecce ancilla Dei, quam signo impressa figura
In cera. — Haud oculos partem defigito in unam,
Dulcis ait sapiens, qui me sibi pone sinistrum
Stringentem latus adspexit. Tum lumina movi,
Atque hic post Mariae signum qua ex parte manebat
Hortator dexter, series rerum altera rupi
Imposita occurrit, quare simul ipse poëtam

Transgressus propius veni, ut magis apta tuenti
Esset. Et hic stabat saxo celatus in ipso,
Cum bobus sanctam qui currus vexerat arcam,
Per quam haud commissum refugit vir tangere munus.
Turba videbatur praecedere tota gradique
In septem partita choros, dubiosque tenebat
Sensus mi binos, quorum unus fundere ab ore
Hanc melos ajebat, nullam alter mittere vocem.
Fumus item turis ficta sub imagine nares
Atque oculos, sensum discordes inter utrumque,
Fecerat ambiguos. Sacrum vas ipse praeibat
Vultum dejectus David, pulsans pede terram
Sublato in numerum, et minus et plus tempore in illo
Quam rex hic fuerat. Contra est descripta palati
E specula ingentis Michol mirata, superbae
Matronae quod saepe solent, cor triste gerentes.
Inde, ubi constiteram, excessi, cum cernere averem
Historiam hic aliam propius, quam albere videbam
Sepositam a tergo Michol. Hic gloria summa
Stat descripta ducis Romani, maxima cujus
Virtus te allexit magna cum laude, Gregori,
Tartari ut ex victa peteres sibi lege triumphum.
Induperatorem Trajanum hoc nomine dico,
Cui quaedam occurrens mulier viduata marito
Frena manu retinebat equi, osque habitumque gerebat
Effusae in lacrimas, externataeque dolore
Hunc acies equitum stant circum, auroque nitentes
Vidisses aquilas et venti flamine motas.
Has inter permixta acies, sic ore misella
Visa loqui est: Princeps, mihi caesum ulciscere natum,
Quem doleo amissum. Dux respondere: Maneto,
Dum reditum huc referam. Verum illa, dolore premente
Sollicitam, justas quam primum poscere poenas:
Quid, si non referas? Atque is: Qui sede sedebit
Nostra, ipse expediet. Quid te benefacta juvabunt

Alterius, tua jam oblitum? haec respondit. At ille:
Nunc animo esto bono. Mea munera obire, priusquam
Hinc abeam, decet. Id me jus rogat, atque moratur
Me pietas. Nova qui nunquam vidisse putatur,
Expressit tales, oculo testante, loquelas;
Hasque novas nobis. Nam fantem talia nunquam
Hic hominem inveni. Dum tot fert corde voluntas
Pascere imaginibus visum, quae plurima moris
Humani documenta dabant, sentire monentis
De se quam minimum et non fastidire minores,
Propter et artificem suberant jucunda tuenti.
Ecce hac, mussabat vates, procedere multos
Adspicio, raris sed passibus incedentes;
Haec nos turba gradus altos intrare docebit.
Quamvis haereret cupidus nova cernere visus
More suo, non iste mihi cessavit, ut illum
Audivi, inque ipsum non lentus lumina verti.
Non ego te patiar, lector, discedere, recto
Proposito abstractum, certus tibi dicere, qualem,
Qui debent, Superi jubeant persolvere poenam.
Non tibi supplicii forma attendenda. revolve
Successum et tecum reputa, haud res esse futuras
Deteriore loco ulterius post tempora magni
Judicii. — O sapiens, coepi, quod repere contra
Nostra acies videt, haud agmen reor esse virorum,
Verum nescio quid sic decipit ista tuentem.
Is mihi: Conditio gravis et ratio aspera poenae
Hos infigit humi contractos omnia membra,
Ut prius haud oculi hanc quissent mihi sistere litem.
Ast aciem contende illuc oculisque revolve
Extricaque illum, qui saxis aegra sub illis
Membra trahit; disces, ut quisque urgetur ab ipso.
Christiadae miseri, lassum genus atque superbum,
Quos male confisos infirmae robore menti
Ire per inversos suadet fiducia calles;

Non venit in mentem, nos vermes degere natos
Angelici nobis formam edere papilionis,
Qui volat ad justum, nullo tutante, tribunal?
Quae vobis animos dat res attollere in altum,
O miseri, quoniam vos deficientia manca
Insecta, ut vermis, natura errante, creatus
Paene estis? — Veluti, cum opus est supponere tecto
Fulcrum, pro mutilo interdum est spectare figuram
Incurvam, adductoque ad pectus poplite utroque,
Quae facit ex vero, spectantem haud vera, dolentem:
Sic hos compositos, postquam bene lumina visus
Intendi, mihi cernere erat. Sed non tamen omnes
Contractos aeque. At prout unusquisque gravatus
Plusve minusve ibat. Quem plus patienter euntem
Arguerant gestus, hunc flentem mittere tales
Voces: Haud valeo ulterius durare, videbam.

XI.

Summe Pater noster, coelorum qui incolis arcem,
Non circumscriptus, sed quod, quae prima creasti
Illic, devinxere magis tibi pectus amore,
Edita cuncta tuam virtutem et nomen adorent,
Effusa in laudes, ut dignum est solvere grates
Atque referre tuo spiranti dulce vapori:
Adveniant tua regna. Tuo nutu omnia fiant,
Aethere et in summo et terrarum in qualibet ora.
Ipse dies omnes nostram, qua vivimus, escam
Da nobis hodie. Quidquid debemus, id omne
Nobis dimitte, ut nostris dimittimus ultro.
Et grave ne adducas nos in certamen, et idem
Da nobis prohibere malum victoribus. Amen.
   Hac prece postrema haud nobis, neque enim indiget usus,
Imploramus opem, ast illis, carissime, quorum est
Vita superstes adhuc post nos. Sic illa caterva

Umbrarum sibi iter felix nobisque rogantes,
Pondere non aliter pressae, ac quandoque gravatur
In somnis aeger, reptantes membra trahebant
Omnes in gyrum, cruciatae dispare poena,
Et lassae, primae scandentes saxa coronae,
Sese abstergentes mundi caligine tactas.
Si nobis illinc nunquam benedicere cessant,
Quae possunt ipsis et dicta et reddere facta
Isti, queis radice bona est donata voluntas?
Hic decet et justum atque pium est, succurrere justis,
Eluere advectas sordes, ut pura levisque
Quaeque anima aethereas evadere possit ad urbes.
Justitia ac pietas sic dent levioribus ire
Quam primum vobis, alamque agitare solutis,
Quae vos attollat, quo fert immensa cupido;
Qua datur ad scalas breviore accedere cursu,
Dicite; sin plures aditus fortasse parantur,
Qui minus acclivis descendat ad ima, docete;
Nam comes ob pondus carnis, qua indutus ab Adam
Huc venit, invitus passu est adscendere parcus.
Pectore quo exierint, non sat dignoscere quivi,
Quae fanti responsa duci sunt reddita ab illis;
At dictum est: Dextri nobiscum hanc ite per oram,
Invenietis iter, quod vivus carpere possit.
Et superimpositi ni obstarent pondera saxi,
Quo premitur cervix, fastu olim elata superbo,
Quem propter prona mihi oportet verrere fronte
Terram: hunc suspicerem vivum, qui nomina celat,
An mihi nosse ipsum liceat, precibusque movere,
Ut mole oppressi tanta miserescere discat.
Mi genus ex Latio est, magnique ex semine Hetrusci
Ipse Guilelmo exivi genitore creâtus
Aldobrandisco; an vestras hoc nomen ad aures
Venerit, haud scirem. Priscus me sanguis, et alta
Majorum decora usque adeo fecere tumentem,

Immemor ut matris communis quemque solerem
Fastidire, atque hic adeo increbrescere morbus
Coepit, ut occiderem, quod sat novere Senenses
Et de plebe omnes, qui Compagnatica rura
Concelebrant. Nam OMBERTUS ego, et mens turgida fastu
Non modo me, at cunctos consortes in mala mecum
Traxit, et hic humeris haec cogor pondera ferre
Ob fastum, donec supremo debita regi,
Quando id neglexi, in terris dum vita manebat,
Solvam defunctos inter. Sic ore loquentem
Ibam auditurus, demissa ad pectora fronte,
Cernuus atque ex his unus, non iste locutus,
Pondere sub proprio graviter sua terga premente,
Se distorsit meque inspectum agnovit, et aegre
Lumina fixa tenens me nomine compellavit,
Corpore qui toto incurvus comitabar euntes.
Dixi: Tune es, ODERISI, tu gloria prima
Gugubi, artis honor, cui ductum a lumine nomen
Gallia donavit? — Frater, contra incipit ille,
Plus rident chartae, quas pinxit dextera FRANCI
FELSINEI. Nunc totus honor servabitur ipsi,
Quamvis et pars ipse fui. Haud tamen ipse fuissem
Tam largus vivos inter. Me tanta cupido
Ad summas artis stimulabat tendere laudes,
Quas prospectabam. Verum ista superbia poenas
Hic dat, et immo forem procul hinc, ni tempore in illo,
Quo poteram esse nocens, conversus pectore toto
Coelum exorassem. Oh humanae gloria vana
Virtutis, quam flos est tantulus ille caducus,
Ni premat aetates venturas crassior aër!
Nulli se CIMABOS cessurum castra putavit
Picturae, sed nunc it cuncta per ora GHIOTTUS,
Illius ut famam obscuret: sic alter honorem
Linguae narratur GUIDUS rapuisse priori,
Forsque supervenit, qui nido expellat utrumque.

Nil aliud mundi rumor, quam flatus euntis
Nunc huc, nunc illuc venti est, qui nomina mutat,
Quod solet immutare latus. Quae fama manebit
Te major, si unquam scindas aetate vetustam
Carnem, quam si olim prius immaturus obisses,
Quam tu desineres balba pappare loquela,
Ante anni quam mille fluant? — Quae temporis aetas
Ad spatium aeternum est brevior, quam nutus ad illam
Est sphaeram, quae tarda magis per inane rotat se.
Tantillum qui carpit iter prae me, oppida Hetrusca
Ruraque cuncta sono implevit: modo tenue Senenses
Vix mittunt murmur, quorum fuit arbiter ille
Tempore, quo domita et magna convulsa ruina
Florentina fuit rabies, quae fronte superba,
Ut modo perfricta est, incesserat. Est color herbae
Nomen apud vestros pulchrum, qui prodit abitque,
Quique illam dudum tellure emisit acerbam,
Ipse colorem adimit. — Respondi: Haec vera locutus,
Virtutem instillas, quae me sentire modeste
Ingentemque docet me complanare tumorem.
At quinam hic, quaeso, est, tua quem modo verba notabant?
  Provenzanus is est Silvani, talia reddit,
Atque hic iste manet, quia sic sibi fidit, ut actus
Ambitione Senam totam subjecerit, unus
Arbiter imperii. Sic irrequietus et ivit,
Atque it post mortem. Pretium isthic tale rependit,
Qui nimis est illic ausus. Cui talia contra:
Si, qui extrema manet vitae momenta, priusquam
Sese poeniteat, statione moratur in ima,
Nec sese huc scandens infert, nisi quis prece pura,
Ante fluant quam tot, quot pugnax vixerat annos,
Afferat auxilium: quonam indulgente recepit
Huc se? — Respondit: Quo vitam tempore agebat
Splendore illustri ac summo spectandus honore,
Nil se respiciens hic castra Senensia inivit.

Fusus in obsequium supplex positoque pudore
Constitit, ut poenae dilecti corpus amici
Eriperet, vinctum quem tristis carcer habebat
CAROLI; is haud cunctis venis horrere refugit.
Ulteriora tibi haud addam; me involvere vera
Obscuris scio, sed parum abest ea temporis hora,
Cum, qui te attingunt propius de gente propinqua,
Efficient, ut et ipse queas his demere velum
Tale virum facinus subtraxit finibus illis.

XII.

Non secus atque jugo nexi bos unus et alter,
Hanc pariter vadens umbram comitabar onustam,
Dulcis dum ductor tulit. Ast ubi farier infit:
Mitte hunc et trana; namque est res optima remis
Et velis isthinc vi summa impellere cimbam,
Mole mea stantem, ceu qui studet ire, paravi
Me rursus, quamquam demissa et manca maneret
Mens mihi. Ego institeram vestigia corde lubenti
Pone ducem, et pes, quid levitate valeret, utrisque
Ostendit. Cum sic dux fari: Verte deorsum
Lumina, erit, dum carpis iter, tibi dulce levamen
Strata videre soli, quae dant incedere plantis.
Terreni ut tumuli praeportant fronte sepulti
Effigiem, ut discant hujus meminisse nepotes,
(Quare saepe illic fletur, pungente dolore
Corda recordantum; namque haec tantummodo tangit
Cura pios,) aeque, sed multo plenius artis
Ad normam expressa et variis distincta figuris
Vidi strata viae, quae montem exstantia cingunt.
Conspiciebam illum, quem nobilitate creator
Fecerat eximium, coeli una ex parte ruentem,
Fulgure correptum rutilo; vidi BRIAREA
Ex alia, exanimum coelestis vulnere teli,

Praegrave onus terrae ob frigus mortale jacentem;
Vidi Tymbraeum Martemque et Pallada in armis
Fervere adhuc juxta patrem, et dispersa Gigantum
Membra inspectantes. Nembrotum paene timore
Torpentem prope opus magnum, gentesque videbam
Respicere una omnes; quae tanto Sennaar una
Miscuerant fastu. Quam oculos dejecta dolentes,
Inter bis septem prostratos funere natos,
In media spectanda via sub imagine ficta,
O Niobe, stabas! O quam similem ense necati
Sub proprio vidi te, Saul, super edita montis
Gelboae, quem exin coelum nec rore nec imbre
Juvit! Ut insano te fastu, perdita Arachne,
Dimidiam in vermem jam defluxisse, tuique
Tristem fragmentis operis, tibi quod male cessit,
Incubuisse! Neque hic tua jam vexilla videntur
Explicuisse minas, Roboam, sed plena timoris,
Ante ea quam pellant hostes, vehit incita habenis
Immissis levitas currus. Et erat quoque duris
Inspicere in stratis Alcmaeona, qui pretiosum
Persuasit matri infelix venisse monile.
Nec non ut nati templum irrupere ruentes
Sennacheribum contra, lacerumque cadaver
Deseruere illic, doctus monstraverat auctor;
Et quantum intulerit Cyro regina Tomiris
Cladis sanguineae, Satia te sanguine, dicens,
Cujus eras sitiens! — Hic, Holopherne perempto,
Terga fugae Assyrios dantes, pariterque ruinae
Tristes reliquias spectabam et corporum acervos.
Conversum in cineres tunc Ilion inque cavernas
Cernebam, utque humilem ac vilem te, Troja, ferebas,
Signum ostendebat, quod parte exstabat in illa.
Quemnam peniculi atque styli rear esse magistrum,
Umbras qui valeat tractusque effingere, quales
Stant ibi, miranda ingenio portenta vel acri?

Exstincta exstinctis et viva simillima vivis
Corpora dixisses. Nemo verissima vidit,
Quam quae ego calcavi pedibus, dum cernuus ibam.
  Eja ite, o Eva geniti, nunc ite superbi
Visu sublato, ne vobis cernere detur
Quam pravum teneatis iter. — Jam maxima nobis
Pars circum peragrata jugi, multoque diurni
Plus erat impensum cursus, quam mente putaram
Non vacua; cum, qui semper vigilante praeibat
Sollicitus cura, coepit: Caput arrige; non est
Tempus praeterea suspenso incedere passu,
Ut modo. Cerne illic superis de sedibus unum
Aligerum huc adventantem cito adesse paratum;
Adspice, sexta redit famulata ancilla diei.
Fac tibi compositum exornet reverentia vultum
Et gestum, ut juvet hunc nos montem mittere in altum:
Volve animo hanc non posse diem lucescere rursus.
Saepe assuetus eram monitis, queis ducere tempus
Me doctor vetuit; quare mihi rebus in istis
Non potuit docuisse nova aut perplexa profari.
  Egregius forma, niveo spectandus amictu,
Ultro occurrebat venientibus obvius ales;
Matutini instar tremulo fulgore micantis
Sideris, huic facies radiabat. Brachia pandit
Primum et mox alas simul: Huc accedite, dixit,
Hic prope sunt aditus facilisque evadere in altum
Dat gradus. Haec suadent gressum huc hortamina ferre
Raros. Progenies hominum, super astra volare
Enata, ah quianam te tantula dejicit aura?
  Is nos deduxit, quo rupes caesa patebat:
Hic mihi percussit frontem vibrantibus alis,
Dein tutum promisit iter mihi. Qualis, ubi altum
A dextra montem conscendis, quo insidet aedes,
Quae bene moratam, Rubiconem desuper, urbem
Subjicit, adscensus rapidi interrumpitur audax

Conatus, gradibus positis quo tempore norma
Mensurae, et codex erat in tuto; haud secus ista
Ripa remittebat, male quae aspra huc decidit orbe
Ex alio; at saxi hinc illinc latera ardua radit.
Dum nos huc versi properamus scandere in illum,
Hoc multae voces carmen cecinere: *Beati*
Ter, quibus humanae stat pauper spiritus aurae,
Dulcisonis adeo numeris, ut dicere non sit.
Oh quam Tartareis differre a faucibus istas
Vidimus! Huc etenim per cantus itur, at illuc
Per nunquam auditos questus fremitusque feroces
Jam sanctos superare gradus nos ardor agebat,
Et mihi plus multo levior prodire videbar,
Quam prius in plano. Quare: Dic, quaeso, magister,
Tali voce rogo; quonam graviore levatum
Pondere me censes? Nam pars quasi nulla laboris.
Jam mihi sentitur, pedibus conscendere aventi. —
Cum tibi *P* reliqui, positi qui in fronte leguntur,
Nunc etiam paene exstincti, velut unus ademptus,
Abrasi penitus fuerint, tunc utraque planta,
Sponte levata sua, usque adeo superabitur, inquit,
Ut sit nitenti, ne dum grave, dulce, futurum
Impelli sursum. Veluti qui portat in ore
Signa suo imprudens, nisi si quod suspicet ipsi,
Afferat alterius nutus, namque utitur apto
Tunc manus auxilio, quaeritque atque invenit, isto
Officio fungens, quod visu absolvere non est;
Sic digitos dextrae intendi frontem undique circum,
Invenique notas senas, quas tempora supra
Clavibus armatus mihi primum inciderat ales;
Quod cum vidisset, subrisit dulce magister.

XIII.

Ventum erat ad summum scalarum, ubi scabra secundo
Dat resecata viam rupes, depellere praesens
Scandendo morbos. Ibi circumducta corona
Altera non aliter clivum, ac prior illa revincit,
Si non falcatus citius se inflecteret arcus.
Haud ullam hic umbram, haud ullum hic est cernere signum,
Sed ripa est, et iter simplex, scopulique colorem
Liventem referens. At vates talia mecum:
Si nos mansuri gentem, quam voce rogemus,
Hic stamus, vereor ne nostrum forte moremur
Plus satis electum. In solem dein lumina figens,
Dextro usus latere, ut centro, circumegit in orbem
Se laevamque sui partem conamine torsit.
  Jucundum lumen, quo fidens istud inivi
Insuetum mihi iter, sic nos duc, inquit, ut aequum est
Te nos huc intus deducere. Tu face mundum
Calfacis ignifera tuque ipsum lampade lustras;
Si non obsistat contraria caussa, necesse est
Pro duce habere tuum splendorem tempus in omne
Quantum isthic spatii passus per mille putatur,
Tantum nos illic, studio inflammante, viai
Confecisse brevi credo, cum sensimus umbras,
Cernere quas acie haud fuerat, prodire loquaces
Nos contra, hortantes ad mensam accedere amoris
Comiter, et quae transivit vox prima volando,
Alto est fata sono: *Non est his copia vini,*
Carmen, et hoc iterum post nos iterumque locuta est.
Et prius ob longum abscessum quam tota periret,
Altera praeteriens: Ego sum, clamabat, ORESTES.
Nec tamen haec mansit. Quare: O pater optime, dixi,
Quae sunt hae voces? Vix talia verba locuto,
Ecce! supervenit vox tertia et inquit: *Amate,*
Quos scitis nocuos vobis. — Hic verberat orbis,

Dux ait, invidiam. Hinc ferulae, qua caeditur umbra,
Traxit amor cordas. Sonet ut contraria frenum,
Est opus. Id te auditurum reor esse, priusquam
Sit tibi inire locum veniae. Sed in aëra visum
Intende, et cernes turbam nos ante sedentem;
Namque solum propter speluncae quisque resedit.
Tunc magis atque magis patefeci lumina visus.
Et prae me inspiciens, indutas vestibus umbras
Vidi, queis inerat saxi color, atque ubi paullo
Accessi propius, simul una voce: *Maria!*
Ora pro nobis, audivi, et nomine Michel,
Et Petrum atque alios divos divasque vocari;
Demum compellari omnes. Haud tempore nostro
Hanc terram peragrare reor tam pectore duro
Quemquam, quem pietas haud vulnere figeret acri,
Si, quae dein vidi, adspiceret. Nam ubi sic prope ventum est,
Ut certos horum possem dignoscere vultus,
Mi gravis emunxit oculos dolor. Hos ego vili
Indutos cilicum texto sum cernere visus,
Alterum et alterius humeris insistere fultum,
Illaque fulcimen nixis dabat omnibus ora.
Sic, quos res fallit, prope templa frequentia coeci
Stant oraturi, quod quemque hortatur egestas.
Alter ubi alterius supra caput inclinato
Stat capite, ut citius pietas praecordia tangat,
Non modo verborum ob sonitum, at miserabile propter
Spectaclum, quod non secus adjuvat, atque rogantum
Adspiret votis. Atque ut Sol lumine captos
Non adit, haud aliter coeli lux abnegat umbris
In regione illa, mea tunc ubi sensa loquebar,
Sese largiri. Nam ferrea fila ligabant
Palpebras illis sutas, quo more feroci
Accipitri nunquam docili servare quietem.
At mihi tunc illis injurius esse videbar,
Quos ego spectabam, si non inspectus abirem.

Quare ego respexi, quem scitum propter habebam
Consilii auctorem; neque eum quae mutus averet
Dicere, fugerunt; quare exspectare rogantem
Noluit, ast inquit: Non multis utere verbis,
Sed tamen argutis. Vates ex parte coronae
Illa ibat, quae tota patens circumdata nulla
Sponda, pandit iter praeceps. Pars altera sanctis
Umbris strata dabat, quae sic prae angore premebant
Suturam horribilem, ut lymphis genae utraeque maderent.
Stans super has coepi: O gens altum cernere certa
Lumen, quod solum suspirat vestra cupido;
Sic, quas vos scitis, quam primum gratia spumas
Dissipet, ut menti clarum illabatur ab astris
Flumen ope ipsius, mihi dicite, namque erit istud
Gratum et jucundum; num qua hic ex gente Latina
Inter vos anima est? Atque illam forte juvabit
Isthic inventam. — Mi frater, quaelibet urbis
Est civis verae: tua sed sententia quaerit,
Num qua hic considat, quae degerit hospes in oris
Italiae. Haec responsa mihi venisse per auras,
Et multo inde puto ulterius, quam ubi talia fatus
Constiteram. Quare gressum vocemque propinquans
Illuc admovi et quandam vidi agmine in illo
Umbram exspectanti similem. Si forte requiras:
Quomodo? Uti coecus, visa est attollere mentum.
O anima, huic dixi, quae regnum initura supernum
Te crucias, tu eadem mihi si responsa dedisti,
Effice, ut ex patrio aut proprio te nomine noscam.
Est Sena mi natale solum, respondit, et istis
Hic ego mista, pio perversae crimina vitae,
Illacrimans illi, ut nobis praebere fruendum
Se velit. Haud Sapii, licet appellare Sapiam
Me genitor voluit, majoraque gaudia cepi
Ex damno alterius, quam si essem qualibet usa
Fortuna: ac ne falsa putes me farier, audi,

An fuerim demens, ut te monuisse volebam.
Cum mihi jam annorum propere descenderet arcus,
Tum cives nostri prope Collem castra locarant,
Contulerantque manus, aggressi fortiter hostes,
Atque ego vota Deo faciebam, eadem ipsa precata,
Quae voluit. Nam omnes fusi versique fuere
In mala amara fugae, et victorem terga prementem
Spectando haud ullum percepi pectore sensum
Laetitiae huic similem; et vultu, temeraria, in altum
Sublato, ad Numen clamavi: Haud amplius irae
Arma tuae timeo, ut, placidi ridente parumper
Temperie coeli, merulus. Prope tempora vitae
Jam suprema, Deum veniam pacemque rogavi;
Et multa nondum minuissem debita poena,
Ni PECTIGNANUS PETRUS, dum supplice tollit
Voce preces sanctas, nostri meminisset, ubi illum
Et dolor, et pietas monuit miserescere nostri.
At tu quis tandem, quem nostram inquirere sortem
Fert studium? qui oculos affers, ut credo, solutos,
Atque animam ducens loqueris? — Hic lumina, dixi,
Mi quoque dementur, sed non in longius aevum,
Nam culpa exigua est, quod livor torva tueri
Me docuit, stringorque magis formidine poenae,
Quam vidi inferius; namque illo membra gravatus
Pondere mi videor. — Tum sic os illa resolvit:
Quisnam te huc igitur duxit, si ferre regressum
Deorsum posse putas? — Qui mecum est, nec tamen hiscit,
Respondi, et vivo; quare, umbra electa, rogare
Ne parcas, si me pedibus mortalibus uti
Et pro te vivos inter tua certa voluntas
Hortatur. — Tua sic, inquit, mihi dicta videntur
Insolita auditu, ut pateat, quam numine amico
Incedas; quare precibus quandoque juvare
Me dignare tuis, et per, quae ardentius optas,
Oro; si Hetruscum liceat tibi litus adire,

Me penes affines fama in meliore repone,
Quos illo vanae mistos examine gentis
Cernes, quam Telamon multa spe lactat; at illos
Plus haec spes ludet, quam cum reperire Dianam
Ardebant; rerum navarchis plus emunctis.

XIV.

Ecquis is est, montis qui nostri circumit orbem,
Ante ipsi volucres quam mors aptaverit alas,
Atque aperit clauditque oculos, ut sponte libido est?
   Qui sit, scire mihi non est, tamen arbitror istum
Non solum hos intrasse locos. Qui proximus adstas,
Comiter acceptum scitare, ut voce loquatur.
Haec duae, utraeque humero alterius super impendentes,
Umbrae ibi dextrorsum de me sermone serebant;
Deinde locuturae visus fecere supinos,
Atque una: O anima, inquit, adhuc quae corpori inhaerens
Coelum conscendis, quaeso, solare rogantes
Atque, unde et qui sis, humane edissere nobis.
Namque stupore tenet tanto tua gratia mentem
Nobis defixam, ut quae nunquam nota fuere.
Exspatiatur, agrum lambens medium, inter Hetruscos
Amniculus, dixi, cui Falterona dat ortum,
Nec satis est isti percurrere millia centum.
Inde supra hos artus deporto, et vana requiris
Hortando fari, qui sim, namque hactenus auras
Haud mea personuit sat claro murmure fama.
   Si bene percipio penitus tua pectore sensa,
Respondit, qui fatus erat prior, innuis Arnum.
Atque ait hic alter: Cur iste vocabula terrae
Illius modo nos celat, velut horrida dictu?
Quaeque rogata fuit, proprio sic munere functa est
Umbra: Haud ista scio, verum hujus nomina vallis
Sunt digna, ut pereant: nam prima ab origine, ubi amnis

Sic tumet, ut rigidus, qui obtruncat saxa Pelori,
Mons paene haud usquam hunc superet, mare ad usque profundum,
Quo venit, ut reddat, quod siccat flammeus aether,
Damna repensurus, cui debent flumina, quidquid
Advolvunt secum, sic pellitur hostis ad instar
A cunctis virtus, velut anguis, sive maligna
Conditione loci, pravo seu more premente.
Quapropter miserae quicunque est incola vallis,
Naturam usque adeo jam commutasse videtur,
Non secus atque omnes Circe inter pascua haberet.
Obscoenos inter porcos it pauper aquarum
Primum, hosque offendit mage dignos pascere glandes,
Quam quoscunque cibos alios consumere, in usum
Humanum lectos. Exin revoluta deorsum,
Occurrit catulis sat plus ringentibus unda,
Quam praestent vires, quos dedignata, retorquet
Rictum. It delabens, et quo magis ista redundat,
Tanto plus catulos versos in membra luporum
Invenit acta malo fato devotaque fossa.
Deinde viam arripiens per plurima stagna profunda,
Offendit vulpes sic plenas fraude dolisque,
Nullam ut nequitiam formident, quae occupet ipsas.
Dicere nec parcam, licet hic mihi praebeat aures.
Atque isti bene erit, memori si haec mente recondat,
Quae mihi defunctae mortali corpore, verax
Spiritus enodat. Tuus ecce ante ora videtur
Concursare nepos factus venator, et illos
Exagitare lupos in diri fluminis ora,
Et terrere omnes, istorum vendere carnem,
Nec satis est ipsi, vivam, sed deinde necatos
Abjicit, ut senio confecta animalia, inerti
Defraudat multos vita, se nomine honesto.
Tristi exit silva foedatus caede; relinquit
Talem, ut mille exin volvendis orbibus anni
Nequidquam studeant primum reparare decorem.

Sicut, ubi accipiat venturi nuncia damni
Verba, os auditor turbat, quacumque periclum
Ex parte huic animum feriat, sic altera visa est
Conturbari anima, haec fantis dum pendet ab ore,
Surgere et adspectu tristi haec simul auribus hausit.
  Alterius sermo, alterius conspectus aventem
Suadebant horum me inquirere nomina, et illos,
Multis immiscens precibus mea dicta, rogavi.
  Quare, quae fuerat mecum prius umbra locuta,
Sic iterum: Id tibi me hortaris praestare, quod ipse
Abnuis; at quoniam Superum manifesta voluntas
Efficit, ut tanta te donet gratia luce,
Non tibi parcus ero. Quapropter me esse fatebor
Guidum del Duca. Fuerat mihi sanguis adustus
Invidia tanta, ut, testantem gaudia vultu
Si quem vidissem, sparsum livore maligno
Me quoque vidisses. Ex isto semine talem
Demeto nunc paleam. O soboles humana, quid omnes
Impendis curas, inhians quae jura vetandi
Poscunt et quemvis consortem a finibus arcent?
  Quem prope me stantem cernis, Reinerius hic est,
Colbolidum decus ac lumen, quem nemo secutus
Hactenus est haeres tanta virtute potitus.
Nec solum circa Eridanum montemque fretumque
Et circa Renum jam defecisse videtur
Illius sanguis rebus, queis vera paratur
Copia opum, atque quibus coalescunt gaudia vitae;
Verum intra hos fines sunt sentibus oppida cuncta
Plena veneniferis, et frustra cura laboret,
Ut cultu meliore minus silvescere discant.
  Nunc ubinam est Licius bonus Henricusque Menardi,
Et Traversarus Petrus et Carpinius ille
Guidus? — Proh genti gens Aemiliana priori
Degenerata! Novas cum vidit Felsina fabrum
Mittere radices, parvo atque ex gramine factum

Nobile virgultum succrescere Bernardinum
Progenitum Fusco jam tota Faventia narrat.
Desine mirari flentem, sate sanguine Hetrusco,
Cum memori Guidum de Prata atque Hugolinum
Mente colam Actiacum, nostris qui degit in oris;
Et cum Fridricum Tignosum mente recordar
Atque hujus socios; cum Traversara recursat
Clara domus menti, cum nomen Anastasiorum,
Utraque gens quorum facta est modo nominis haeres,
Matronae atque equites, studia horum sedula, centum
Commoda, sollicitante virum praecordia amore,
Et sensu humano, quae contra versa nefandos
Inducunt mores. Quid, Bectinore, moraris,
Gente tua egressa, multis ex urbe secutis,
Improba ne fiat? Sed erit bene Bagnacavallo,
Haud genuisse novam prolem, male Castrocaro,
Et pejus Conio, ulterius qui gignere curant
Tale genus Comitum. Si quanto Daemon abibit,
Paganis bene erit, sed non vitae integer, omni
Labe carens, horum nascetur sanguine testis.
O Fantolinae gentis decus, Ugoline,
Luce tuum nomen tuta fulgebit in omne
Aevum, ex quo prolis tibi spes amissa futurae est,
Quae tibi degenerans obducat labe nitorem.
Verum, Thusce, abeas jam, nam mage fundere fletus
Interea, quam verba juvat; sic pectora pressit
Vestra mihi ratio. Neque erat mens nescia nobis
Auditu instructas abeundo haud fallere posse
Dilectas animas; quare vocem ore premendo,
Addiderant animum haud nota regione viarum
Confisis. — Postquam est nobis data copia eundi
Solis, visa fuit vox aëra findere ad instar
Fulguris, incursans adversa ac talia fata:
Dedet me leto quisquis me offendit! et uno
Tempore ceu tonitrus, qui, scissa nube, repente

Diffugit, in tenues dispersa evanuit auras.
Auribus ut nostris requies fuit, ecce fragore
Altera sic resono, ut subito sit visa tonare
Post fulgur: Sum AGLAUROS ego, nunc saxea facta!
Ast ego, sollicite properans mage stringere vatem,
Retrorsum, non ante pedem vestigia traxi.
Jamque quiescenti similis cessaverat aura
Undique, et ille inquit: Fuit haec vis aspera freni,
Apta suos intra fines cohibere protervos
Terrigenas; sed vos sic escam inhiatis, ut hostis
Vos fraus antiqui necopinos occupet hamo.
Quare frena parum prosunt, aut signa vocantum.
Retrorsum vos templa vocant coelestia, vestrum
Dum gyros ducunt supra caput, atque decorem
Aeternum pandunt: sed terrae fixa tenetis
Lumina adhuc; ita vos, qui perspicit omnia, pulsat.

XV.

Quantum inter spatium, quod tertia conficit hora,
A jubare exorto sphaera indicat intervalli,
Sueta suum semper pueri instar ludere ludum:
Hesperiam tantum properanti tangere soli
Restabat cursus. Erat illic ultima lucis,
Atque isthic mediae pars obscurissima noctis;
Et vultum medium telum solare petebat;
Namque ita montis erat nobis peragrata corona,
Ut plantae Hesperias directo tramite partes
Calcarent. Mihi cum sensi splendore gravatum,
Sat plus quam ante caput, quae res me cognita nondum
Fecerat attonitum. Quare fuit impetus ambas
Hinc atque hinc palmas palpebrae opponere utrique,
Luminibusque jubar defendi, ut spicula lucis
Parcius afficerent oculos, limata, tuentes.
Sicut aqua aut speculo solis lux fracta, retrorsum

Ad partem oppositam saliendo, pervolat ipso
Impete, quo primum descenderat, atque recedit
A saxi lapsu multo velocius, aequum,
Si numeres, spatium, quod et experientia et artis
Doctrina ostendit; sic prae me luce videbar
Ictus refracta. Quare mea lumina promptae
Consuluere fugae. Quid id est, pater optime, dixi,
Quod prohibere oculis non me sinit ulla facultas
Nitentem, et contra nos festinare videtur
Occursu usque magis? — Non te stupor occupet, inquit,
Si tibi stringit adhuc aciem gens aethere missa:
Angelus est, hominem qui hortatur scandere in altum.
Nec longe jam tempus abest, cum haec cernere propter
Non grave erit, sed dulce tibi, quoad tendere sensum
Naturae dederint vires. — Ut venimus almo
Aligero coram, sic laeta is voce profatur:
Hac intrate gradus, per quos minus ardua ducet
Vos via. — Digressi inde ascendimus, atque: *Beati*
Illi corde bono, qui sunt miserescere sueti,
Insonuit retro, et, *gaude qui vincis.* Utrique
Soli una scalas ascendere. At utile duxi,
Illius ex verbis si quidquam discere possem,
Dum mecum ire viam pedibus pergebat, et ipsum
Aggressus rogito: Quidnam innuit Aemilianis
Orta anima in terris, consortem et jura vetandi
Commemorans? Tunc ille mihi: Quae quantaque damna
In se congessit labes sua maxima, novit.
Quare ne stupeat quisquam, si voce reprendit
Hoc vitium in vestros, luctu ut majore leventur.
Quod mens vestra aciem viresque intendit in illa,
Quorum pars minui, socio accedente, videtur,
Propterea cogit suspiria ducere livor
Folle suo. At coeli sphaeram si vestra cupido
Suspiciat, timor hic a vestro pectore abesset.
Namque illic quanto plus fas est dicere nostrum,

Tanto plus vir quisque tenet, plusque ardet amore
Coelesti in patria. Mens haud expleta magisque
Mi, dixi, jejuna manet, quam si ista tacendo
Misisses; nam incerta magis suspensaque pendet.
Qui poterit fieri, ut multis divisa bonorum
Pars magis hos cumulet, quam si illam pauculi haberent?
Is mihi: Propterea, quod tu terrena volutas
Nunc quoque mente tua, vera de luce tenebras
Ducis. Namque bonum non enarrabile, summum
Hoc, quod corda beat superorum, occurrit amori,
Corporibus veluti lucentibus ignea solis
Spicula. Coelestis tantum conceditur aestus,
Quantum hic inventum est. Quare quo latius ignis
Exit, eo flamma virtus aeterna redundat
Majore, et quanto plures ex gentibus illis
Illuc intendunt animos, et amore feruntur;
Tanto plus ipsis bene amandi copia abundat,
Diligiturque mage. Ut speculum, quod lumina reddit
Alterius speculi vitro, et simulacra refundit.
Quod si non explet ratio te nostra, Beatrix
Adveniet spectanda tibi, quae plenius istam,
Et quamvis aliam vellet de pectore curam.
Fac tibi quam primum exstinguantur vulnera quinque,
Sicut jam illa duo, quae est claudere corde dolendo.
Jam dicturus eram satis haec fecisse roganti,
Cum sensi alterius flexus me tangere spondam,
Quare oculus cupiens suasit compescere vocem.
Atque ibi mente abii raptus, subitoque videbar
Collectam in templo multam mihi cernere turbam,
Et quandam tecto subeuntem matris habentem
Dulce os atque habitum atque edentem has corde loquelas:
Quid sic fecisti nobis, fili? Ecce dolentes
Et pater, et tua ego mater te quaerere nunquam
Destitimus. — Post haec cum voce effugit imago,
Quae mihi visa prius fuerat. Deinde altera coram

Occurrit, perfusa genas humore cadente
Illo, quo dolor exstillat, qui gignitur ira;
Atque haec sic fari: Si tu dominaris in urbe,
Pro qua certatum est studio inter numina tanto,
Ex qua doctrinae atque artis decus omne refulget,
Ne mora sit poenis illos punire lacertos
Ausos amplecti natam, o Pisistrate, nostram;
Cui tum visus erat sic respondere benignus,
Composito placide, princeps mitissimus, ore:
Quid faciemus adhuc, si quis male fausta precetur
Nobis, si poena nostri afficiamus amantem?
  Deinde aliam vidi flammato pectore gentem
Aggressam saxis juvenem dare funeri acerbo,
Murmure quae magno clamabat: Percute, caede!
Isque videbatur succumbere, morte gravatus,
Pronus humi, semperque oculos contendere apertos
In coelum fixos ac summum poscere regem
In tanto pacem bello, veniamque feroci
Turbae, quo mitis pietas diffunditur, ore.
  Cum rediit mihi mens externaque vera revisit
Extra se posita, haud falsus tum cognitus error
Est mihi. Me similem rumpenti vincula somni
Cernere qui potuit: Quae, inquit, consistere posse
Caussa vetat, doctor? Sed jam te millia vidi
Plus quasi quam duo progressum tibi lumina palmis
Velantem atque aegre vestigia torta trahentem,
Ut vir, cui somnus vel vinum praepedit artus?
  O dulcis pater, huic dixi, si porrigis aures,
Dicam visa mihi, per quae vis concidit omnis
Crurum. Atque is contra: Tibi si velamine vultum
Larvae texissent centum, quae cogitat intus
Mens tua, parva licet, non me sic clausa laterent.
Haec ideo sunt visa tibi, ne forte recuses
Pacificis cor pandere aquis, quae fonte redundant
Aeterno. Neque ego studui cognoscere caussam,

Ut qui oculis posita ante videt tantummodo, et ultra
Non videt exanimi simulac calor ossa reliquit;
At percontabar, quia plantis addere vires
Consilium fuerat. Sic pigros pungere oportet,
Ut, quas evigilare datur, redeuntibus horis
Solliciti utantur. Nos ire crepuscula noctis
Spectantes ultra, quantum procedere quibat
Nostra acies, contra lucem sub vespere missam.
Ecce autem nobis paullatim occurrere fumus
Ut nox obscurus, neque erat ratio ulla locusque
Vitandi, isque oculos simul et purum aëra ademit.

XVI.

Tartareus nigror et vacuae quocumque planeta
Paupere sub coelo noctis, caligine densa
Quantum unquam potuit, sic crasso lumina velo
Haud mihi compressit, vis illa ut lurida fumi,
Quae nos texit ibi, neque texto sensibus aspro
Usque adeo, ut mea ferre acies reclusa nequiret.
Quare, qui mihi ductor erat fidusque catusque,
Adfuit apposuitque humerum. Ut vir captus utroque
Lumine ducentem sequitur, ne forsan aberret,
Aut quidquam offendat damno exitiove futurum:
Sic per amaritiem ac per sordes aëris ibam,
Aure ducis vocem accipiens mihi talia fantis:
Fac caveas, nostris ne quid te separet ulnis!
Me percellebant voces, pacemque rogare
Verba videbantur, miserantem corde precata
Agnum divinum, qui tollit crimina mundi.
Primi *Agnus* clamare *Dei*. Haec deinde omnibus una
Vox erat, atque uno reddebant missa tenore,
Omnis ut hos inter concordia amica pateret.
Quorum verba sonant, an sunt simulacra, magister?
Dixi; ast ille mihi: Tu verum percipis, inquit;

Illi, quem plicuit nodum iracundia, solvunt.
Quisnam tu, nostrum properas qui findere fumum,
Et nunc verba facis de nobis more modoque,
Tempora quo numerat quisquam digesta per annos?
Haec vox audita est. At dux: Huic dicta vicissim
Redde simulque roga, num isthinc sit scandere in altum.
O anima, huic dixi, quae te hoc in carcere purgas,
Pulchra ut ad auctorem redeas, si me ipsa secundas,
Mira quidem accipies. Quoad est data copia, dixit,
Te sequar et, quamquam haud patitur res cernere fumus,
Auris erit visus instar junctosque tenebit.
Sic coepi: Illa usus, quam solvunt funera, veste
Adscendo atque inter gemitus elapsus Averni
Huc veni; et quoniam tam large aeterna potestas
Mi favet, ut libeat propriam me admittere ad aulam
Extra omnem penitus legem, quam noverit usus,
Ne cela, quisnam fueris, mors atra priusquam
Te mersum abstulerit; sed profer, num bene pergam,
Quo transire datur. Quae respondebis, habebo
Pro ducibus. — Tunc is: Genere et cognomine dicor
Marcus Lombardus. Me juvit discere mundum,
Atque ea praecipuo me virtus vinxit amore,
Ad quam quisque sui jam fert lentescere robur
Arcus. Directe, quo dat via scandere, pergis.
Sic ille atque addit: Superum si quando licebit
Intrare ad sedes, pro me quoque numen adores.
Atque ego: In his tibi nostra fides obstricta manebit,
Et quod poscis, erit; verum in contraria curà
Rumpor, quae male habet dubium, ni pectore solvam.
Haec fuerat simplex, tua nunc sententia duplam
Fecit, quae obfirmat mentem, jam credere certam
Hic audita mihi atque alibi, tunc cum utraque mecum
Compono. Anne igitur sic virtus exulat omnis
A mundo, ut narras? Sic foeta obductaque terra est
Nequitia? Ast, oro, sic da mihi noscere caussam.

Ut pateat cernenda oculis monstrandaque vulgo;
Namque alter coelo, terris hanc asserit alter.
Ille autem duxit gemitum, quem vertit in unum
Triste *eheu!* dolor adstringens, dein talibus infit:
Mundus coecutit, tuaque inde emanat origo,
Frater. Vos vivi, vos derivatis in astra
Et coelum caussam quamvis, ut si omnia coelum
Secum ageret motu fatali et foedere certo.
At si id forte putas, periit vis libera vestri
Arbitrii, haud usquam adspiceres, quae facta rependat,
Justitiam, at lugere bonos, gaudere scelestos.
A coelo primi veniunt in pectora motus:
Non omnes, inquam; quamvis, si hoc asserere ausim,
Pro vobis recti ac pravi justissima judex
Stat ratio et nulla expugnabilis arte voluntas
Libera; et haec, primo durata in turbine pugnae
Contra vim coeli, pugna discedet ab omni,
Si bene pectus alat, parto laudanda triumpho.
Virtus vos major, melior natura subactos
Temperat, incolumi arbitrio; atque haec ipsa creavit
In vobis mentem, quae coeli haud tradita curae est.
Quare, si praesens mundus vos tramite recto
Abducit, primum vos intus quaerite caussam;
Atque meis verbis haec omnia vera probabo.
Illius haec anima e manibus, qui suspicit ipsam,
Ante frui quam det vita, devinctus amore,
Infanti similem lacrimas lususque cientem
More puellari, simplex ignaraque rerum
Prosilit; excipito, auctoris quod mota sui vi
Laetificante lubens, quo se oblectare solebat,
Regreditur. Parvusque boni sapor allicit illum
Principio; isthic decipitur, tamen incita in istum
Fertur, ni frenum vel dux deflectat amantem.
Quare est ad legem ventum, quae utatur habenis;
Majestas quaerenda simul summi arbitra regis,

Qui saltem turrim verae dignosceret urbis.
Non desunt leges; sed cui stat, legibus uti?
Nulli! Nam pastor praecedens ruminat ore,
Quamquam fissa deest huic ungula, turbaque cernens
Ductorem bona venantem, quae pectore hiante
Quisque petit, pascit se his, ulterioraque mittit.
Hic patet, ut ratio vitae mala caussa malorum est,
Quae mundum infecere tuum; non insita vestrae
Naturae labes. Quae castos Roma vocavit
Ad mores mundum, gemino pollere solebat
Sole, utramque viam mundi monstrante Deique;
Alter at alterius restinxit lumen, et ensis
Juncta pedo est acies; quapropter oportet utrumque
Jam pariter ruat in pejus. Nam ubi juncta simul vis
Conjurat gemina alternis, unam altera spernit.
Si dubitas, spicam reputa; nam a semine nosci
Omne potest gramen. Quae crescit terra, rigante
Eridano atque Athesi, pinguis, virtute solebat
Et more urbano increbrescere laeta, priusquam
Caussa laboraret Fridrici: sed modo tutus
Ire redire viam poterit, quicumque pudore
Nomine compellare bonos vel adire vetatur.
At vero longaeva virum tria pectora restant
Nunc etiam, per quos antiqua hanc arguit aetas,
Queis cessare Deus nimium nimiumque videtur,
Quin sese vitae fata in meliora reponat;
Curradus, claro quo Brixia gaudet alumno,
Gherardusque bonus, Reggensisque incola Guidus,
Simplice Lombardi notus sub nomine Gallis.
Dic jam Pontificum sedem, quae ecclesia Romae est,
Dum studet imperii duplicis confundere vires,
In coenum labi et se dedecorare suumque
Pondus. Ego: Mi Marce, inquam, bene colligis, et mi
Sat bene caussa patet, quare Levitica proles
Parte exempta fuit. Sed quem tu nomine dicis

Gherardum exstinctae exemplum superesse prioris
Gentis, ut objiciat male culto dedecus aevo,
Fac doceas. — Aut me ludunt tua verba, vel ipse
Me tentas, inquit, qui, sermone usus Hetrusco,
Justum Gherardum penitus nescire videris. —
Hunc non ex alio novi cognomine, quam si
Ex Caja sumam, quo patre haec edita fertur.
Salvete, haud ultra est mihi fas contendere gressu;
Prospecta, ut circum radiantur nubila fumi
Luce nova immissa, et jam me discedere oportet;
Angelus est illic, ne me occupet. Ista locutus
Non ultra ad nostros sermones aure vacavit.

XVII.

Mente tibi memora, si quando, lector, in Alpe
Te nebula offendit, per quam sic ipse videres,
Sicut per pellem talpae; ut, simulac vapor humens
Ac densus coepit rarescere, spicula solis
Debiliter penetrant; levis haec tibi surget imago,
Ex qua conjicias, quo sensu lumina primum
Vidi iterum solis, qui praecipitabat in aequor.
Sic duce progressus cum fido passibus aequis,
Exivi tenebris ad jam intermortua in imis
Lumina agris. O mens, quae nos ita imagine rerum
Saepius abductos a sensibus imprudentes
Aufers, mille licet dent circum cornua bombos:
Quae te caussa movet, non suppeditante ministro
Sensu? Te lux alma movet, quae manat ab alto
Sponte sua aut ducente Deo, qui donat habere
Terrigenis. Non ampla magis, quam forma volucrem
Mutatae in parvam, quam plus juvat edere ab ore
Cantus, nescio quae, species animo obvia venit;
Quae mihi sic intus mentem perstrinxit, ut extra,
Quae res apparent hujus penetralia inire,

Prorsus desierint. Menti deinde impluit altae
De cruce vir pendens, fixus fronte, ore superbus
Ac ferus, et talis claudebat lumina morte.
Hunc circa magni majestas Assueri,
Atque Esther conjux, et servantissimus aequi
Mardochaeus erat, tam verbis integer, ut re.
Atque haec se postquam per sese rupit imago,
Bullae instar, si, quo fit turgida, deficit humor,
Cernere visus eram simulacrum triste puellae
Altos edentis gemitus, ac talia fantis:
Cur, suadente ira, voluisti rumpere vitam,
O regina, tuam? Te exstinxti, perdere natam
Dum fugis. En modo sum, mater, tibi perdita, et ipsa
Alterius prae morte tuam Lavinia ploro.
Ut solet abrumpi somnus, si clausa repente
Lumina percellat nova lux, atque ante natare
Fractus, quam occiderit totus: sic decidit audax
Fingere vis mentis, simulac lux perculit ora,
Candida plus nostro quam more. Ego volvere visus,
Quas devenissem, cupidus cognoscere sedes,
Cum vox audita est: Hic est adscendere, fata,
Quae genus omne aliud curarum a corde removit:
Tamque alacrem me cepit amor, verba ista locutum
Respicere ac scire, at nunquam consistere discat,
Donec eum offendat. Sed sicut, sole gravante
Nostram aciem, nimis effuso qui lumine celat
Os sibi: non secus hic virtus me tota reliquit.
Hic est de Superis, qui sponte, precante neque ullo,
Monstrat iter rectum, si quis vult scandere, dixit,
Lumine seque suo abscondit. More utitur illo
Nobiscum, quo quisque sibi servire laborat.
Nam si quis manet orantem, qui novit egentem
Hunc opis esse suae, stat corde negare maligno
Certus. Nunc tanto aptemus suadente ministro
Plantas. et nos ardor agat superare, priusquam

Incumbant tenebrae; nam posthac nulla daretur
Copia scandendi, donec redeunte diei
Luce nova. Sic doctor. — Ego vestigia servans
Scalas corripui, atque gradus me primus habebat.
Hic alae sensi quasi quodam praepete motu
Percussus propius vultum, audivique: *Beati*
Pacifici, mala queis pectus non incitat ira.

Jam jubar extremum tenebrae, quae pone sequuntur,
Supra assurgebant sic, ut stellae undique adessent.

O mea vis, mihi cur te ita subripis? Haec ego mecum,
Robur ubi crurum sensi cessare coactum.
Ventum erat ad summas scalas. Nos sistere ad instar
Navis, quae tandem tutis allabitur oris;
Intendique aures paullum, si forte novellum
Per stratum audirem quidquam; dein voce magistrum
Sic rogo: Dic, dulcis pater, ecqua injuria in isto
Eluitur circlo? Non stet, pede stante, loquela
Hic tua. At ille: Boni haud integra cupido politur .
Hic; hic nimirum male tardis vapulat usus
Vir remis. Ast ut tibi detur apertius ista
Percipere, adverte, atque aliquid tibi forte parabit
Nostra boni fructus mora. Nec sine amore creator,
Nec res ipsa creata fuit, sic incipit ille,
Aut natura, aut sponte sua, quod tu quoque nosti.
Ingeneratus amor nullo unquam tempore falsus
Est animi; ast alter se posse errare frequenter
Sensit, seu mala cum species, seu dira libido,
Segnities seu lenta adamet. Bona prima petenti
Recte servantique modum, si forte secunda
Appetat, haud amor iste potest mala gaudia ferre.
Ac simulac ruit in vetitum, majorve minorve
Cura ultro bona sectari persuadet, in ipsum
Artificem convertit opus. Jam hinc discere quibis,
Cuilibet ut det amor virtuti semen et omni
Vestro auso, quod poena manet. Sed sensus amoris

Privi cum nequeat non prospectare salutem,
Res odii proprii semper secura manebit.
Sed quia nec scissus, nec per se stare sine illo
Primo ullus posset, sic et praescinditur omnis
Caussa odii in primum. Superest, si recta mihi mens
Haec discernenti est, ut, quae mala quispiam amaret,
In similem ista sui caderent; atque aestus amoris
Iste fimo in vestro natura triplice constat.
Est qui, vicino afflicto, se excellere posse
Sperat; et idcirco tantum de culmine in imum
Hunc cupit ejectum. Est qui rem famamque veretur,
Et decus, atque auram vulgi ne amittat, ubi alter
Emineat; quare tantus dolor occupat istum,
Ut contraria amet. Sunt quos injuria suevit
Exagitare ira, cupidosque ulciscier hostem
Efficere; et genus hoc hominum sibi figat oportet
Mente malum alterius. Venit infra amor iste triformis
Orbe sub hoc flendus. Volo nunc, sat lumine claro
Concipias alium bona captantem ordine pravo.
Quisquis confuse apprendit, quod posse juvare
Se putat, unde quies animo illabatur, et optat:
Nam quisquis metam cupide contendit ad istam.
Si vos, cessantes cognoscere sive potiri
Talia, lentus amor trahit, haec, ubi rite dolendo
Poenituisse prius vos constet, sumere poenas
Jussa corona fuit. Quae non sinit esse beatos,
Altera imago boni est, felicem ducere vitam
Non donat; non ista quidem natura benigna
Cujuscunque boni fructus radixve putanda est.
Qui sibi amor nimis indulsit, seque et sua amavit,
Per tres nos supra circos est flebilis; ast hic
Quare tergeminus dicatur, mitto docere,
Tecum animo ut reputes, studeasque inquirere caussam.

XVIII.

Summus desierat sapiens oculosque tenebat
In me defixos, an praeferrem ore quietem
Expletus; sed ego, nova quem sitis exstimulabat,
Praeterea, tacui lingua, mecum ista locutus:
Quae sine more illum rogito, fortasse gravabunt.
Verum instar patris veracis, ubi ille timentem
Dicere me cupidum sensit, quae corde premebam,
Fando animum mihi restituit, sic farier auso:
Tale meis oculis tua lux dat lumen habere,
Ut nitide cernam, quidquid tua proferat et mi
Describat ratio. Quare, pater optime, amorem,
Quaeso, demonstra, factorum quem esse bonorum
Cunctorum semen dicebas atque malorum.
In me fige oculos mentis, respondit, acutos,
Coecorumque error, ductorum qui vice fungi
Audent, sat tibi apertus erit. Qui promtus amare
Est natura animus, versatur mobilis omnem
Ad rem, quae placeat, simulatque hunc blanda voluptas
Excitat atque agere hortatur; neque imagine inani
Se falli sensus testatur, et efficit, ut mens
Huic sese intendat, vobisque hanc explicat intus
Sic, ut ad hanc animum attrahat. Hic si inclinat ad ipsam
Conversus, fit amor, potius natura vocandus,
Quae vos jucunda rursus dulcedine vinctos
Occupat insinuans. Exin ut tendit in altum
Flamma suam ob formam, quae illuc adscendere nata est,
Plus ubi materies, sub qua est durare, putatur;
Sic desiderii, quod vis movet intima, captus
Intrat claustra animus, nec tempore desinit ullo,
Nec requiem patitur, donec potiatur amato.
Nunc tu, quam vera longe a ratione ferantur,
Qui genus omne aestus in se laudabile dicunt,
Nosse potes; nam forsan amor bonus esse videtur

In se; at cera licet bona sit, non omnia signa
Esse tamen bona jurabis. — Tua verba meumque
Ingenium non unquam abiens docuere rogantem,
Quid sit amor, dixi. Verum tua dicta relinquunt
Me magis incertum; quoniam si extraria amorem
Objiciunt nobis animusque alio pede nescit
Pergere, seu dextra incedat sive ille sinistra,
Et culpa vacat et merito. — Tunc insuper ille:
Quae videt hic ratio, possum tibi dicere, et exin
Quaere Beatricem, fidei quae dogmata callet.
  Quaevis forma, sua quae stat re praedita, quaeque
Secta a materia est, atque huic se jungit et haeret,
Virtutem amplexa est propriam, quae contigit uni
Ingenerata sibi, quae si non exit in actum,
Non quit sentiri et, nisi per quae facta patescunt,
Non demonstratur, veluti se vivere planta
Non nisi per virides frondes ostendere posset.
  Quare mortalis nescit, qua ab origine menti
Primae notitiae occursent, nec qua illa cupido
Blanda petens, quae prima animo exoptanda recursant,
Quaeque insunt nobis, sicut flaventia mella
Stipandi studium est apibus; verum illa libido
Prima caret merito, nec nobis dedecus infert.
Nunc vis innata est homini, cui quilibet alter
Sese amor adveniens accommodat, et datur ipsi
Consulere atque tenere assensus limina prima.
  Ex hoc principio procedit caussa merendi,
Prout bene, vel male progenitos admittit amores
Et cernit. Virtus haec libera, et insita nobis
Natura, patuit doctis, qui inquirere amarunt,
Quae sit norma boni moris, quid poscat honestas.
Quare demus, amore homines non posse carere,
Intus qui exsurgit, veluti sit amare necesse,
Semper inest vobis illum retinere potestas.
Ista Beatrici virtus praeclara videtur

Vis esse arbitrii sibi libera, nescia vinci
Fac mente id teneas, ubi sit memorare libido.
Ferme concubiam sub noctem luna morata
Suadebat nobis stellas minus esse frequentes,
Ingenti similis situlae, quae tota flagraret:
Et contra coelum visa est extendere cursum
Illuc per colles, quos sol flammantibus urit
Telis, Romanus cum prospicit accola flammas
Sardoos inter Corsosque illabier undis.
Comis at, Andaeo quae dat clarescere pago
Umbra adeo, ut cunctis hoc Mantua praeferat unum,
Ponderibus positis, quibus illum saepe gravaram,
Ibat. Ego, cui jam rerum manifesta patebat
Scitanti ratio, collecta messe, quietus,
Ut qui desipiunt summo torpore premente,
Ibam, ast ista mihi est nubes ablata veterni
Illico, ubi advenit populus post nostra volutus
Terga occursurus. Qualemque Ismenus et amnis
Asopus noctu vidit matrumque virumque
Effusam cursu turbam numeroque frequentem,
Dummodo Thebani Lenaei patris egerent;
Talia falcato lustrabant agmina circlum
Hunc passu, quae, prout vidi venientium in ore,
Mens bona, justus amor cursum celerare jubebant
Advenere cito, namque ingens illa caterva
Ibat praecipitante gradu, binaeque praeibant
Effusae in lacrimas clamantes altius umbrae:
Et Maria ad montem studio properante cucurrit,
Et Caesar cupiens urbem sibi subdere Ilerdam,
Massiliam pupugit, dein cursu irrupit in oram
Hispanam. Actutum, actutum, nec abire sinamus
Punctum horae incassum culpa frigentis amoris,
Retro clamabant alii, ut revirescere posse
Gratia det studio bene, per benefacta, merendi.
O gens, quam forsan nunc urget fervor acutus,

Corrigere hortatus torporis damna moraeque,
Quae vos detinuit minus ad pia facta calentes:
Hic, qui vivit adhuc (et certe fallere lingua
Non ego vos ausim), vult ultra scandere, dum sol
Lucescat nobis. Quapropter dicite, quorsum
Est aditus propior. Sic dux est ore locutus.
Atque una ex illis umbris: Vestigia, dixit,
Nostra lege inveniesque cavum. Nos tanta voluntas
Incitat ad cursum, ut non sit cessare facultas.
Quare da veniam, si injurius esse videbor,
Munere dum fungor justo. Mihi vita peracta est
Veronae, et divi Zenonis in aedibus abbas
Degi, Barbarossa bonus cum regna tenebat,
Quem Mediolanum memorat multo haud sine fletu.
Atque oram fossae quidam pede jam subit uno,
Illud coenobium cito defleturus, et ipsum
Poenituisse sui regni mors sera docebit.
Namque suam is prolem integram male corpore, mente
Pejus, quae mala nata fuit, pastore repulso
Vero, supposuit. Non ausim dicere, an ultra
Sit fatus, vocemne hic presserit; inde volarat
Tam citus a nobis. Sed ego haec eadem auribus hausi,
Et placuit retinere mihi. At dux: Respice et illic
Contemplare duos, qui incessunt morsibus illos,
Quos norunt tepidos. Cunctos post terga secuti
Dicebant: Rubri patuit queis aequoris unda,
Cunctos exstinxit mors praecipitata, priusquam
Haeredes proprios Jordanis ripa videret.
Et longo Aeneae defungi turba labore
Indocilis, vitam in tenebris sine nomine traxit.
Ast ubi tam procul a nobis tulit impetus illa
Agmina, ut haud oculi possent servare sequentes,
Cura meae menti occurrit nova, deinde recurrit
Altera, deinde aliae varia sub imagine rerum;
Tamque diu nunc sum huc, nunc illuc mente vagatus,

Lumina ut in somnum mihi declinare voluntas
Suaserit et tales mutare in somnia curas.

XIX.

Tempus erat, cum frigus adhuc lunare diurna
Aura fovere nequit, terra vel sidere saepe
Saturni victa, et Geomantes surgere ab oris
Majorem Eois fortunam, aurora priusquam
Exierit thalamo, prospectant calle potitam
Indocili nigrare diu; cum femina balba
Adfuit in somnis, oculos transversa tuentes
Visa movere, supraque pedes distorta manusque
Trunca ambas, atque os cerae suffusa colore.
Hanc ego spectabam, ac veluti sol frigida membra
Nocte gravata solet recreare: ita solvere linguae
Nodos hinc dederam obtutu, et mox corpore toto
Tollere se arrectam atque expertia sanguinis ora
Foeda colorabam, ut dominae voluisset amator.
Atque ubi sic lingua potuit garrire soluta,
Tales illa sonos modulari coepit, ut aegre
Inde aures mentemque intentam flectere quissem.
En ego sum, cantabat, ego, dulcissima Siren,
Quae pelago in medio possum deducere cursu
Nautas; tanta meo manans ex ore voluptas
Sensibus insinuat. Traxi modulamine Ulyxem
Errore e longo, et, mecum qui convenit usu,
Raro abit usque adeo plenus manet. Ore profari
Nondum desierat, cum femina sancta citato
Me propter venit gressu, ut demitteret illam
Confusam. Andaee, o Andaee, ecqua ista? feroci
Clamabat vultu, isque aderat, qui fixa tenebat
Lumina in alterius vultum, quae incedere honesta
Visa erat. Haec illam comprendere, scindere apertae

Anterius pannos monstrique ostendere ventrem.
Atque hic foetenti, quem circum halabat, odore
Mi somnum excussit. Cum lumina circumferrem,
En bonus Andaeus: Te, dixit, voce vocavi
Ter saltem, surge atque veni; invenienda petiti
Est porta ingressus. Tunc nitens membra levavi.
Alta dies cunctos compleral lumine sacri
Montis circuitus, et erat sub sole recenti
Ad renes iter amborum. Hunc ego pone secutus
Fronte incedebam, qualis qui pondere pressam
Curarum hanc gestat, pontis falcatus in arcum
Dimidium, mihi cum vox exaudita: Venite,
Transitus est isthic, — ita dulce et come locuta,
Qualem hac mortali nemo unquam audivit in ora.
Expansis cigni candorem imitantibus alis,
Ad se nos vertit, qui sic est ore profatus,
Stans supra summum defensae pariete utrimque
Marmoreae scalae, dein plumas movit, et aura
Ambos afflavit, *Qui lugent esse beatos,*
Testatus; nam animos jam libertate fruentes
Copia solandi his dabitur. — Dux talibus infit:
Quid tibi, adhuc immota solo qui lumina figis,
Cum procul haud absit, qui nos super imminet ales?
Huic ego: Tanta animum suspendit cura novello
Percussum ostento, quod me flectitque trahitque
Ad se, ut non usquam hunc possim deflectere ab isto.
Illius antiquae lamiae an tibi contigit ora
Cernere, ait, quae sola dolet jam nos super adstans?
Vidistin', ut vir sese dissolvat ab ista?
Sit satis, acceleraque gradus et suspice signum,
Quod rex aeternus magno circum rotatorbe.
Qualis qui falco prius insistebat, utrisque
Innixus pedibus, qua clamor venit ad aures,
Vertit se arrectum et protendit corpore toto,
Tantus amor dapis est, trahit istum tanta cupido:

Talis factus eram et talis, quoad finditur alta,
Quae dat iter rupes scandentibus, ire studebam,
Usque ad quam potui manibus prensare coronam.
In quintum ut data porta fuit venientibus orbem,
Hinc illinc vidi fusam lacrimasque cientem,
Impressam ora solo plebem. Haec vox omnibus una:
Haesi anima in terra, singultibus interrupta
Sic, ut vix possem flentum captare querelas.
O animae electae, queis dant lenire dolores
Justitia et spes juncta simul, sublimia montis
Unde sit adscensu nobis superare, docete!
Huc si venistis, securus uterque jacendi,
Et vos fert animus breviorem carpere callem,
Dextra legat vobis extremas marginis oras.
Prex fuerat vatis, paullo nos ante fuere
Reddita responsa haec. Quare verba ista locutum,
Quid reliqui lateat, plane ignorare putavi:
Atque hic luminibus quaesivi lumina nostri
Et ducis et domini. Laetus tunc annuit ille,
Ut desiderium explerem, quod in ore ferebam.
Libertas mihi cum patuit, fuit ardor adire
Illum, quem voces prius effecere notandum.
O cujus lacrimae id dant maturare, rogavi,
Quo sine supremum patrem reperire potestas
Non est, majorem me propter siste parumper
Curam. Quis fueris, narra, et cur dorsa feratis
Conversa ad coelum, et si me impetrare rogando
Illius inde loci quidquam tibi forte praeoptas,
Unde huc vivus adhuc vero cum corpore veni.
Isque mihi. Disces, cur ad se vertat Olympus,
Quod post nos gerimus, sed primum id scito, fuisse
Me successorem Petri. Se immittit in agros
Sestrim Claveriumque inter pulchrum agmen aquarum,
Atque sibi titulum mea gens a nomine ducit
Hujus, quod titulis nostris est culminis instar.

Unus iter mensis confecerat, et nova luna
Vix bene prodierat, cum sensi, quam gravet illum
Pontificale decus, qui limi immune tueri
Hoc studet, et prae isto quantumvis pondus habendum
Pro pluma. Doleo, me poenituisse meorum
Serius, heu! morum. At simulac mihi contigit uti
Munere Romani Pastoris, coepit inanis
Vita patere mihi: didici non posse quiete
Illic corda frui, non ultra tendere cursum
Esse datum vestrae conclusis limite vitae;
Quare hujus me cepit amor. Hic terminus haesit,
Huc usque infelix superis semota Deoque
Haec anima erravit misere, rerum omnium avara;
Nunc, ut et ipse vides, hic cogor pendere poenam.
Hic quid avarities faciat, poena indicat illas
Expurgans animas, quas poenituisse dolendo
Constat, nec totus tormentum atrocius isto
Mons habet; et sicut non sese arrexit in altum
Nostra acies, defixa solo, sic numinis ira
Justa hanc in terra mersit. Quo more bonorum
Auri dira fames cunctorum exstinxit amorem,
Unde labor fusus frustra perit, hoc tenet aequus
Judex captivos plantasque manusque revinctos
Nos hic; quamque diu fert regem justa libido,
Tam nos immoti ac protensi stare jubemur.
 Poplite constiteram flexo farique paratus;
At simulac coepi, atque is tantum senserat aure
A me hoc obsequium: Quae, inquit, te caussa voltum
Affixit terrae? — Majestas vestra gradusque
Supremus mentem, quae recti est conscia, morsu
Impulerant, dixi. — Crura erige, surgito, frater!
Respondit. Ne erra, tecum conservus et ipse
Sum mistusque aliis, quibus imperat una potestas,
Matthaei si unquam sententia venit ad aures
Sancta tuas: *Quae nec nubent*, ait, ipse videbis

Sat nitide, cur ista loquar. Modo perge, morantem
Non ego te ulterius patiar, me namque morando
Turbas fundentem lacrimas, quibus illa laboro
Ut mihi mutarem, quae ego te dixisse recordor.
Inde nepos est nata mihi. Huic Alaia nomen,
Quae bona natura est, dum ipsam corrumpere vitent
Turpibus exemplis prognati sanguine nostro.
Haec mihi apud vestros post mortem est sola superstes.

XX.

Optanti melius curae male cura repugnat;
Nostra ideo ingratis huic gratificata voluptas
Spongiam aqua haud saturam extraxit. Sic inde recessi,
Incessuque meus ductor loca libera legit,
Usque oram stringens, angusta ut moenia obire est
Radendo pinnas; nam guttas turba refundens
Ora per atque oculos labis, quae distinet orbem
Totum, parte alia stratis nimis artubus exstat.
O antiqua, tibi male sit, lupa, quae acrius instas
Praedae, quam quaevis aliarum turba ferarum,
Indomiti ob rabiem ventris sine fine profundam!
O coelum, cujus mutari turbine sortes
Hic dicunt, quando adveniet, quem propter abire
Haec properet? — Nos interea procedere lentis
Passibus ac parcis, et ego circumspicere umbras,
Quas lugere pie audieram atque effundere questus;
Et forte audivi clamari: *O alma Maria!*
Prae me cum gemitu multo, quo femina prolem
Enixura novam solet, atque haec insuper addi:
Tantum pauper eras, quantum esset discere in illo
Hospitio, divina tui posita est ubi sarcina ventris.
Fabricii o mens casta boni, vox altera dixit,
Tu paupertatem voluisti foedere junctam
Virtuti, potius quam turpi crimine habere

Divitias multas. — Sic mi placuere loquelae
Istae, ut progrederer passu, ne nescius essem
Illius, unde sonum vocis venisse putabam.
Ast ea praeterea celebrabat, fundere largam
NICOLEI dextram teneris servasse pudorem
Virginibus, vitam suadentis vivere honestam.
O quae tam pulchris sermonibus uteris, inquam,
Dic mihi, quae fueris, dic, cur tu sola retexas
Tam dignas laudes; neque enim fraudata manebis
Mercede, haec fando, reduci si explere licebit
Hujus mi breve iter vitae, quae ad funeris horam
Praecipitans volat extremam. — Haec mihi talia contra:
Non quod ego quidquam maneam solaminis inde,
Dicam, at quod tanta donat te gratia luce,
Ante extrema tibi quam vitam abscinderet aetas.
Radices male nata meo de stipite planta
Traxit, Christiadum quae cunctis officit umbra
Terris, ut raro laetum sit carpere fructum.
At si quid Liloa Brugaeque ac caetera possent
Oppida capta manu hostili, mox afforet ultor;
Quod regem posco, qui cunctos judicat aequus.
Nomen apud vestros HUGO CAPETUS habebam;
Ex me sunt orti, qui regnavere, PHILIPPI,
Et qui nuper ALOYSII sub nomine regnant.
Ipse Parisiaco lanio prognatus in auras
Luminis exivi, antiqui quo tempore reges
Defluxere omnes, excepto qui induit artus
Obscurum cineris panno referente colorem,
Inque mea bene firma manu me frena tenentem
Imperii vidi, ac tanta me mole potitum
Partarum nuper rerum, et, quod praestat, amicis,
Ut capiti nati viduatum principe sertum
Impositum fuerit nostri, atque ex ossibus hujus
Principium traxere suum istorum ossa sacrata.
Sanguinis opprobrium donec non abstulit ingens

Dos Narbonensis nostri, minus ille valebat;
Sed nec erat tamen ille nocens. Vi fraudeque praedam
Inde est ille suam aggressus; dein, tristia facta
Emendaturus, Pontes Normanaque cepit
Oppida, quosque colunt peregrini Vascones agros.
 Carolus Italiam irrupit nece Conradini
Emendaturus, dein Thomam ad astra retrusit,
Emendaturus. Non multum tempus abesse
Post istud video, cum emerget Carolus alter
Ex Gallis, melius testatus seque suosque.
Absque armis exit solus, tela illa reportans,
Queis depugnavit Judas, mucrone potitus,
Quo Florentinae ventrem disrumperet urbi.
Hic sibi non terram lucrabitur, at male factum,
Et probrum: istud eo gravius, quo infamia damnis
Illi pensatur levior. Mihi cernere frontem
Alterius videor, qui captus navibus exit,
Deinde suam vendit natam pretiumque pacisci
Non fugit, abductas quo praedo more puellas
Mancipat. — O auri dira, exsecranda cupido,
Quid tibi jam restat conandum, ubi sanguine nostro
Ad te traxisti genitos sic acriter actos,
Ut jam nulla suae carnis sit cura tuendae?
Utque minus male facta futuraque pensitet aetas,
Lilium Anagninas video pervadere ad Arces
Inque illo, hic Christi qui munere fungitur, ipsum
Comprendi Christum, derisum rursus, acetum
Et fel huic video renovatum, interque latrones
Viventes hunc occisum. — Novus ecce Pilatus
Tam ferus, ut nondum abscedat satiatus, et absque
Decreto desiderii jam carbasa in aedes
Infert sacratas. O coeli aeterna potestas,
Quando erit, ut detur laeto mihi cernere vultu
Ultam justitiam, quae, quo est magis abdita, tanto
Dulcius ulcisci reputat, quod pectore condit.

Quod mihi suadebat modo fari illa unica sponsa
Flaminis aeterni, et quod te quaesisse rogantem
Sensi, nunc pandam, detracta nube, videndum.
Tam dudum nostris precibus conceditur uti
Cunctis, quam dudum lucet; sed nocte cadente,
Tum vice mutata vox huic contraria voci
Usurpanda venit. Tunc Pygmaliona citamus,
Qui fuit, argenti stimulante cupidine et auri,
Proditor et praedo et cognati caede cruentus.
Et Midae avaritiem miseram, sua damna secutam
Ingluviem ob diram, quae risus usque futura
Materia est multis. Tum quisquis nomen Achani
Insani memorat, furtim spolia ampla potiti,
Ut quoque nunc contra videatur percitus ira
Josue bacchari. Dein cum consorte Saphira
Arguitur. Canimus sub calcibus Heliodorum
Semianimum. Hunc totum circa Polynestoris implet
Opprobrium montem, per quem Polydorus ad umbras
Descendit. Tandem compellant nomine Crassum:
Dic nobis, quoniam meministi, quid sapit aurum?
Elata interdum, pressa modo voce solemus
Haec fari, ut stimulis hortatur quemque libido,
Nunc celerare magis, nunc lentis passibus uti.
Quare per lucem, mihi quae bene dicere fas est,
Non usurpabam solus; verum haec loca propter
Nemo alius fuerat, qui mallet tollere vocem.
Nos hinc digressos ardor superare jubebat,
Ut vires animusque dabant, iter. Hic mihi visus
Intremere est totus, quadam ceu mole ruente,
Mons, et diriguere gelu mihi pallida membra,
Ut quem mors subeunda manet tortore trahente.
Haud certe est tanto concussa tremore, priusquam
Latonae nidum praeberet candida Delos,
Ederet illa uno ut partu duo lumina coeli.
Dein exaudiri sonus undique circumfusus

Tantus, ut accedens lateri sit talia fatus
Doctor: Me ductore tui, timor omnis abesto.
Gloria in excelsis, cuncti una voce canentes
Concrepuere, *Deo!* quoad stans prope verba notavi.
At nos immoti suspensique ora tenere,
Sicut pastores cum primum perculit aures
Hic cantus, donec cantu tremor ille peracto
Destitit. Hic pariter nostrum nos rursus inimus
Sanctum iter atque solo fusas adspeximus umbras,
In fletus iterum versas. Inscitia nulla
Me tanto afflixit cupidum rem discere bello,
Ni memorans erro, quanto tunc sum mihi visus
Frangi volventi; duce quod properante rogare
Nequaquam ausus eram, nec per me noscere quibam.
Sic ibam timidus, mentisque exercitus aestu.

XXI.

Ingenerata sitis, nunquam satiata recedens,
Si fraudetur aqua, qualem Samaritis avebat
Hoc orans donum, me isthinc cruciabat, et illinc
Me festinandi studium stimulabat euntem,
Implicitum per iter ductorem pone secutum,
Et juste ultarum miserebat corde dolentem.
   Atque ecce, ut Lucas redivivum fauce sepulcri
Egressum scribit sese ostendisse videndum,
Inque via sese comitem junxisse duobus
Discipulis Christum, post terga advenerat umbra,
Sub pedibus turbam stans contemplata jacentem;
Sed neuter sensit, quae sic prior ora resolvit:
Sic vos, dante Deo, faciat pax alma beatos,
O fratres! — Oculis subito respeximus ambo,
Inque vicem, ut decuit, vates hoc annuit illi.
Dein sic: Te ad pacem verax trahat aula supernam,
Quae procul exilio me tempus in omne relegat.

Quae dixit: Cur ardor agit vos praepete passu,
Umbrae cum sitis, quas dedignatus Olympus
Urbe sua prohibet? Quis dux conscendere scalas
Huc usque in coelum docuit? Cui talia doctor:
Si tu, quas gerit iste, notas, quasque eximit ales
De Superis, spectes, hunc arcessura videbis
Regna parata bonis. Sed cum haud deduxerit illi
Omne colo pensum, quae net noctesque diesque,
Quod Clotho imponit cuique et disponere curat,
Hujus vita animae, mihi quam scis esse sororem
Atque tibi, minus adscensu huc accedere quibat
Sola, haud apta oculis umbrarum more tueri.
Idcirco magnis excitus faucibus Orci
Huc veni, jussus monstrare, quod ipse paratus
Illi monstrabo, prout dat schola ducere nostra.
At dic, si nosti, quianam paullo ante tremore
Mons est concussus tanto, ut, quas alluit aequor,
Usque ad radices hic voce immugiat una?
Dux desiderii rimam, simul ista rogavit,
Vestigasse mei sic est mihi visus, ut unda
Facta minus defecta sitis contenta maneret
Spe tantum. Is coepit: Nil, quod non postulet ordo,
Sentit religio montis, vel non ferat usus.
Cuncta hic perpetuo novitatis nescia motu,
Libera volvuntur, nec quidquam accedere caussae
Hic aliud possit, praeter quam magnus Olympus
In se a se recipit. Quare non imber aquosus,
Non grando, non nix, non ros, non cana pruina
Plus fertur sursum, quam surgere scala det illa,
Triplice quae est finita gradu: nec nubila densa
Rarave, nec fulgur, nec picta coloribus Iris,
Quae solita est vestro sedem mutare sub axe,
Non siccus vapor ulterius, quam linea surgit
De gradibus suprema tribus, quos ante loquebar,
Cui vicibus fungens Petri super insidet ales.

Inferius modicum aut valde fortasse tremiscit;
At propter ventum, quem tellus ima recondit,
Nescio quo pacto, hic nunquam tremefacta remugit
Tellus. Hic tremor est, si quando aliqua eluit omnem
Labem anima, atque sibi quando evasisse videtur
Sic pura, ut surgat vel motu tendat in altum,
Mugitumque istum clamoremque ipsa secundat.
Munditiae testis monet istud sola voluntas,
Libertate fruens quae plena, quaerere certa
Diversas sedes, animam occupat et juvat ipsam,
Ut velit. Ante quidem haec vult; sed non exuit illam
Mentem, quam justus judex huic induit aeque,
Ut delinquere, ita et fugienti haud pendere poenas.
Sic mihi, qui jacui tanto moerore gravatus
Plus quam quingentos annos, modo nata voluntas
Libera persuasit melius conquirere limen.
Hinc exauditus tremor est, animaeque piorum
Undique per montem justas expendere laudes
Rerum illi domino, qui mox det scandere ad astra.
Sic ait; et quoniam quanto plus unda sititur,
Potanti tanto jucundius allevat aestum,
Dicere nescirem, quantum hoc me juverit in re.
At doctor sophus: Hic rursus jam retia disco,
Quae vos hic capiunt, quaque hinc elabier arte
Mos est, unde tremor, quid congaudere soletis.
Nunc te ne pigeat, qui sis, mihi dicere, quaque
Caussa isthic fueris jussus jacuisse tot annos,
Me tua verba tuum faciant. — Quo tempore mitis,
Incipit ille, Titus, supremo rege juvante,
Est ultus sacro manantes sanguine plagas,
Quem pretio est pactus Judas, ego nomine clarus,
Quod mage perdurat, majore et ditat honore,
Vixi illic, fidei sed nondum lumine claro.
Sic mihi respondit vocalis spiritus aurae
Dulce Tolosano, ut me Roma arcesserit, et mi

Tempora promerito haud dubitarit cingere myrto.
Gens illinc Statium quoque nunc me nomine dicit:
Cantavi Thebas et magni pectus Achillis;
Verum iter ingressus, me mole premente secunda,
Succubui. Fuerunt ardori semina nostro
Scintillae urentes sacra mea pectora flamma,
Quae mille et plures luce illustrasse ferenda est;
Dico opus Aeneidos, tenerae mihi matris ad instar
Quod fuit, et nutrix valde officiosa poetae;
Quo sine nil coepi, cui quidquam ponderis esset.
Et dum inter vestros potuissem vescier aura,
Virgilio cum vita fuit, non ipse recusem
Unum, ultra quam est par, solem producere poenam.
Verba sub ista meus convertit lumina vates
In me cum risu tacite dicente: Sileto!
At virtus, quae vult, non omnia posse putanda est.
Risus enim et fletus pulsantem corda secuti
Motum, ex quo quisque erumpit, minus ac minus illis
Sunt dociles, magis ingenue qui vera loquuntur.
Namque ego subrisi pariter, nictantis ad instar;
Quapropter subito vocem compescuit umbra,
Et mea respiciens quaesivit lumina, ubi alta
Cordis sensa magis lucent manifesta tuenti;
Atque inquit: Sic te tanto feliciter auso
Defunctum referas, tua cur sic ora notavit,
Qui nuper micuit, risus? — Nunc luctor utrimque:
Hic reticere jubet pars una, inde altera fari
Hortatur precibus. Tacite quem pectore duxi,
Sat dedit indicii gemitus. Jam fare, magister.
Et ne formides, ait; at loquere, illaque dices,
Quae tam sollicita adjurans hic voce rogavit.
Quare ego: Tu fortasse vetus miraberis umbra,
Quem non continui, risum; at majora stupentem
Te reddam. Iste, meos oculos qui ducit in altum,
Iste est Virgilius, quo tu ductore sonorus

Carmine grandiloquo cecinisti hominesque Deosque.
Et si forte putas, me aliam praetexere caussam
Risus, hanc mitte ut falsam, sed crede fuisse
Quae tu fatus eras de nostro magna poeta.
Jam se flectebat, plantam amplexurus utramque,
Ductorem ante meum; verum: Istud ne effice, frater!
Nam tu umbra es mecum, dixit, neuterque tenendus.
Ille inquit surgens: Nunc parcam dicere, quanto
Urar amore tui, qui nostrum oblitus inane,
Umbras tractabam, solido ut quae corpore constant.

XXII.

Jam post nos steterat coelestis nuncius ales
Angelus, ad sextum qui nos adverterat orbem,
Unius abradens ictus vestigia fronte;
Et qui justitiam esuriunt, dixere: *Beati,*
Ad nos voce sua et: *sitio,* non plura locuti.
Ast ego, plus quam alias per fauces, summa petebam
Jam levis usque adeo, ut dispendia nulla laboris
Passus, veloces sequerer sine corpore vates.
Tum sic Virgilius: Virtutis tactus honesta
Flamma amor, alterius tangit praecordia semper,
Dummodo is hanc prodat. Sic, ex quo tempore sedes
Infernas subiit nostrum Juvenalis in orbem,
Testatus crebro, qui te mihi junxit, amorem;
In te tale fuit studium mihi, tantaque cura,
Ut nulli ignoto quisquam devinctior esset,
Quam tibi deinde fui. Quare brevius mihi scalae
Hujus erit spatium. Sed dic, et qualis amicus
Parce mihi, fidenti animo si frena remitto,
Jamque ut amicitia junctus mihi fare vicissim:
Quomódo avaritiae sedem tua corda dedere?
Inter doctrinae vim tantam, quanta redundat
Cura parta tua? Statium verba ista parumper

Risu excusserunt; deinde illi talia contra
Is responsa dedit: Quae singula dicis, amoris
Dulcia signa mihi reputo. Persaepe videntur
Plurima, quae soleant dubitandi inducere falsas
Caussas, cum verae lateant. Quae prima rogasti,
Sat mihi declarant te errorem mentis in istum
Venisse, ut credas me arsisse cupidine habendi,
Dum mihi vita fuit; circlum fortassis ob illum,
Pronus ubi jacui. At discas volo, corde fuisse
Disjunctum nimis a nostro, qui congerere aurum
Hortatur furor. At ratio huic praepostera mille
Punita est menses, et ni mea cura putasset,
Quae tu in naturas hominum, quasi percitus ira,
Clamasti: *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames? misero in certamine et ipse
Versarer. Didici nimium me effundere posse
Luxuriante manu. Tunc hujus et ante malorum
Factorum me poenituit. Quot crine resurgent
Tonso, quos hujus lugenda inscitia morbi
Viventes, et ad usque extremae tempora vitae
Emittet, cura expertes studioque dolendi?
Et scito culpam, opposita quae fronte repellit
Directe culpam, simul hic siccare virendi
Virtutem huic. Quare si turbae immistus acervo
Flentis avaritiem jacui, dum crimina vitae
Abluerim, evenit, quia res contraria poenis
His me damnavit. — Verum cum tu arma canebas
Impia, nequitia gemina bacchante Iocastae,
Dixit, bucolico qui quondam carmine lusit,
Ex his, quae tecum tangit tua Musa, videris
Hic caruisse fide, sine qua benefacta sine ullo
Pondere spreta cadunt. Si res haec vera patescit,
Qui sol, quaeve faces tibi disjecere tenebras,
Tempore ut ex illo dederis tua vela secunda
Post piscatorem? Statius cui talia reddit:

Tu mihi Parnassi suasisti primus adire
Speluncam, et fontis puros haurire liquores,
Tuque Deum primus docuisti mente tueri,
Illius officio functus, qui nocte vagatur,
Qui fert pone facem, et se non juvat, attamen ipse
Lumine sat doctos ducit sua terga sequentes.
Magnus ab integro, cum dixti, *nascitur ordo*
Saeclorum, redeunt virgo et Saturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto.
Te propter cecini, vates, te propter eundem
Sum Christum amplexus. Verum ut manifestius ista
Cernas, quae informo, aggrediar conferre colores.
Vera fides, totum penitus quae impleverat orbem,
Sparsa ministrorum studio, quos summa potestas
Miserat, aeterni regni, et quae plurima fando
Tu prior attigeras, jam consonuisse novellae
Praeconum turbae vidi. Quare ilicet uti
Illis cura fuit, quorum sic integra visa est
Vita, ut, Christicolas calvo insectante Nerone,
Illorum fletus pariter mihi flebilis esset.
Hos ope, qua potui, dum mansit vita superstes,
Juvi. Horum mores recti justique tenaces
Suaserunt omnes alias mihi spernere sectas.
At Thebana priusquam agerem prope flumina Grajos
Cantando, ablutus sacrato a fonte redivi
Clam populo celans cultum formidine victus.
Meque diu exterius simulavi de grege coeco
Mendaces venerante Deos; atque ista tepentis
Mollities animi me quartum cingere adegit
Usque orbem cursu, plus quam per saecla quaterna.
Ergo qui tegmen, sub quo bona tanta latebant,
Quae dico, primus dempsisti, dum via longa
Scansuris nimium superest, dic: umbra Terenti,
Caecilii, Plauti, Varri qua in parte moratur?
Dic mihi, an aeternus, si scis, hos carcer in Orco

Damnet, quive orbis teneat. — Tum doctor ad ista:
Isti et ego pariter, nec non et Persius una,
Et plures alii cum Grajo incedimus illo,
Aonides quem prae reliquis lactasse feruntur.
Nos saepe in primo tenebrosi carceris orbe
Commemorare juvat montem, qui tempus in omne
Nutrices nostras propria secum allicit umbra.
Nobiscum Euripides, nobiscum it lusor amorum
Teius antiquus, Ceusque Agathoque poetae,
Atque alii, lauro queis vinxit Achaia frontem.
Hic de gente tua Antigonen est cernere, et una
Deiphilen, atque Argiam, Oedipodumque, sororem
Ismenen tristem ut quondam. Spectabilis adstat,
Langiae puras quae demonstraverat undas,
Nataque Tiresia, nec non Nereis aquosa,
Nec non Deidamia choro stipata sororum.
  Jamque duo vates dederant finem ore loquendi,
Intentis oculis simul omnia collustrantes,
Scandendi immunes ac nullo pariete clausi.
  Quatuor at famulae, quae solis jussa capessunt,
Restiterant, cum jam temonem quinta teneret,
Altius assurgens ardentis lumine cornu,
Cum ductor: Vertenda reor jam dextera terga
Ad spondam extremam et circum orbem montis eundum,
Ut mos est nobis. — Sic mos fuit indicis instar;
Suspectumque minus nos juvit carpere callem,
Assensum illa anima digni praebente poetae.
  Illi incedebant primi, quos pone sequebar
Solus; at illorum sermones aure bibebam,
Qui mihi Apollinea ditabant pectora messe.
  At cito colloquium jucundum abruperat arbor
In media comperta via, fragrantia odore
Poma gerens suavi, bene nata. Atque abietis instar,
Quae, quo plus tollit se, plus decrescere ramos
Fert sibi, non secus haec quo plus pertingit ad ima;

Ne quis conscendat, credo. Qua in parte negabat
Mons iter, ex alto vis multa cadebat aquarum
Lucentum scopulo, summas aspergine frondes
Adlambens. Plantae vates accessit uterque,
Et subito frondes inter sic insonuit vox
Clamans: Haec vobis venibit carius esca!
Deinde inquit: Major stimulavit cura Mariam,
Ut magis atque magis splenderet coena marita
Integra, quam ut proprio serviret largius ori,
Quo jam pro vobis orat. Quasque edidit aevum
Priscum Romanae, sitis aestum flumine puro
Contentae explebant. Daniel dum despicit escam,
Huic mentem largis ditat sapientia donis.
Non secus atque aurum prima aetas pulchra fuisse
Fertur, cum jejuna fames ex glande saporem
Ducebat gratum, et sitienti quilibet amnis
Nectar erat. Dederant Baptistae alimenta locustae
Mellaque. Propterea hunc ornavit gloria tanta,
Ut nemo hoc major nostra sit origine natus,
Quod patet ex libris, qui Christi oracula tradunt.

XXIII.

Per viridem frondem dum lumina fixa tenebam,
Qualis qui volucrem vestigans corpore parvam
Insumit vitam, qui aderat, plus quam pater, inquit:
Fili, jam molire viam, nam tempora jussa
Aequum est partiri melius. Non segnior ora,
Atque pedem verti stringens utrumque poetam,
Sic fantem, ut properans dispendia nulla laboris
Sentirem. Ecce autem singultibus interruptum
Carmen: *Labra mea, o Domine!* atque hoc voce sonoque,
Qui gratum simul et simul instillabat acerbum
Sensum. Care pater, coepi, quod venit ad aures,
Quidnam est? Isque mihi: Simulacra errantia circum,

Forsitan ut solvant, quae se debere fatentur.
Ut, qui haud expertes curarum per loca vadunt
Extera, sunt soliti, haud nota adventante caterva,
Qui, dum praetereunt, transversis quemque tuentur
Luminibus, nec stant; sic ad nos ocius illa
Adveniens abiensque animarum turba stupebat
Haud hiscens habituque pia. His cava lumina tetra,
Pallida erat facies, macie attenuataque tanta,
Ut cutis a rigidis desumeret arida formam
Ossibus. Haud credo tam extrema pelle minutum,
Cum magis urgeret victus penuria egentem,
Tabe ustum tanta traxisse Eresichthona corpus.
  Tum mecum haec reputans: En, quae devicta recessit
Gens, Solyma amissa, postquam sua viscera natum
Dente Maria avido, esurie superante, petivit.
Namque ubi erant oculis sedes, utrimque patebat
Forma annellorum, quos gemma reliquit inanes.
Utque hominum in vultu mutilata parte legendus
Esset *omo,* media apparebat litterae imago
Duodecimae. — Quisnam hoc credat, spirantis odorem
Adspectum pomi, rabie dum torquet edendi,
Labentemque undam (ignarus, quanam accidat arte)
Hos dare ita affectus? Stabam defixus in isto
Portento, quidnam in venis jejunia spargat
Talia. Namque hujus tabis, tristisque latebat
Squamae caussa mihi. En capitis quaedam umbra profunda
Ex cavea in me oculos vertit, totumque pererrat.
  Dein voce inclamat: Quae te mihi gratia reddit?
Nunquam istum exterius potuissem nosse tuendo;
At voce id patuit, quod deletum ille ferebat.
Hac face cognitio penitus mihi tota revixit
Mutati adspectus, agnovique ora Foresis.
  Parce, ah parce tuam dubitando obtundere mentem,
Quod scabies pellis mihi turpat adusta colorem,
Et mihi deficiunt artus; at vera fatere

De te, dicebat. Da, quaeso, discere, quae sint
Illae animae geminae, comitesque ducesque viarum:
Ne taceas. Tua mi facies expresserat olim,
Pallida morte tua, lacrimas, modo fundere fletus
Non minus hortatur; sic te dat torta videndum.
Quare per Superos oro, quid dissecet artus
Sic tibi, tu narra; ulterius neque coge profari
Attonitum, nam me male respondere paratum
Efficiunt aliae curae, quae corde redundant.
  Isque mihi: Aeterna virtus ex mente cadenti
Se insinuat lymphae et plantae post terga relictae,
Per quam sic tenuor. Quam cernis, tota caterva,
Quae canit illacrimans, quoniam sine more voraci
Indulgere gulae studuit venata sapores,
Usta fame atque siti hic iterum fit tempore sancta.
Dulcis odor pomi, simul et labentis aquai
Splendor, qui rorat virides adspergine frondes,
Potandi ardorem rabiemque incendit edendi.
Nec tantum semel emenso renovatur in orbe
Poena; ego dicebam poenam, at foret ista vocanda
Solamen nobis; nam nos trahit ista cupido
Ad lignum, quo ductus erat, qui diceret *Eli*
Vultu alacri, Christus, cum prodiga vena cruoris
Persolvit pretium atque hominum genus omne redemit.
  Huic ego tum dixi: Quo ex tempore vita, Foresis,
In melius conversa tua est, mundumque reliquit,
Tempus ad usque istud nondum sol quinque reduxit
Annos. At tibi si peccandi copia finem
Ante habuit, fausti quam accesserit hora doloris,
Quis dat posse Deum complecti rursus amicum?
Quomodo tam subito potuisti adscendere ad istum
Orbem? Nam rebar multo inferiora tenentem
Me te offensurum, atque ubi tempore tempora pensant.
  Isque mihi: Tam mox absynthia dulcia poenae
Potatum adduxit lacrimis mea Nella profusis

Absque modo, precibusque suis suspiria miscens
Carcere me abstraxit, qui absumit tarda manentes
Tempora, nec reliquos passa est me tangere flexus.
Haec peramata mihi, nunc me viduata puella
Tanto plus est cara Deo dilectaque, quanto
Plus sola est, sanctos quae praeferat integra mores.
Nam quae Sardois Barbajae in montibus exstant,
Plus in femineo sexu sese esse pudicas
Ostendunt, quam nunc Barbajae, ubi nostra relicta est.
Quid dicam, o dulcis frater? Procul hora futura
Non est, cum ex cathedris templi interdicta tonabunt,
Queis Florentinae perfricta fronte puellae
Pectora cum mammis nuda ostentare vetentur.
Quaenam Barbarico aut Pangaeo in littore nata,
Ut corpus tegeret, monitis cogenda minisque
Censurae fuerit? Si oblitae frena pudoris
Certe compererint, quid velox cogitet ipsis
Funesti coelum, jam ululatibus ora paterent.
Quod si mens praesaga mihi haud hic falsa volutat,
Tristities aegras absumet dira, priusquam
Induat ora pilis, somnum a solamine cantus
Qui capit in cunis. Sed nunc, oro, effice, frater,
Ne me suspensum teneas; da discere, qui sis;
Adspice, non modo ego, sed gens haec omnis in uno
Defixa obtutu est, ubi solis lumina velas
Unus. — Ego contra: Memori si mente putabis,
Quis fueris mecum, quo tecum cognitus usu
Ipse tibi fuerim, in praesens meminisse pigebit
Nunc quoque. Me nuper victu deduxit ab illo,
Qui me praecedit, cum vobis visa rotunda est
Illius soror, atque altum digito indice solem
Monstravi. Hic noctis per lurida regna profundae,
Perque animas vera defunctas morte reduxit
Corpore me hoc vero constantem, istumque secutum.
Hic me consiliis scandentem hujusque meantem

Circum orbes montis, qui passu incedere recto
Vos docet insani male tortos turbine mundi,
Traxit, et is comitem spondet mihi se esse futurum,
Donec deveniam loca, ubi invenienda Beatrix
Est mihi: et hic isto comite et doctore carendum est.
Atque is, qui mecum promissis utitur istis
Hic, est Virgilius, libuitque ostendere turbae
Virgilium; sed quae nos propter obambulat umbra,
Illa eadem est, per quam tremefacta remugiit omnis
Regni hujus rupes, quae illam sua jussit habere.

XXIV.

Nec pes sermonem, nec lentius ire jubebat
Sermo pedem; sed nos fantes properare vicissim,
Ut vento ratis acta bono. Et quae functa secunda
Morte videbantur simulacra carentia succo,
Per caveas cujusque oculi traxere stuporem,
Ut sensere, auras me ducere corpore vivo.
Atque ego sermonem insistens: Haec serius, inquam,
Forsitan alterius caussa conscendit Olympum.
At dic, si notum est, ubinam Piccarda moratur?
Dic, num quem videam, quem dignum rere notatu?
Isque: Soror mea, quae sita erat pulchram inter et inter
Sanctam, ut nescirem, qua primum hanc laude notarem,
Laeta inter Superos serto jam cincta triumphat.
Talia voce prius reddit; dein: Nemo vetatur
Nomine quemque suo, quoniam jejunia vultus
Emuncti macie jam delevere figuram,
Signare. Hic (digitum et tendit) Bonajuncta vocatur
Luccensis. Sed quae reliquis magis arida pallet,
Illius est facies, cui sancta ecclesia quondam
Sponsa fuit, quique est retro: Fuit ille Turonis,
Anguillas qui Volsinienses purgat in albo
Exstinctas vino; ventrem modo luget inanem.

Et multos alios ostendit, nomine quemque
Appellans proprio, non dedignantibus illis,
Sic ut me obscuro nemo signaverit actu.
Vidi Ubaldinum Pilensem dentibus aspris
Incassum utentem, superante cupidine edendi;
Et te, Bonifaci, quem multae examina gentis
Narrabant pavisse pedo; et te, Marchio, vidi,
Cui quondam urbs Livi spatium indulsisse bibendi
Fauce minus sicca fertur, licet aridus esses
Usque adeo, ut nunquam vino satiatus abires.
Utque aliis qui alium praefert, sic nostra morata est
Mens in Luccensi solo, quem nosse putabam
Me melius; sed nescio, quid secum ille fremebat:
Audieramque illic Gentucam, ubi vulnus inhaesit
Ultoris, quod sic miseros depascitur artus.
  O anima, huic dixi, quae tam studiosa videris
Colloquii nostri, fac, quaeso, ut plenius aure
Dicta tua accipiam, teque exple meque loquendo.
  Femina jam nata est, atque haec velamine nondum
Utitur, ille infit, per quam tibi dulce manere
Urbe erit in nostra, hanc plures utcunque reprendant.
Perges id monitus: si, quem misi ore, susurrus
Attulit errorem, id pariter te vera docebunt.
Sed dic, num videam hic illum, qui carmina primum
Intulerit nova, et altisono sic incipit ore:
O, quae, quid sit amor, sentitis mente, puellae.
  Ille ego sum, dixi, qui, quod vis spirat amoris,
Signo, et quo ille modo sensus in pectore dictat,
Saepius hoc scribo. O frater, nunc cernere nodum
Fas est, qui scribam, Guittonem, meque repressit.
Nunc didici, cur vos dictantem pone secuti,
Stringitis hunc vestris pennis, nec contigit unquam
Ausis id nostris. Et qui mage finibus illis
Prosilit, ut placeat, quam longe differat unus
Atque alius stylus, ille minus vidisse putatur.

Haec quasi contentus factoque hic fine quievit.
Ut genus alituum propter Nili ora sonantis
Hibernans, sese interdum simul agmine stipat,
Deinde magis propere nubes longo ordine tranat:
Sic, quae gens aderat, verso properantius ibat
In me ore, ob maciem studiumque levissima cursu.
Utque vir a multo successu lassus, abire
Fert patiens comites, jam lentis passibus usus,
Donec se effundat pectus quatientis anhelum
Vis follis: sic est passus transire Foreses
Sanctum agmen; verum ille retro post terga secutus:
Quando erit, ut rursus mecum tua sensa loquentem
Te videam, ajebat? — Scitanti ego talia contra:
Quid mihi adhuc superet vitae, haud est scire potestas;
Sed mihi tam cito non fuerit loca in ista reverti,
Quin prius ad ripas me adducat justa cupido.
Nam magis inque dies, quam sum sortitus habendam
Pro patria, tellus se quavis dote bonorum
Nudat, et excidium sibi triste parare videtur.
Nunc i, respondit; namque ausum plura nefanda,
Et magis infamem mihi cauda est cernere equina
Raptatum ad valles, ubi non est copia culpae
Unquam delendae; nam quo plus bellua passus
Ingeminat, tanto velocius incita fertur,
Donec eum caedit corpusque exsangue relinquit
Disruptum foede. Non multis orbibus illa
Volventur (vultumque oculosque ad sidera vertit),
Cum manifesta tibi venient, quae plurima fari
Nunc vetor. At maneas; nam magno hic tempora constant,
Quaec nimis insumo, dum sic simul ire cupido est.
Qualis eques socios equitantes praepete cursu
Praevertit, primumque petit, stimulo actus honoris,
Certamen: talis multo majoribus ille
Saltibus excessit. Sic inter utrumque poetam,
Quos tota eximios suspexit terra magistros,

Jam super unus eram. Ast ubi nostra evaserat ante
Ora ita, ut hunc oculi possent captare sequaces,
Ut mens verba prius, gravidos cum cernere visus
Alterius pomi ramos, plenosque vigoris
Quae non longe aberat, nam tunc modo temporis illuc
Lumina transtuleram. Prospexi utrasque sub ipsa
Tollentem palmas populum, cupido ore frementem
Nescio quid frondes adversus, more modoque
Infantum desiderio luctantium inani,
Qui rogitant, et queis non dat responsa rogatus,
Quoque magis stimulis inhiantes pungat acutis,
Alte suspensum certat retinere, quod optant,
Nec tamen abscondit. Dein tota caterva recessit,
Ut quae falsa animi est; et nos devenimus illam
Sub plantam, quae tot lacrimasque precesque refutat.
Ferte gradum ulterius, neve isti accedite plantae;
Lignum est hinc supra, quod dentibus Eva momordit,
Haec illa sata planta fuit. Sic nescio, quiddam
Insonuit frondes inter. Quare agmine juncto
Virgilius Statiusque et ego discessimus inde,
Radentes latus ad coelum se vertice tollens.
Volvite quisque animo devotae robora pubis
Prognatae nebula, quae vino expleta epulisque
Pectoribus geminis, dicebat, Thesea duro
Bello oppugnarunt; et Judae sanguine cretos
Tam molle ad potum fassos se pectus habere,
Quare istis Gedeon non est comitantibus usus,
Collibus ex Midian cum se conjecit in hostes.
Sic praetergressi ex geminis nos legimus unam
Oram, et multa gulae venerunt crimina ad aures,
Queis miserum accessit lucrum. Dein calle potiti
Et lato et solo nos plus quam mille vagati
Passus defixis animis contendimus ultra
Muti omnes. — Quid vos curarum, o pectora trina,
Sic versat? subito necopinus venit ad aures

Hic sonitus. Quare, ceu bellua territa et excors,
Excutior tolloque caput, cum cernere averem
Haec fantem; et nunquam vidi igne rubescere tanto
Seu liquidum vitrum, sive in fornacibus aera,
Ut quendam adspexi dicentem: Scandite in altum,
Si vos fert animus, nam opus est huc flectere gressum;
Hac iter est illis, qui exoptant pace potiri.
Illius adspectus mihi ademit lumina visus;
Quare doctores respexi, ut qui pede vocem
Demonstrantis iter sequitur; qualisque, propinqui
Nuncia Luciferi, sub Maji tempora spirans
Tota halat praegnans herbis et floribus aura;
Tali percussam venti mihi flamine frontem
In medio sensi, et jactatae verbere plumae,
Quae simul ambrosiae jucundum afflavit odorem;
Atque hausi has voces: O terque quaterque beati,
Gratia queis tantum dat luminis, ut malus ardor
Suavia captandi, haud nimia hos fuligine laedat,
Esuriem justo semper moderamine passos.

XXV.

Hora minus patiens depygem tendere in altum
Adscensu, instabat; medii namque orbe diei
Confecto, hunc Tauro atque Nepae sol cesserat umbras.
Quare ceu vir, qui indocilis consistere cursum
Insistit, quaecumque sibi res obvia fiat,
Si quid eum stimulo pungat; sic ostium inimus,
Prendimus et scalam praeeuntis terga premendo;
Nam nimis arcta vetat pariter conscendere binos.
Qualis, ubi pastum est egressa ciconia, pullus
Alas attollit, studio stimulante volandi,
Linquere sed nidum haud ausus, dimittit utrasque:
Talis ego accensam simul exstinctamque rogandi
Gestabam curam, quae nutum erumpit in illum,

Quem primum prodit, qui nititur ore profari.
At quamquam celeri peteret scalae ardua passu,
Haud pater ille meus dulcis cessavit et infit:
Solve arcum fandi, adductum curvamine ad usque
Ferreum utrimque caput. Tunc tuto labra resolvens
Coepi: Qui possit quisquam macrescere, ubi esca
Membra alere haud opus est? — Memori si mente volutas,
Ut quondam Aenides, consumpto stipite, et ipse
Consumptus fuerit, non te sic acriter, inquit,
Haec res afficeret. Tum si tecum ipse putabis,
Ut motum ad vestrum motu respondet eodem
Vestra quoque in speculo effigies, tibi molle videbis,
Quod visum est durum. Sed si fert ista cupido
Hac magis inspecta penitus requiescere caussa,
Ecce tibi Statius, quem posco voce precorque,
Sanabit plagas. — Si te praesente resolvo
Huic nodum, aeterni quem nectit judicis ira,
Respondit Statius, fassus me posse negare
Nil tibi, deposcam veniam. Dein talibus infit:
Si quae verba loquor, fili, tu mente volutas
Ac recipis, caussam quaerenti lumina praebent.
Sanguis perfectus, bibulae quem haurire recusant
Venae, quique manet, patinis velut esca remotis,
Imo in corde sibi vim sumit, quae omnia membra
Humana informat, ceu qui se effundit inanes
Sanguis per venas, ut sese vertat in illa.
Dein digestus abit, quo non est dicere honeste,
Atque hic deinde gemit, se alieno sanguine miscens,
In vas injectus, natura quod indidit ante.
Atque ibi sanguis uterque coit, facere iste paratus,
Iste pati, loca sortitus perfecta receptus,
Unde simul premitur. Sic junctus viribus uti
Incipit, in primis se cogens, idque vigore
Firmat, cui propria dederat coalescere primum
Materia, atque anima evadit, quae proditur actu

Virtus, qualis inest plantae, nisi planta teneret
Jam ripam, illa novos properaret tangere portus.
Dein sic intus agit, motus ut jam explicet, et jam
Expediat sensum, ceu spongia in aequore vivax.
Atque hic aggreditur componere dispositur as,
Quas poscunt tali prognatae semine vires.
Se modo dilatat, modo flectit vivida virtus,
O fili, ipsius manans ex corde genentis,
Ars ubi naturae cunctos se intendit in artus.
At qua qui est animans, mox fiat farier aptus,
Nondum cognoscis. Tantis est septa tenebris
Haec via, ut a vero jam longe abduxerit illum,
Qui tibi doctrina mente et praestabat acuta;
Namque anima docuit sejunctam adsistere mentem,
In qua consilium est, quia nullam in corpore sedem
Huic uni propriam vidit. Nunc pectore aperto
Fac verum accipias, quod prodo in luminis oras.
Nam simulac foetus coepit gaudere cerebro
Perfecto, hunc primus laetanti suspicit ore,
Artis opus tantae motor miratus, et aurae
Ipse novum flamen spirat virtute repletum,
Quod, quidquid vires valet exercere per artus,
Attrahit in sese, ac totum sibi jungit in unum.
Hinc simplex anima exsurgit, quae praedita vita,
Et sensu pollens, in se sese ipsa reflectit.
Quoque minus tecum me sic mirere locutum,
Adspice, ut in vinum mutetur, sole colorem
Praebente, huic junctus, qui manat vitibus, humor.
Et simulac Lachesis devolvit vellera fuso,
Carnis se solvit vinclis, et quidquid habebat
Immortalis et humani, virtute sua stans
Fert secum: ex reliquis quaecumque est muta facultas
Insita, qua meminisse valet, qua judicat et vult,
Acrior evadit, quam si esset corpore vincta.
Nec mora; praecipitans, mirum! per se incidit orae

Alterutri. Hic primum cognoscit trita viarum,
Quas tenuit quondam, simulatque in sedibus illis
Circumscripta fuit, talisque et quanta per artus
Serpebat vivos virtus formare parata,
Praeradiat circum. Ac veluti praenubilus aër
Alterius radiis, quos ipse repercutit, ictus,
Ostendit varios adverso sole colores:
Sic prope qui aër adest, formam sibi sumit eandem,
Quam sedes sortita suas anima imprimit illi
Vi propria, ut stetit. Ac veluti ignis consequa flamma
Forma novella animum sequitur, quocumque vagatur.
Et quoniam ex illa trahit informata figuram,
Umbra solet dici. Atque hinc, queis erat ante potita,
Disponit sensus omnes ad lumina visus.
Hinc vox elicitur, lacrimae, suspiria, risus,
Quaeque audire fuit montis tibi septa petenti.
Ut desiderio tabescit quisque, vel illa
Aut alia cura, vultum sic induit umbra;
Atque haec est, tantum quae affert tibi caussa stuporis.
Jamque ubi torquendos postremus distinet orbis,
Ventum erat. Ad dextram nos versi intendere mentem
In curas alias. Hic ejaculata favillas
It ripa in flammas, flatumque extrema corona
Altius exspirans, procul a se tela repellit
Ignis et amandat. Quare singlariter uni
Cuique legenda fuit reclusi marginis ora.
At mihi utrimque metus: A flamma hinc, inde propinquo
A lapsu. — Hic opus est oculos compescere duro
Freno, dux inquit; nam te res tantula posset
Trudere in errorem. Medio vastissimi in aestu
Incendi audivi carmen, quo summa parentis
Poscitur aeterni clementia, ut impetus ingens
Me minus efficeret metuentem vertere visum.
Adspexique animas illic flammam inter euntes,
Quare illas passusque meos speculatus. utramque

Alternis aciem nunc huc, nunc dividere illuc
Curabam. — Ast hymni jam tota lege peracta,
Vox effata *Virum non cognosco* impulit aures;
Deinde hymni numeros iterum absolvere remisse,
Cujus sub finem clamavit tota caterva:
Phoebe iniit cursu silvas, Helicenque removit,
Quae virus passa est Veneris. Dein corpore castos
Clamavere viros matresque, ut jura marita
Poscunt. Idque sat esse illis puto tempus in omne,
Quo flamma uruntur: curam hanc, haec pabula poscit
Vulnus, ut huic tandem claudantur hiantia labra.

XXVI.

Alter post unum dum sic per marginis oram
Ibamus, caveas, mihi dulcis saepe magister
Dicebat; studiosa juvet te cura monentis.
Sol mihi dextrum humerum feriebat lumine et omnem
Occasum clarans mutabat coerula coeli
Candidus; et mage candentes ego corporis umbra
Fingebam flammas; atque hic quoque millia vidi
Umbrarum, indicium tantum quae mente notabant.
Atque haec caussa fuit, cur coepit quisque rogare,
Quis sim, atque alternis: Non iste est, dicere, corpus
Fictum. Dein propius, prout est data copia, versi,
Usque magis certam sunt rem cognoscere adorti,
Deseruisse locum veriti, quem possidet ignis.
O tu, qui extremus, non quod pigra membra retardant,
Incedis, sed quod te fors reverentia vincit,
Da mihi responsum flammisque sitique perusto,
Nec mihi duntaxat; namque id sitit ista caterva,
Plus quam Indi, Aethiopesque algentis munera rivi.
Dic nobis, quae caussa subest, cur parietis instar
Solem defendis, veluti si in retia mortis
Nondum etiam intrasses? — Quaedam sic umbra locuta est;

Et dicturus eram, quis sim, nisi visa repente
Res alia ac necopina sua novitate stupentem
Me defixisset. Medio nam in calle vomente
Flammas, huic genti gens obvia fronte ruebat,
Quae me suspensum tenuit. Video undique quamque
Umbram ibi festine venienti occurrere et unam-
Quamque sibi alternis partirier oscula raptim,
Nec remanere, brevi contentam pignore amoris.
Non aliter nigrum in campis formica per agmen
Os ori alterius jungit, cum forte cupido
Fert iter et casus comitum novisse suarum.

Et simulac visum est congressum solvere amicum,
Ante prior passus quam illac transmittat euntes,
Singula quaeque novam per se superare laborat
Gentem, clamando elate Sodomam atque Gomorram;
Et nova gens contra clamabat pectore toto:
Pasiphaë vaccam ingressa est, ut taurus in iram
Lascivae irrueret. Dein pennis alta secantum
More gruum, dum pars montes petit una Riphaeos,
Altera arenosas terras, ea frigus, et ista
Effugiens solem; pergit gens altera, adestque
Altera; deinde iterum in lacrimas cantusque priores
Ibat clamoresque, prout plus quamque decebat.

Deinde mihi accessere iterum, velut ante, rogantes
Quae prius adstiterant, intentaeque ora tenebant.

Tum qui bis vidi studium, quod gratius esset,
Sic coepi: O animae secura pace potiri,
Adveniente die, certae; nec acerba, nec aevo
Plena remanserunt illic mea membra, sed ipse
Mecum haec portavi cum sanguine et ossibus isthuc.
Hinc ego conscendo, ne coecus me implicet error
Praeterea. Mulier superis in sedibus adstat,
Hanc mihi quae exorat veniam, et mortale per orbem
Ipse fero vestrum. Sed major vestra cupido
Sic fiat saturata cito, ut domus hospita coelum

Sit vobis, ubi abundat amor, multoque patescit
Amplius huic spatium, qui sitis, dicite, ut ultra
Progrediar scriptis; et quaenam est illa caterva,
Quae sic post vestrum fertur pede praepete tergum?
  Non aliter montanus homo stupet inscius ore
Turbato mutusque haeret spectaculo, ubi urbem
Et rudis et ferus ingreditur, quam quaelibet umbra
Portento excussa est. Sed postquam exempta stuporis
Sarcina, qui subito generoso in corde virorum
Intepet: O te, inquit, felicem, quae umbra rogarat
Me prior, ex nostro quae exportas littore vitae
Notitiam, ut vivas melius. Vestigia nostra
Quae gens non sequitur, malefacto offendit in illo,
Per quod se audivit reginam a plebe vocari
Caesar, in opprobrium, curru victore triumphans.
Quare clamantes Sodomam dant terga citato
Cursu, quodque audire fuit, sibi quisque fatendo
Exprobrat, atque rubore suo flammam adjuvat ignis.
  Semina sunt labis nostrae ex capite Hermaphroditi
Orta; ast humanae quod nos praepostera legi
Praetulimus, nostrum sectantes more ferino
Ingenium, legitur nobis abeuntibus in nos
Illius nomen, quo infamia nostra notatur,
Bellua quae inventa est referentibus ora juvencae
In textis. — Nunc scis, quae nobis acta fuerunt,
Et quae noxa egit sontes. Si forte requiras,
Qui simus, nomenque simul cujusque reposcis,
Non vacat id fari, nec scirem. Ast ista cupido
Per me manca tibi fiet. Nam nomine Guidus
Guinicellus ego dicor, jamque abluo sordes,
Quod prius indolui, potius quam extrema manerem.
  Quales, tristitia orbatum exagitante Lycurgum,
Prosiluere duo visa genetrice gemelli:
Talis ego, at tantum non ausim, nomine nostri
Audito patris et reliquorum, quos tulit aetas

Eximios vates, qui dulci carmine amores
Tam culti cecinere suos. Ego mutus, et absque
Auditus sensu steteram defixus in isto
Uno haesique diu pendens, nec, cautus ab igne,
Accessi propius. Postquam saturata videndo
Nostra acies fuerat, quae vellet, cuncta spopondi
Haec me facturum, confirmans plurima verbis,
Cuique animo factura fidem. — At sic incipit ille:
Ut didici auditu, post te vestigia linquis
Talia et usque adeo clara, ut nec flumina Lethes
Haec abolere queant, aut offuscare nigrore.
At tua si verum juravit fida loquela,
Dic mihi, cur tua dicta oculique et gestus amorem
In me praeportant tantum? — Huic ego talia contra:
Dulcia, quae quondam cecinisti, carmina, quaeque
Tam sunt duratura diu, quam lege recenti
Musa diu utetur, pretiosa et cara futuris
Scripta tua efficient. O frater, quem tibi monstro,
(Et digito prae se stantem mi ostenderat umbram)
Maternae fuit hic linguae faber optimus, inquit.
Praestitit hic cunctis, teneros seu lusit amores,
Tradidit aut scriptis romantica lege solutis;
Et sine sponte loqui stultos, qui anteire putarunt
LEMOVICANUM. Mos est his tollere vultum
Plus ad rumorem, quam mente expendere verum;
Sic prius obfirmant animum, quam audire laborent,
Quid ratio quidve ars poscant. Sic multa vetusto
Ex aevo stupuit GUITTONEM turba, secuta
Vulgata, inque diem crescentia murmura famae,
Illum laudando; verum certamine in isto
Plures de nostris illum ostendere minorem.
Quod si tanta patet privo tibi gratia, ut intres
Claustrum, ubi Christus adest collegi maximus abbas,
Dic *Pater,* huic, *noster* pro me, quoad indiget usus
Pro nobis mundo hoc in nostro, qui abstulit omne

Peccandi arbitrium nobis. Dein, forte daturus
Ipse locum adstanti, per flammae incendia fugit,
Assimilis pisci per aquas fundi ima petenti.
Paulum ego monstrato accessi, me discere aventem
Illius nomen testatus corde parasse
Huic gratam in nostro sedem. — Tunc liber ita infit:
Tam mihi dulce venit, quod comi voce rogasti,
Ut neque ego possim, nec sit celare voluntas,
Quod petis. Arnaldus dicor, qui ploro modisque
Cantito flebilibus, simulatque ego mente recordor,
Quo me praeteritae duxit dementia vitae.
Jamque dies mihi tam sperata videtur adesse.
Nunc per virtutem te oro, quae scandere scalas
Dat tibi supremas, ut fausto tempore nostri
Sis memor angoris. Dein purum se abdit in ignem.

XXVII.

Ut cum prima vibrat radiorum spicula in urbem,
Auctor ubi suus effudit cum sanguine vitam,
Altius invectum sub Librae sidus Ibero
Labente, atque horam sub sextam rursus adustis
Undis in Gangem: haud aliter sol stabat eratque
Ultima pars lucis, laeto cum se obtulit ore
Angelus. Extra ignis flammas ripam ipse tenebat,
Et majore sono, quam hominis vox viva tulisset,
Cantabat: *Mundo qui incedunt corde, beatos!*
Exinde: O animae sanctae, nisi mordeat aestu
Flamma prius, non est ultra contendere gressu;
Intrate hanc, nec sint aures ad carmina surdae
Inde emissa loci. — Sic cum prope venimus, inquit;
Quare, his auditis, tali sub imagine factus
Restiteram, quale est post funera corpus humandum.
Et stratus digitis intra se pectine junctis,
Inspexi ardores, revocans, quae corpora quondam

Viva hominum vidi flamma crepitante cremari.
Ductores versi me respexere benigne,
Virgiliusque inquit: Dolor hic fortasse subesse,
O fili, queat, at non qui det corpora leto.
Id memora, id memora. Et si te salvum ipse reduxi
Geryoni impositum, queis pro te viribus utar,
Jam propiore Deo? Maneat tibi mente reposta
Haec non vana fides, medio si tu ignis in alvo
Mille annos jaceas, hunc non tibi posse capillum
Depraedari ullum. Quod si tu forte putabis
Me dare verba tibi, mox te objice, et ipsa periclum
Dextera veste tua faciat. Jam pone timorem,
Atque metus omnes; ades huc, accedito tutus.
Ast ego et obfirmare animum atque insistere contra
Mentis consilium auctori parere jubentis.
Ut me proposito haerentem atque obsistere certum
Vidit, turbatus paulum: Nunc adspice, fili;
Teque Beatricemque inter jam ponitur, inquit,
Hic paries. Veluti clausurus lumina morte,
Ad nomen Thisbes ea sustulit oraque amantis
Pyramus extremum adspexit, cum mora cruentas
Induerant maculas: sic, quae mihi pectora primum
Duruerant, mihi tum subito mitescere sensi;
Nomine et audito, quod mi usque renascitur intus,
Quaesivi cupide sapientem corde magistrum.
Ille caput quassans: Quid nobis? Ergone standum
Hic erit? Et post haec risit, quod saepe puello
Fit balbo, pomi qui victus imagine cedit.
Inque ignes medios prae me se immisit et ipsum
Oravit Statium, legeret vestigia retro,
Qui primum longo se abduxerat intervallo.
Ut flammam intravi, me saltu in stagna dedissem
Ferventis vitri, ut mihi membra perusta levarem;
Usque adeo sine more atrox ea flamma furebat.
At pater ille mihi dulcis lenire dolorem

Solando cupiens, vario sermone serebat
Multa Beatricem memorans. sic ore locutus:
Hujus jam videor faciem mihi cernere. — Nobis
Pro duce vox aderat, quae ultra nos missa canebat.
Nos huic intenti partem devenimus illam,
Unde erat adscensus. *Patris o dilecta, venite,*
Pectora fida mei, vox ex ardente micantis
Luminis insonuit centro, quod luce replebat
Tanta illas oras, acies ut nostra requirat
Illum victa pati, nec erat spectare potestas.
Sol abit, ajebat, veniuntque crepuscula noctis;
Ne state, at passus cursu celerate citato,
Donec vesper adhuc minus atras induit umbras.
Recte adscendebat per saxi concava callis,
Tramite sic vergens, ut jam mihi lumina solis
Prae me interciperem, quae languida facta cadebant;
Atque gradus paucos fuerat superare facultas,
Cum solis cubitum ex illa, quae evanuit, umbra
Sensimus a tergo. Atque prius quam, qui patet ingens
Orbis finitor, per cunctas undique partes
Unam vestiret formam, et sua cuncta teneret
Nox sibi, quisque gradum pro lecto presserat unum.
Sic dantes ultra nobis contendere vires,
Plus quam solamen, montis natura refregit.
Ut grex caprarum, qui praeceps atque protervus
Per saxa impastus, per culmina summa ruebat,
Fit mansus folia, atque esas dum ruminat herbas,
Quem prope pastoris custodia fida bacillo
Stat nixa, inque illis tota est; et more modoque
Upilionis oves juxta dare membra quieti
Sub dio soliti, qui longas ducere noctes
Sustinet evigilans, fera ne disperdat ovile:
Tales tunc pariter fuimus nos copia triplex,
Instar ego caprae, similes pastoribus illi,
Praecincti hinc atque inde specu. Hic extraria coeli

Se dare lustranti poterat pars parva videndam:
At parva ex illa spectabam sidera parte
Clara magis solito, majore ac praedita forma.
  Haec ego dum miror mecumque haec mente voluto,
Me cepit somnus, somnus res saepe novellas
Ante diem discens. — Quo primum tempore, credo,
Ortum praecurrens montem radiaverit illum
Clara Venus, flammas praeportans semper amoris,
Mi praestans mulier forma integraque juventa
Visa est sopito per campos ire patentes,
Decerpens flores haec ore locuta canoro:
Nomine quo dicar, si quis fortasse requirat,
Me sciat esse Leam et manibus non parcere pulchris
Errantem circum, ut serto mea tempora cingam.
Dum speculo referente meam mirata figuram
Ipsa isti placeam, hic me ornatus cura moratur;
At germana mihi nullo unquam tempore Rachel
Fixa suo speculo declinat lumina, et haeret
Sede dies totos. Cupit haec sua lumina pulchra
Adspicere, ut me sollicitam fert cura parandi
Ornamenta manu. Huic speculandi, mi ardor agendi.
Et jam per lumen subfuscum, signa diei
Praeportans, tanto peregrinis gratius omen,
Quanto illos brevior patrias via ducet ad oras,
Undique depulsa fugiebant nocte tenebrae,
Atque simul somnus. Quare tunc membra levavi,
Et magnos vidi consurrexisse magistros.
  Dulce illud pomum, per tot quod quaerere ramos
Ingenti certant mortalia pectora cura,
Omnem hodie esuriem plena tibi pace domabit.
Talia Minciades; et nunquam tanta fuere
Munera strenarum, quae sic mihi grata venirent.
Visque voluntati tanta est super addita summum
Scandere suadenti montem, ut, quocumque moverem
Passus, sentirem pedibus succrescere pennas.

Postquam suppositae percurrimus ardua scalae,
Supremumque gradum attigimus, sua lumina fixit
In me Virgilius fuditque has pectore voces:
Arsura aeternum atque habitura incendia finem
Vidisti, o fili, atque aditum loca in illa tulisti,
In quibus haud licet ulterius mihi cernere quidquam.
Huc usque ingenio te traxi fretus et arte;
Nunc tibi pro duce sit, sit pro ductore voluptas;
Ardua vicisti, vicisti obscura viarum.
Cerne illic solem in media tibi fronte micantem,
Graminaque et flores, frondosasque adspice plantas,
Quas fert sponte sua nullo terra ista colente.
Dum pulchro advenient oculi fulgore nitentes
Laetifici, ob lacrimas quorum te jussus adivi,
Jam cessare potes, perque illa vireta vagari;
Nec mea tu dicta ulterius nutusque manebis.
Incolumi arbitrio, recta sanaque potitus
Libertate, vales, gravis et te falleret error,
Si te ex arbitrio prohiberet ducere vitam;
Nam tete supra cingo sertoque mitraque.

XXVIII.

Jam cupidus lustrare intus circaque recessus
Divini nemoris densos vivosque, novelli
Frangentes oculis fulgentia tela diei;
Haud mora, deserui ripam, campumque patentem
Exiguo ingressus passu, per lene ferebar
Lente iter ambrosios exspirans undique odores.
Dulce strepens, ulla mutari nescia caussa,
Aura mihi frontem majore haud flaminis ictu
Tangebat, quam si afflaret vis blanda Favoni;
Quam propter tremulae ac dociles levitate secunda,
Quotquot erant, parili nutabant ordine frondes,

In partem versae, quam contra projicit umbram
Mons sanctus primam; haud tamen hae vertigine sparsae
Sic, ut desinerent fastigia summa tenentes
Arte sua volucres uti, solitosque ciere
Cantus; quae pleno fundentes gaudia corde,
Excipere omnigenis certabant cantibus horas
Primas sub foliis, quae edebant consona murmur,
Quale audire melos facile est prope littora Classis
Conflatum hinc inde in ramis pineta per alta,
Auster ubi Aeolio lenis se carcere solvit.
  Jamque per antiquae intuleram me devia silvae,
Tarde progrediens adeo, ut jam scire nequirem,
Qua veni, cum me vetuit procedere rivus,
Ad laevam modicis inflectens gramina lymphis
In ripas egressa suas. Pellucida quaevis
Fontibus ex nostris aliquid concludere misti
Unda videretur prae illa, quae illimis in imo
Nil celat fundo; quamvis subfusca sub umbra
Perpetua excurrat, quae Solis lumina nunquam
Nec Lunae patitur nemoris per ocapa vagari.
  Adductis pedibusque oculisque ego fluminis alveum
Transsilui parvum, visurus laeta vireta
Florida, tam vario discrimine picta colorum:
Atque huc mi occurrit, fieri ut quandoque videmus
Quiddam improviso, quod cunctas pectore curas
Attonito avertit. Nullis comitantibus ibat
Ore canens mulier floresque a floribus ipsa
Secernens, pede tacta hujus queis tota nitebat
Semita. Cui dixi: O mulier pulcherrima, amoris
Quae facibus calefis, fronti si credere dignum est
Cordis testanti sensus, ne huc abnue, quaeso,
Ferre aditum propius ripam, ut, quae carmina cantas,
Figere mente queam. Per te subit insula, per te,
Qualis erat spectanda, subit Proserpina in ipso
Tempore, cum genitrix illam, ver illa serenum

Amisit. — Velnti adductis vestigia plantis
Collecta in choream vertit matrona retrorsum,
Vixque pede ante pedem posito accessisse videtur:
Sic inter flores ostroque auroque micantes
Ad me conversa est, ut, quae defigit honeste
Lumina humi, virgo, voluitque explere rogantem;
Nam sic accessit, dulce ut modulamen iniret
Aures, atque omnes dederit cognoscere voces.
At simulac venit, jucundi ubi fluminis undae
Irrorant herbas, dignata est tollere vultum.
Haud oculos credo Veneri micuisse nitore
Tanto, cum praeter solitum haec se vulnere nati
Districtam sensit. Dextra ridebat in ora
Opposita, manibus decerpens multa colorum
Millia, quos alma emittit sine semine tellus.
  Tres circa passus sejunxerat omnis utrosque;
Nec mare, quod mersa titulos deduxit ab Helle,
Trajectum Xerxi, frenum cuicumque superbo
Nunc quoque, tantum odii est passum, ulterioris amore
Ripae, a Leandro Seston spectante et Abydon,
Quantum hic a me omnis, quod non patefacta dedisset
Tunc iter unda mihi. — Vos hic nova pectora adestis,
Illa ait, et forsan, quod me hac vidistis in ora,
Quae prius humanae naturae electa patebat
Sedes, ridentem, mirantibus insidet anceps
Cura aliqua; at veniunt a carmine *Delectasti*
Lumina, quae nebulas possunt depellere mente.
  O tu, qui cunctis anteis, scitarier orsus,
Fare age, si quid vis aliud; nam solvere praesens
Veni, quoad satis esse reor, quaecumque rogabis.
Lympha, inquam, nemorisque sonus mihi pectora pugna
Exagitant minuuntque fidem, quae increverat ante;
Nam secus audieram fieri, ac quod vera monet res.
  Illa mihi: Dicam, quo pacto haud evenit istud
Absque sua caussa, quod tanto corda stupore

Nunc tibi sollicitat, et quae tibi plurima nubes
Officit, hanc tergam. Superorum hominumque voluptas
Summa, illa ipsa placens per se sibi sola, creavit
Primum hominem dederatque bonis excellere factis,
Atque istas sedes, aeternae ut pignora pacis.
Ipsius ob vitium haud illi mora longa receptum
Hic dedit; ob vitium in luctum moestumque laborem
Et dulcem ludum et risum mutavit honestum.
Ne, quos progenerant isto sub monte, vapores
Terrae et aquae, soliti solis sectarier aestum,
Quoad licet, humanae conflictu bella cierent
Naturae, idcirco mens hic conscendit in altum
Huc usque: at parte ex illa, quam janua claudit,
Liber ubique manet. Sed nunc, quia totus in orbem
Cum prima coeli sphaera convolvitur aër,
(Ni latere ex aliquo huic proprium interruperit obiex
Circuitum) hoc alto in spatio, quod in aëre vivo
Immune et vacuum est, icitque et personat omnem
Hic motus silvam, quia plantis densa superbit:
Et tantum planta icta potest, ut repleat auram
Virtute ipsa sua; et gyros deinde ipsa retexens,
Hanc quatit. Altera humus, prout per se est digna, suive
Naturam ob coeli, fit praegnans saeclaque gignit
Plantarum varia et varias prodentia vires.
Nec vero posset vestris res mira videri,
Si quando audierint aliquam hic sine semine noto
Mittere radices plantam. Et tibi scire licebit,
Ut sacer hic campus, quem calcas, semine abundat
Omnigeno, talemque solet concludere fructum,
Qualem illic manibus non est convellere vestris.
Nec quas cernis aquas, manant ex paupere vena,
Quam vapor instauret glacie solvente rigorem,
Ut fluvium, qui acquirit opes viresque remittit;
Sed fonte ex solido certoque erumpere pergunt,
Et tantum accipiunt a summi numine regis,

Quantum profundunt ex duplice parte reclusae.
Ex una erumpit fluvius virtute repletus,
Qui male factorum cunctorum oblivia spargit;
Ex alia, qui dat revocare et cernere mente
Omnia facta pie et caste. Qui hinc, nomine Lethes
Dicitur; Eunoes, qui illinc: neuterque suam vim
Exercet, nisi si ante aliquis degustet utrumque.
Et sapor istius superat genus omne saporum;
Et quamvis saturata satis tua cedere possit
Jam sitis, haud ultra me nil retegente recentis,
Id tibi praestabo gratis, quod consequa rerum
Mi suadet ratio; tibi nec fore dicta putabis
Jam mea cara minus, si haec exspatientur aperte
Ultra promissum. Veteres, qui saecula vates
Aurea cantarunt, victumque statumque beatum
Forte in Parnasso, sunt somnia vana secuti.
Humana hic radix semper fuit integra, semper
Hic ver, hic quivis fructus, quaeque ire fluenta
Nectaris et vestri dicunt. Tunc ipse poetas
Respexi comites, et laeto non sine risu
Accepisse illos cognovi haec ultima dicta.
Deinde oculis redii ad praestantem corpore Divam.

XXIX.

At canere insistens, ceu percita amore puella,
Hymni sub finem numeros modulata: *Beati,*
Addebat, *quorum sunt vitae crimina tecta.*
Ac veluti nymphae, quae solae umbrosa vagantur
Per nemora, hae cupidae solem vitare, tueri
Illae; tunc amnem contra vestigia movit
Per ripam. Brevibus gradientem ego passibus aeque
Passibus hanc brevibus propius sectabar; et inter
Ipsius atque meos centeni vix bene passus
Intererant, cum sic sese ripa utraque torsit,

Rursus ut Eoae mihi sit plaga reddita lucis.
Nec multum progressus eram, cum haec arbitra nostri
Ad me oculos vertit: Frater, nunc adspice et audi,
Inquit, et ecce cito percurrens omnia splendor
In silva ingenti illuxit, ut mente manerem
Ambigua, an fulgur coelo vibraret ab alto.
Sed quoniam fulgur subito pervadit abitque,
Isque diu durans magis et magis igne micabat:
Quidnam hoc? dicebam versans sub pectore multa.
Perque coruscantem gratum melos aëra fundi
Audieram. Quare sanctae tulit impetus irae
Audax me facinus primáe incusare parentis.
Namque ubi parebant tellus coelumque profundum,
Femina sola, modo vitales edita in auras,
Haud remanere diu velamine passa sub ullo est,
Sub quo stare pia atque aequa si mente tulisset,
Illa ego, quae fando nulla aequat gaudia lingua,
Multo ante hausissem optatisque diutius essem
Functus. — At aeternae dum tot dulcedinis ibam
Inter primitias animo suspensus et haerens,
Propterea que magis perfundi pectus avebam
Laetitia, ante oculos aër, velut excita flamma,
Sub viridi micuit ramorum tegmine, et aure
Teste sonum dulcem ceu cantum audire videbar.
Aonides castae, si insomnes ducere noctes
Unquam sustinui per vos et frigora et aspram
Esuriem, me vera monet vos caussa vocandi.
Hic opus, ut totis Helicon in me influat undis,
Atque choro Uranie det opem stipata sororum,
Includam ut numeris meditanti maxima rerum.
Ulterius paulo fallebat, imagine fingens
Quattuor arboreas ex auri divite massa
Plantas, quod multum spatii nos inter et ipsas
Aequor erat medium. Sed cum fuit ire cupido
Sic illas contra, ut, quod inest commune, fideles

Eludens sensus, ob longius intervallum
Vi non deficeret propria, haec vis intima caussas
Inquirens veras me candelabra tuentem
Falsum animi admonuit, vocesque *Hosanna!* canentum
Personuisse nemus. Pulchrum decus undique flammis
Desuper ardebat melius, quam luna sereno
Coelo sub noctem mediam pleno orbe coruscans.
At mente attonitus tota cari ora petivi
Virgilii et vidi mihi respondere stuporis
Non minus hunc oculis fassum fulgore gravatis.
Deinde iterum quaesivi acie miracula rerum,
Nos circa usque adeo tardo pede visa moveri,
Ut minus incessu nova nupta videnda veniret
Tardo. Ast increpitans mulier sic ore locuta est:
Cur ardes inhians in vivas pascere luces
Victus amore oculos uno, et quae pone sequuntur,
Negligis? — Huc multam tum vidi accedere turbam,
Non secus atque duces, indutam vestibus albis;
Talis et hinc candor nunquam fuit. Unda micabat
Laeva ex parte repercutiens, laevam mihi costam
Defigenti oculos, si consultare tulisset
Mens speculum. Utque meam potui sic stringere ripam,
Ut me interjectus tantum disjungeret amnis,
Substiti, ut inspicerem melius, praeterque meantes
Ire faces vidi, linquentes aëra pictum.
Post se, peniculis similes deducere tractus
Edoctis varios. Per quas in parte superna
Hunc distinguebat septemplice sparsa colore
Fascia septemplex, veluti sol candidus arcum,
Et Phoebe zonam. Haec retro vexilla micabant
Ultra oculi vires, et, quantum cernere quivi,
Distabant bis quinque gradus extraria signa.
Sub tanta coeli specie, quam carmine dico,
Deinde quater seni seniores pergere bini
Sunt visi. His rutilos cingebant lilia crines;

Et simul ore omnes: *O tu bene nata,* canebant,
Adam inter natas! Bene nataque tempus in omne,
Ornamenta animae, queis tu, pulcherrima, praestas.
Ast ubi me contra flores et gramina liquit
Libera, seque aliam immisit gens tota per oram,
Ut lux in coelo lucem comitata secundat,
Bis duo post turbam venere animalia, fronde
Cincta caput viridi. Bis trinas singula tergo
Gestabant alas, et erant per corpora plumae
Plenae oculis, quales, si viveret, Argus haberet.
Non vacat istorum formam describere versu,
Lector; cura premit major, nec largius isti
Indulgere queo; hasque feras depingere doctus
Ezechiel adeundus erit, qui vidit ab Arcto
Nubibus has ventisque atque igne irrumpere adactas,
Quales invenies illic, hic cernere tales
Fas erit, excipias, quas se vidisse Joannes
Alas testatur mecum, non consonus illi.
Quattuor has inter quod restitit intervalli,
Hoc geminis instructa rotis quadriga tenebat
More triumphali; hanc gryphus cervice trahebat;
Sublatasque alas gryphus tendebat utrimque
Inter lemniscum medium bisque ordine trinos,
Laederet ut neutros, dum finderet aëra pennis.
Tantum adscendebant, oculi ut servare nequirent
Sublati. Quoad ales erat, membra aurea habebat,
Caetera lucebant albentia murice mista.
Non quem Scipiades, non quem Induperator agebat
Augustus, tanto currus te, Roma, decore
Dimisit laetam; sed currus Solis ad istum
Esset opum pauper; toto qui tramite aberrans,
Supplicibus votis terra implorante salutem,
Arsit ab igne Jovis, quem altae vis egerat irae
Justa satis. Dextramque rotam tres, agmine facto,
Cingebant Divae atque in gyrum membra movebant,

Nectentes choreas. quarum una colore rubebat
Tanto, ut vix possis ipsam internoscere ab igne;
Altera par viridi carnes atque ossa smaragdo
Fulgebat; nivibus non tactis tertia habebat
Par decus: atque modo nivea ducente choream,
Et modo punicea, sum visus cernere adactum
Istius ad numeros citius vel tardius agmen.
Bis geminae a laeva vestitae murice ovantes
Plaudebant, monstrante illa, cui lumina trina
Munivere caput. — Prope totum nexibus orbem
Tractatum, vidi binos sub dispare veste,
Spectandos pariter gestu et gravitate decora.
Longaevos; unusque horum sese ore ferebat
Hippocratis socium, cui, quae carissima ducit,
Tradiderat quondam curanda animalia mater
Natura; ast alium contraria cura notabat.
Hic ensem rutilum crispabat cuspide acuta,
Ut mihi cis rivum quateret formidine membra.
Exin bis geminos humili sub imagine vidi.
Solus post omnes ibat vir maximus aevo
Dormitans facie arguta. Haec capita inclyta septem
Gestabant vestes ut primae turba cohortis;
Non tamen his sacram cingebant lilia frontem,
Verum et purpurei flores et mista rosarum
Gratia: quique oculus modice distasset ab ipsis,
Igne supercilium cunctis ardere putasset
Juratus. Sed ubi me contra advenerat axis,
Auditum est tonitru; dignusque exercitus ille,
Qualis qui ulterius prohibetur tendere gressu,
Cum primis pariter signis pede substitit illic.

XXX.

Septem ubi primoris coeli trio nescius ortus,
Atque obitus, minimae et nebulae, velum excipe culpae,
Omnes qui monuit fungi sua munera nautas

Ad portum jussos clavo convertere navem,
Ut facit hic imus, stetit atque immobilis haesit;
Tunc populus verax, qui primus venerat inter
Gryphum interque ipsum, circumspectare quadrigam,
Non secus atque suam pacem. Et, ceu missus ab alto,
Unus: *Sponsa, veni ex Libano!* ter tinnulus ore
Concinuit, totusque chorus clamore secundo.
Quales supremo exciti clangore beati
Carcere quisque suo surgent properanter, et artus
Atque iterum indutam relevabunt pondere carnem;
Tales divino in curru arrexere ministri
Centeni aeternae cum turba interprete vitae
Aures ad vocem tanti senioris; et omnes
Spargentes flores: *Benedictus,* voce fremebant,
Qui venis! unanimi, et: *Manibus date lilia plenis!*
Saepe oriente die partem, quae prospicit Indos,
Undique purpuream vidi, pulchreque serenum,
Quidquid restabat coeli, atque os solis oriri
Umbris praecinctum sic, ut, mihi dante vaporum
Temperie, hunc perferre diu mea lumina possent.
Sic intra nubem salientum ad sidera florum,
Angelica spargente manu, atque iterum intus et extra
Labentum, praecincta olea velum super album
Adstitit ante oculos viridem referente colorem
In tunica mulier. Sed quae consistere sueta
Mens mihi, tamque diu praesens, dum hanc cernere coram
Contigit, haud ullo trepidabat fracta stupore;
Virtutem propter, quae occulta exibat ab ista,
Ilicet antiqui vim magnam sensit amoris.
Alta simul virtus percussit lumina visus,
Vulnere quae pectus mihi jam confixerat, ante-
Quam primo me flore excedere jusserit aetas;
Quo puer ad matrem vultu contendit anhelans,
Si quis forte timor subitusve accesserit aegror,
Anxius ad laevam me verti, haec verba paratus

Dicere Virgilio: Non restat sanguinis ulla
Pars mihi vel minima integra, quam non occupet horror;
Agnosco, agnosco veteris vestigia flammae.
At se Virgilius nobis subduxerat, ille
Vates, cui me credideram propriamque salutem:
Nec quidquid genitrix amisit prima, juvarat
Sic puras a rore genas, ut fletibus istae
Atrae non fierent. O Dante, abeunte poeta,
Ne lacrima, nondum lacrima. Tibi flere necesse est,
Cum tibi cor alius trajecerit acrior ensis.
Qualis navarchus prorae puppique recurvae
Turbam insistentem invisit passimque ministros
Per naves alias, animo et jubet esse parato;
In sponda currus laeva, cum lumina verti
Nominis ad sonitum proprii, quod tradere scriptis
Nunc me res cogit, visa est, quae apparuit ante,
Femina adesse mihi angelico velata sub imbre,
Atque acies in me trans rivum figere utrasque.
Hanc quamvis velum praecinctum fronde Minervae,
Semper vivaci capitis de vertice labens,
Non sineret plane manifesta in luce patere;
Tunc quoque regali vultu gestuque proterva
Infit, more viri sub finem asperrima fando
Verba reservantis: Converte huc lumina visus;
Inspice me; namque illa ego sum, sum eadem ipsa Beatrix:
Quomodo es adscensu montem dignatus? An ipse
Forte ignorabas homines hic esse beatos?
At mihi tunc oculi in nitidos cecidere liquores
Fontis; et, ut vidi, adspectu divertere ad herbam
Profuit; is pudor ora mihi frontemque gravarat.
Talis, ut haec, nato mater quandoque superbam
Se fingit; namque ille sapor pietatis acerbae
Sentit amaroris quiddam. Sic fata quievit.
Tum vero angelicae subito cecinere cohortes:
In te speravi, Domine! et sub carmine finem

Fecerunt decimo. Ut viva inter tigna trabesque
Per dorsum Italiae glacie nix aspera durat,
Flamina cum perflant stringuntque ex asse Boreo;
Dein liquefacta fluit seque in sese ipsa resolvit,
Dum spiret tellus, quae aliquam desiderat umbram,
Et similis flammae est candelam fundere adortae;
Sic gena sicca fuit, pectus singultibus expers
Ante harum cantus, quibus est mos tempus in omne
Aeternae ad numeros sphaerae componere voces.
At postquam in dulci plus has modulamine sensi
Indulsisse mihi, quam si essent farier orsae:
Ah cur tot dictis, mulier, sic conficis istum?
Qui mihi cor circum gelidus duraverat humor,
In ventos et aquas abiit valideque premendo
Perque os perque oculos erupit pectore ab imo.
Illa haerens plaustri in dicta mihi parte, coronam
Sic affata piam est: Vobis vigilare diei
Contigit in jubare aeterni, nocturna nec umbra,
Nec somnus passum vobis intercipit ullum,
Tramite quem proprio labentia saecula signant.
Quare cura mihi est major responsa referre,
Quae pulchre iste animo accipiat, qui fletibus ora
Inde loci rigat, ut parili sit culpa dolorque
Pondere. Magnarum haud solum virtute rotarum,
Quae cuncta ad certos convertunt semina fines
Pro vi stellarum comitantum; at munere largo
Numinis aeterni sic altos flante vapores,
Imber ut istorum mortalia lumina fallat,
Hunc sua vita dedit talem nova, ut ipse suae vi
Naturae dextros longa assuetudine mores
Induere et miras virtutes edere quisset.
At tanto male fida magis silvosaque tellus
Cum tristi evadit non culto semine, quanto
Est mage dives opis terrestris et aucta vigore.
Hic quondam stetit ore meo, ridentia honeste

Lumina miratus juvenilia, et hunc ego mecum
Rectum ducebam per iter. Simul ipsa secundae
Aetatis tetigi limen, mutataque vita est,
Se mihi is eripere atque alio traducere amores.
Cum positis novus exuviis mortalibus astra
Spiritus hic petiit; postquam mihi forma decusque
Creverat et virtus, minus et minus huic ego cara
Atque accepta fui. Per flexus ire viarum
Non veros statuit, simulacra dolosa bonorum
Venatus, nunquam promissis sueta manere.
Nec mihi vitales divini flaminis auras
Profuit impetrare isti, ut per somnia perque
Mille artes alias revocarem. Huic tantula nostri
Cura fuit, ceciditque adeo mage praepete casu,
Ut, quidquid remanebat opis, servare studenti
Jam mancum fuerit, praeter monstranda maligna
Regna, atque aeterna damnatas morte catervas.
Ergo harum invisi portam precibusque rogavi
Admiscens lacrimas, qui dudum huc duxerat istum.
Rupta forent fata alta Dei, secura vadari
Si posset Lethe, et daps haec gustanda veniret,
Symbola ubi deesset lacrimarum, quas dolor imus
Effundat, fassus se poenituisse malorum.

XXXI.

O tu, qui in sacri ripa ulteriore moraris
Fluminis! — obverso punctim, caesim ante rotato
Alloquio, quod erat visum tamen auribus acre,
Nil cunctata iterum coepit; — num vera locuta
Sim modo, dic, age dic; tanto cum crimine oportet
Verba fatentis eant pariter. — Confusa facultas
Sic me torpuerat, ut quae vox hiscerat, ante
Quam lingua emitti posset, restincta maneret.
Non tulit illa diu, sed ait: Quid pectore volvis?

Jam mihi responde, quoniam tibi gurgitis unda
Lethaei nondum memorantem tristia mentem
Ausa tibi laesit. — Mihi tum pudor ac timor istam
Vocem ore excussit: Verum! quod lumina visus
Pro auditu poscebat opem, ne verba perirent.
Ut ballista manus nimio conamine tensa
Chordam arcumque simul frangit, telumque minore
Impete contingit signum: sub pondere tanto
Sic ego disruptus lacrimas gemitusque profudi
Largos, praeclusaque via vox faucibus haesit.
Illa iterum: Mea cura boni cum incendere amore
Te studuit summi, quod tendere non datur ultra,
In quibus offensum est fossis tibi, quave catena,
Prorsus ut exuta, quae dat transcendere posse,
Spe sic deficeres? Quaenam compendia, quosve
Vidisti quaestus aliorum in fronte paratos,
Ut circumcursans illos venatus obires?
Denique post gemitum, quem duxi ex pectore, amarum
Vix fuit apta mihi vox respondere, sonumque
Aegre effinxerunt mea labra, rigantibus ora
Fletibus, et dixi: Praesens mihi copia rerum
Avertit ludens falsa dulcedine passus,
Me simulatque tui latuit praesentia vultus.
Illa mihi: Quamvis tacuisses, sive negasses
Quae nunc es fassus, non essent crimina vitae
Nota futura minus; sub tali haec judice fiunt.
Sed simulac proprio erumpit vox ore genaque
Sese incusantis, tum se rota vertit acutam
Contra aciem regno in nostro. Tamen, ut pudor urat
Te melius, validaque magis virtute repugnes
Sirenum voci, lacrimarum semina pone;
Audi, et sic disces, quo te in contraria pacto
Ducere debuerat cum carne haec forma sepulta.
Haud unquam oblata est naturae munere et artis
Tanta voluptatis tibi copia, quanta refulsit

Pulchris ex membris, quae me inclusere, jacentque
Condita sub terra. Quod si te summa fefellit
Tanta voluptatis pariter cum funere nostro,
Quae res mortalis tibi jam exoptanda fuisset?
Jam tibi par fuerat, postquam bona falsa priore
Conciderant telo, consurrexisse sequique
Me pone haud talem posthac. Neque forma puellae,
Aut aliquid vani minimo durabilis aevo
Debuerant pennas tantorum mole laborum
Depressisse tibi, plures ut sponte maneres
Ictus. Hos avis exspectat nova terve quaterve;
At queis silvescunt plumae, qui retia ponit,
Aut arcum intendit coram, discedet inanis.
   Quales, quos puduit, pueros haud hiscere quidquam,
Defixisque oculis terrae auscultare videmus,
Conscia ubi facti mens poenituisse coegit:
Me quoque vidisses talem. Atque ea talibus infit:
Quando ex auditis moeres, attollito barbam,
Atque, ubi respicias, major te poena peruret.
   Vento evellenti cerrus robusta resistit
Aegrius, hic nostris seu debacchetur ab oris,
Sive a Gaetulis agris, quam ego jussus in altum
Sustuleram mentum; sed ubi me poscere vultum
Per barbam voluit, sat novi, quale lateret
Virus in hoc dicto. Postquam sublata figuram
Expandit facies, pulcherrima turba volantum
Jam mihi quaerenti sese praebere videndam
Destitit, et parum adhuc tuto est inspecta Beatrix
A me oculo. — Illa feram, natura duplice, et unam
Versa tuebatur. Nivei sub tegmine veli,
Transque oram viridem, plus se ipsam vincere priscam
Ipsa videbatur, quam alias, cum erat incola terrae.
   Hic mihi subjecit stimulos vis tanta doloris,
Ut, quae cunctarum rerum me maxime amore
Torsit, cunctarum foret invisissima rerum

Conscia tam dirus mihi pressit pectora morsus,
Ut victus caderem; et, qualem me fecerit, ipsa,
Quae dederat caussam, novit. — Cum in pectora virtus
Mi rediit, super adstantem, quae prima reperta est
Sola mihi mulier, vidi, quae ajebat: Inhaere,
Meque tene; tenus atque gulae me in fluminis undam
Traxerat, et raptans post se, levis et levis ibat
Innans ut radius. Sed ubi prope ripa beata
Adfuit: *Adsperges me!* ita dulce audita sonare
Est vox, ut memorare mihi vel scribere non sit.
Expandit geminos mulier formosa lacertos
Atque meum est complexa caput, mersitque quod undam
Sorbendam fuerat jussum demittere plenis
Faucibus: atque inde ereptum totumque madentem
Duxit, ubi choreas agitabant quattuor ore
Pulchro matronae, quae me texere lacertis.
Nos sumus hic nymphae, dicebant, sidera in alto.
Jam prius in terras quam esset delapsa Beatrix,
Nos illi famulas dederat regnator Olympi.
Illius ante oculos nos te ducemus acutos;
Sed tibi jam reddent visus, ut, quod latet intus,
Jucundum adspicias lumen, tres, quae inde propinquae
Altius interiora vident. Sic voce canentes
Coeperunt. Exin me secum ad pectora gryphi
Duxerunt, ubi constiterat conversa Beatrix
Ad me, sic fatae: Ne oculos intendere parce;
Nos te lucentes juvat ante locasse smaragdos,
Unde tibi est jaculatus amor sua cognita tela.
Millia me ardorum quavis magis incita flamma
Compulerant oculis oculos spectare micantes,
Qui tamen in gryphum defixo lumine stabant.
Ut sol in speculum, pariter radiabat in illam
Natura duplex animans, ratione modoque
Multiplici. — Ut me res haec admiranda stupentem
Fecerit, o lector, reputa, tunc cum ipse videbam

Hunc stare, inque oculis varium apparere tuentis.
Dum mens gustabat mihi laeta et plena stuporis
Illam, quae, quo plus saturat, plus esca sititur,
Tunc mihi, de solio testatae se esse supremo,
Occurrere aliae coram tres ordine Divae,
Carminibusque suis simul adjuvere choreas
Angelicis. Converte tuos, converte, Beatrix,
Cantabant, oculos sanctos fidumque tuere,
Qui te visurus tot passibus ardua vicit.
Da nobis veniam hanc, tuaque huic fac ora reveles,
Quae celas. O aeternae vis vivida lucis!
Ecquisnam usque adeo sub Pindi expalluit umbra,
Aut Aganippei potavit fluminis undam,
Qui non mente hebeti, ingenio videatur inepto,
Si te, qualis eras, studeat describere, in illa
Ora, ubi te resonans concentibus aether obumbrat,
Cum tua se facies dissolvit in aëra apertum?

XXXII.

Usque adeo haerebant intenti avidique, decennem
Exsaturare sitim visus, ut sensibus omnis
Mortua vis esset reliquis; et clauserat illos
Hinc atque hinc paries mittentis caetera curae:
Sic ad se attonitos lux risus alma trahebat
Retibus antiquis; cum me divertere vultum
Compulerant nymphae ad laevam; nam has obstrepere auri:
Haesisti nimis! audieram. Et qua lege solemus
Cernere, percussi modo visum a lumine solis,
Ipse diu carui luce. Ast ubi pauca tuendo
(Pauca quidem ad multum, quod sensus icerat, unde
Abscessi ingratis,) acies recreata redivit,
Tum latus in dextrum vidi procedere turbam
Insignem decore atque pedem cum sole referre,
Et septemgeminis adversa petentibus ora

Flammis. Ac veluti tutando pectora scutis
Vertit sese acies in gyrum signa secuta,
Tota priusquam in se mutarier ordine possit;
Non secus illa cohors regnum coeleste colentum,
Quae procedebat, pertransiit agmine longo,
Ante suum anterior quam temo flecteret axem.
  Inde iterum nymphae ad radios rediere rotarum,
Et sanctum gryphus currum sic movit, ut una
Alarum pluma haud fuerit tamen icta tremore.
At quae ad Lethaeum mulier me traxerat amnem,
Et Statius mecum ipse rotam, quae perficit orbem
Arcum intra minimum, sumus una pone secuti.
Sic altum unusquisque nemus vacuumque pererrans,
Illius culpa, quae falso credidit angui,
Angelicum ad numerum gaudebat fingere passus.
Et quantum trino resoluta sagitta volatu
Conficiat spatii, forsan, tantum ipse videbar
Progressus, donec curru est delapsa Beatrix.
  Nescio, quid cunctos mussantes innuere *Adam!*
Sensi, qui quandam sunt plantam cingere adorti
Floribus, atque omni spoliatam frondis honore.
Huic coma plus tanto spatiosa patere videtur,
Quanto haec plus tollit sese; et mirabilis Indis
Alto esset capite, huic similem si ea silva tulisset.
  Vita beata tibi est, qui rostro scindere lignum
Dulce hoc gustanti fugis, o gryps; nam male tortus
Hinc abiit venter! Sic circa robora plantae
Clamabant alii. Tum animans vice duplice natus.
Sic fas est semen justi cujusque tueri.
Atque ad temonem versus, quem traxerat alis,
Arboris ante pedes viduae raptavit, et illum
Istius trunco religatum liquit in ista.
Utque solent isthic plantae, cum decidit alto
Lux ingens, magno lucis permixta nitore,
Quem post coelestem piscem radiare videmus,

Turgere, ac dein quaeque novo vestita colore
Laetari, ante suos quam alio sub sidere Titan
Quadrupedes jungat: violis haec rubrius arbor,
Languidiusque rosis late decus expandebat
Vitam ingressa novam, cum ramos ante soleret
Tendere sic nudos. Mente haud comprendere quivi,
Nec numeros omnes licuit, nec verba notare.
Fingere si possem, ut somno fera lumina victus
Paulatim ad calami sonitum demiserit Argus,
Lumina, queis tanti steterat vigilasse diurnas
Nocturnasque horas; ceu qui exemplaria spectat
Lictor, et ipse modum scribendo imitarier ausim,
Quo me devinxit somnus. Sed quilibet istud
Artifices curent docti. Quare haec ego mitto,
Dicturus velum somni ut mihi lux scidit, et vox
Clamantis: Surge, o quid agis? Quo corde Joannes,
Petrus, Jacobus spectatum millia florum
Ducti, queis malus fulgebat laeta, suoque
Angelicas turbas pomo alliciebat hiantes,
Perpetuisque epulis sponsalia in aethere agebat,
Atque ad se victi verbum rediere sub illud,
Per quod majores sunt pulsi pectore somni,
Videruntque scholae jam defecisse sodales,
Mosen Eliamque, immutatamque magistri
Esse scholam; hoc redii, et super adstantem ilicet ipsam
Vidi, quae fuerat pia dux ad fluminis undam,
Cui dixi totus trepidans: Quo est versa Beatrix?
  Ast illa: Ecce hanc cerne nova sub fronde sedentem
Plantae ad radicem. Comitantum cerne catervam:
Caetera post gryphum conscendit turba canendo
Dulcius ac gravius carmen. Nec dicere scirem,
Fusiór an fando fuerit; mihi nam illa tenebat
Intentos oculos, mihi quae praecluserat omnes
Jam sensus: nudoque solo sola illa sedebat,
Qualis quae posita est illic custodia plaustri,

Quod prius ad truncum gemina fera praedita forma
Vinxerat. Hanc septemgeminae cinxere corona
Nymphae, prae manibus portantes lampadas illas,
Quae Boreae atque Austri securae flamina spernunt.
Incola eris silvae hic modicum, sine fine futurus
Mecum urbis Romae civis, qua Christus ab urbe
Romanus dici voluit. Quare adspice currum,
Ut prosis mundo, cujus sunt pessima facta,
Atque redux illuc fac scribas omnia visa.
Dixit; ego totus dominae mandata paratus
Fungier, et mentem atque oculos, quo jusserat illa,
Contendi. Nunquam motu tam praepete venit
Ignis condensae nebulae, cum decidit illa
Ex regione imber, quae plus distare putatur;
Ut vidi in plantam volucrem Jovis aethere lapsum,
Flores rumpentem atque novas cum cortice frondes,
Qui pariter toto percussit robore currum.
Quare hic nutavit, ceu tempestatibus acta
A dextra laevaque ratis superantibus undis.
Deinde triumphalis vidi se immittere cunis
Quadrigae vulpem, membris testantibus ipsam
Pastu omni caruisse bono. Sed turpia centum
Huic ausa objiciens mulier facta arbitra nostri,
Egit praecipitem, fugientemque impete tanto,
Quantum ferre unquam sine carnibus ossa valebant.
Dein qua ex parte prius volucris devenerat, ipsum
Vidi secretam currus descendere in arcam,
Corporis atque sui vestitam linquere pennis.
Et qualis corde erumpens lugubre dolenti,
Haec vox exivit coelo: Mea cymbula, quanam
Merce onerata male es! — Mihi deinde dehiscere visa est
Terra rotas ambas inter, vidique draconem
Exire et fixam per currum attollere caudam,
Qui, retrahentis acum vespae de more, malignam
Caudam ad se traxit, currus partemque revulsam

Corripuit secum, hac illac sine lege vagatus.
Quodque fuit reliquum, ceu vivax gramine tellus,
Se texit plumis, casta fors mente bonaque
Oblatis. Et utraeque rotae se tegmine eodem,
Et temo induerant, citius, quam ut poscat apertum
Os gemitus. — Versa sic moles sancta figura
Partibus ipsa suis capita est emittere visa.
Trina superstabant temonem et singula currus
Unumquodque latus. Surgebant cornua primis,
Ut tauris; unum sed cornu in fronte gerebant
Quattuor. Haud unquam in terris par cernere monstrum
Contigit. Hoc supra, velut arx in vertice montis,
Sublimi meretrix habitu secura sedebat
Liberius, praesensque oculos agitare protervos.
At similem verito, ne quis potiatur adempta,
Juxta illam vidi arrectum pede stare gigantem,
Inque vicem interdum conjungere basia labris.
Et quoniam cupidos in me semperque vagantes
Verterat illa oculos, stricto ferus ille flagello
A capite ad plantas totam decidit amator,
Et gelidis plenus furiis, et pessimus ira
Dissolvit monstrum, traxitque per avia silvae
Usque adeo, ut contra meretricis coepta novamque
Ista mihi una feram fuerit pro tegmine scuti.

XXXIII.

Advenere, Deus, gentes, sunt dulciter orsae,
Nunc alternantes ternae, nunc voce quaternae
Carmen lugentes nymphae. Et pia corde BEATRIX
Verba sub ista gemens talem sese ore ferebat,
Ut paulo fuerit plus immutata Maria
Ante crucem. At postquam fandi est data copia, stante
Virgineo cantu, surgens suffusa colore
Flammae respondit: *Modicum, et me cernere vobis*

Non erit; atque iterum modicum, vobisque videndam
Me dabo, dilectae! Dein prae se incedere jussit
Septemplex agmen totum. Tantummodo nutu
Meque ducemque egit post se, Statiumque manentem.
  Sic ibat; sed humum decimo haud pressisse putarem
Hanc passu, cum oculos oculis mihi perculit, osque
Tranquillo solvens vultu: Huc, ait, ocior esto,
Ut bene composito accipias mea pectore dicta!
  At simul accessi, ut decuit, sic ore locuta est:
Cur mecum veniens nihil audes dicere, frater?
Quales, quos nimium procerum praesentia tangit,
Ante illos fari mussant et dentibus edunt
Vocem non vivam; talis responsa remisi
Imperfecta sono: Fas est tibi noscere, Diva,
Quid mea res poscat, quidve huic magis utile cedat.
  Illa mihi: Jam corda metu vultumque pudore
Solvere te jubeo, ne, somnia vana videntis
More viri, posthac mittas e pectore vocem.
Disce, fuisse neque esse usquam, quod reptile rupit
Vas; at qui laesit, non deterrerier offa
Intrita vino supremi vindicis iram
Credat. Nec longum viduata haerede manebit
Quae volucris pennas ad currum liquerat; unde
Evasit monstrum, labente ac tempore praeda.
Nam video certe, idque adeo narrasse juvabit,
Non adeo longe ducentia tempus abesse
Sidera, ab offensu quovis atque objice tuta;
Quo, quae quingentos numerant et quinque decemque,
Signa, Deo mittente, dabunt, qui caede necabit
Impuram audentemque simul non fanda gigantem.
At meus hic sermo, ut Themidis Sphingisque loquela,
Abditus, id tibi forte minus suadere valebit,
Qui more illarum mentes ambagibus umbrat.
At pro Najadibus mox facta aenigma resolvent
Hoc durum, nulla pecudum frugumque ruina.

Tu signa, et quales nunc mitto ex pectore voces,
Tales fac doceas qui gaudent munere vitae,
Quae cursu ruit in funus. Tibi mente repostum
Id maneat, simul incipies haec tradere scriptis,
Nec taceas, qualem vidisti surgere plantam,
Quae nunc est illic duplici expilata rapina.
Quicumque hanc ausit spoliare, aut scindere plantam,
Iste Deum laedit, ceu re maledixerit illi;
Namque ille hanc sanctam sibi soli rite creavit.
Hanc quia polluerat morsu, moerore peresa
Ac desiderio, per millia pluraque lustra,
Quae prior humanos anima est infusa per artus,
Optavit proprio qui est ultus sanguine morsum.
 Mens tua dormitat, si non putat esse fatendum,
Praecipua fieri caussa, ut se tollat in altum,
Et tam diverso se effundat vertice planta.
Et tibi, quae vanae cingebant pectora curae,
Si minus humores Elsa de fonte fuissent,
Et quae spectabas hinc gaudia Pyramus album
Ad morum, res ob tantas, tot tempora rerum
Saltem quid valeat Deus ultor, ab arbore quisses
Discere mente tua, et propriis succurrere rebus.
Sed quoniam video te saxea corda gerentem,
Et culpis contincta, mei ut tibi lumina dicti
Perstringant oculos, te, si minus edita scriptis,
Pectore ferre tamen jubeo haec tibi inusta profundo,
More viri palma praecinctum hostile gerentis.
 Tunc ego: Ut impressam formam cera apta sigillo
Haud unquam immutat, mihi stant infixa cerebro,
Quae modo signasti. At quianam sublime volatu
Usque adeo tua verba petunt optata, sequacis
Ut lumen visus tanto minus utile reddant?
 Illa mihi: Ut discas, queis sis auctoribus usus
Atque schola, ac videas, quî possit talia fantem
Illius doctrina sequi; ac tibi noscere detur

Vestrum divino distare a tramite tantum,
Quantum discordat terrae pars infima sphaerae
Coeli, quae fertur properanti altissima cursu.
Hic ego respondi: Haud memini me longius unquam
A te unum abscessisse pedem, nec conscia morsu
Cor mihi mens tangit. — Si te id meminisse potestas
Deficit, illa inquit ridens, nunc ipse memento,
Ut tu Lethaeos hodie gustaveris haustus.
Si ex fumo arguitur flamma, haec oblivia culpam
Includunt animi longe diversa secuti.
Jam vero mea verba, rudes quoad convenit ista
Contendenti oculos recludere, nuda resolvam.
Et magis effulgens et cursu lentior orbem
Sol usurpabat medium coeli atque diei,
Qui, pro prospectu vario, mutatur et ipse;
Cum subito, veluti mos est ducentibus agmen
Praemissis, si qua est novitas comperta, stetere
Septenae nymphae, languens ubi decidit umbra,
Qualem sub foliis viridantibus, atque nigrante
Ramorum spatio rivis algentibus Alpes
Distribuunt. Ante has vena delabier una
Euphratem et Tigrim fueram mihi cernere visus,
Et, quasi amicitia junctos, discedere pigros.
O lux, o ingens humanae gloria gentis!
Quod genus istud aquae est, una quae ab origine sese
Explicat huc veniens, seseque petitque fugitque?
Dixi. — Hoc, respondit, tibi erit rogitanda Matella,
Ut dicat caussam. Huic mulier pulcherrima contra,
Ut facit a culpae qui sese crimine solvit:
Has res, atque alias monitum mea cura remisit;
Nec timeo, a Lethe ne dicta absconderit amnis.
Olli sedato respondit corde Beatrix:
Cura illi major, per quam rerum immemor ipse
Redditur, offudit mentem fortasse tenebris.
Atque ecce Eunoes, qui praeterlabitur oram.

Nec mora; tu prensum propera deducere ad amnem
More tuo, ut virtus ipsi collapsa revivat.
Qualis corde anima humano, quae innectere nescit
Caussam excusandi, et cui, quae est manifesta voluntas,
Nutibus alterius sua fit; sic ilicet ista
Mi dextram arripiens Statio muliebriter inquit:
Fac comes huic venias. — Spatium si longius esset
Scribendi, aggrederer cantare ex parte beantes
Haustus, o lector, qui nunquam me ire sinebant
Expletum: at quoniam, quas poscunt ista secunda
Carmina, complevi cunctas ex ordine chartas,
Artis me frenum prohibet jam longius ire.
  Deinde gradum a sancta revocavi fluminis unda
Sic instauratus, qualis nova planta novata
Fronde nova, purus, conscendere ad astra paratus

PARADISUS.

I.

Illius, qui cuncta movet, quocumque penetrat
Gloria, plusque illi parti cedit, minus illi
De splendore suo. Quod plus deducit ab ipsa
Lucis, ego coelum deveni ac talia vidi,
Qualia nec scit, nec potis est unquam inde reversus
Dicere. Namque animus desiderii prope summam
Accedens, totum tunc sese immittit in istud,
Ut mens nostra sequi repetens non possit euntem.
Verum, quae potui de sancto condere regno
Mente, haec materiam praebebunt carminis ausis.
  Postremum hunc, bone Apollo, mihi concede laborem,
Effice meque tua vas sic virtute repletum,
Ut petis, ex lauro mihi amata serta daturus.
Sat nobis tentasse jugum fuit hactenus unum
Parnassi; reliquum ast opus est modo inire per ambo
Campum. Fac intres mea pectora, tuque poetae
Adspira, qualis, cum te tulit impetus olim,
Audacis Satyri vagina diripere artus.
O virtus divina, meae si tu annuis arti
Usque adeo, ut per me, quae stat signata beati
In capite umbra meo regni, manifesta patescat;
Ad tibi dilectos ramos properare videbis,
Frondibus atque tuis me tum praecingere frontem,
Queis et materia et tu me dignum esse putabis.

Namque adeo, pater, haec raro ornamenta leguntur,
Ducat ut insignem Caesar vatesve triumphum,
(Proh culpa humanae opprobriumque cupidinis!) ut jam
Gignere Delphifica deberet gaudia Divo,
Si quem ardore sitis stimulet Peneia planta.
Ingentem, flammam perpauca favilla secundat.
Fors aliquis post me cantu meliore precetur,
Ut Cirraea domus votis responsa remittat.
Diversis generi mortali surgit ab oris
Lampas, quae mundum lustrat; sed surgit ab illa,
Cyclos bis geminos quae jungit cum cruce trina,
Percussura viam meliorem, junctaque stella
Exit cum meliore, et ceram temperat orbis
Terrarum plus sponte sua obsignatque sua vi.
Talem ingressa locum, quasi prima crepuscula noctis
Hic et mane illic effecerat, albidus ille
Semiorbis stabat totus, pars altera nigra,
Cum latus in laevum se vertere visa Beatrix
Est mihi et inspicere in solem. Sic figere soli
Numquam aquila ausa suos est visus. Utque priore
Misso exit, sursumque solet resilire secundus
Fulgor, more peregrini remeare studentis:
Sic et ego hunc actum, qui nostris insinuavit
Sese luminibus, percussus imagine mentem,
Desumpsi, atque oculos infixi in lampada solis
Nostrum ultra morem. — Humanis virtutibus illic
Multa licent ratione loci, quem condidit auctor
Humano generi proprium, quae hic posse facultas
Non est. Hunc nec ferre diu, nec temporis horam
Sic tamen exiguam potui, ut candentis ab igne
Hunc instar ferri haud circum fulgere viderem.
Qui duplicare diem subito est mihi visus, ut ille
Si sole omnipotens alio decorasset Olympum.
— Stabat in aeternas sphaeras immota Beatrix
Tota, oculos figens, et ego mea lumina in ipsam

Inde amota mihi. Interius sum factus ob hujus
Adspectum talis, qualem se vidit ob herbam
Gustatam aequoreis consortem assidere Divis
Glaucus. Sic hominem superum virtute potiri
Res est, quae vetat ostendi per verba; sed istud
Est satis exemplum, queis servat gratia donum
Tale experturis. — O aeterni ignis amoris!
Si tantum illud ego mei eram, quod lucis in auras
Duxisti ex nihilo primum, tu qui astra gubernas,
Nosti. Nam tua lux me ad coeli sustulit aulam.
 Ut rota, quam aeternas, o summa optata voluptas,
Harmoniae illa vi, quam tu moderaris et apte
Digeris, intentum attraxit, tum solis ab igne
Vidi oculis tantum coeli excandescere, ut imber
Vel flumen nunquam tam vasto quiverit alveo
Immanem peperisse lacum. Modulaminis ille
Insueto sonus auditus mihi, lumen et ingens
Mi desiderio incenderunt pectora tanto
Caussarum, ut nunquam sim tale expertus acumen.
Quapropter, quae me haud aliter, quam me ipse, videbat,
Commoti cupiens animi componere fluctus,
Ante ego quam loquerer quidquam, sic ora resolvit
Atque ait: Ipse facis te crassae mentis, inanem
Effingens speciem rerum, ut tibi cernere non sit,
Quod tu, hac excussa, adspiceres. Terram haud pede tangis,
Ut rere; at non sic nativam praepete cursu
Effugiens sedem fulgur ruit, ut citus istam
Tu repetis reditu. — Mihi si brevia edita dulcem
Verba inter risum suaserunt exuere unum
Confusae mentis dubium, irretire secundum
Me coepit, dixique: Ego jam me animo esse quieto
Jussi, contentus sat magni a mole stuporis.
Sed qui praevertam ista levissima corpora cursu,
Id nunc admiror. Quare tunc pectore ducens
Illa pio gemitum, tali in me lumina vultu

Vertit, quo nati deliri mater in ora,
Et coepit: Quidquid rerum est, has digerit ordo
Inter sese omnes. Isque ordo forma vocatur,
Quae facit omne Deo simile. Hic cuncta alta creata
Aeternae cernunt virtutis signa notasque,
Quae meta est, ad quam mihi dicta ea norma refertur.
Ordinis in leges, quas diximus, omnia prona
Sunt per diversas sortes, quae plusque minusque
Principio accedunt. Ita per mare cuncta moventur
Naturae immensum diversa ad littora, et una
Res quaeque infuso instinctu, quo singula fertur.
Hic ignem fert ad lunam, mortalia corda
Hic icit motu, hic terram cogitque premitque.
Nec modo quae ratione carent, hic appetit arcus,
At quae mente valent ac versant libera amorem.
Quae tot disponit propria sapientia luce,
Stare jubet semper coelum, in quo se rotat illud,
Quod mage festinum est. Atque huc, veluti ad loca certa,
Nunc illius agit nos virtus incita chorda,
Quae, quidquid jacit, hoc ad signum dirigit aptum.
Verum ut ab artificis discordat mente frequenter
Forma, ubi materies huic respondere recuset
Surda; ita et hoc abeunt a cursu saepe creata,
Quae sic acta suo divertere tramite possunt,
(Utque videre potes delabi nubibus ignem,)
Dummodo flectatur falsa dulcedine primus
Impetus in terram. Non plus tibi mira putanda est
Res, bene si reputo, quod scandis, quam exiguus fons
Alto monte ruens si fundum irrumpat in imum.
In te res miranda foret, si, te objice nullo
Impediente, jacens in terris ipse sederes,
Sicut humi vivax vis flammae strata quiete. —
Hinc illa ad summum vertit sua lumina Olympum.

II.

Vos, rate qui vecti parva venistis, aventes
Audire, usque meam sectati pone carinam,
Quae mare cantando verrit, jam littora vestra
Respicite, et pelagus ne ultra tentate profundum;
Nam vos, me amisso, loca devia forte petetis
Errantes. Nemo, quod arandum prendimus, aequor
Unquam percurrit. Tritonia Diva labori
Adspirat nostro, nos dexter ducit Apollo,
Atque novem Musae monstrant Erimantidas ursas.
Pauci, mature qui prospectastis hiantes
Angelicum panem, quo vita hic vivitur, at non
Exsaturata manet, dimittere salsa per alta
Navigium vobis licet observantibus undam,
Quam sulco, prius aequalis quam strata residat.
Praestantes illi, qui adierunt Colchica regna,
Obstupuere minus tunc, quum videre bubulcum
Aesonidem factum, quam vos, mea vela secuti.
Ingenita et jugis sitis in, quod imagine ridet
Divina, regnum celeri nos impete agebat,
Ferme quo adspicitis coelum. Spectare Beatrix
Sursum, et ego hanc. Tam forte diu, dum cessat arundo,
Et volat atque fugit resolutam libera chordam,
Sensi delatus, quo me divertere suasit
Res mira ad se oculis. Illa autem, quam ulla nequibat
Cura latere mei cordis, convertit utramque
Ad me aciem pariter laeta, ut pulcherrima forma:
Mente Deum, dixit, bene grata suspice, qui nos
Primae conjunxit stellae. Mihi lucida visa est
Ac densa ac solida ac nitido stans corpore nubes
Nos tegere, haud secus atque adamas solis jubare ictus.
Ingressos intus nos bacca aeterna recepit,
Ut recipit lucem fluvialis gutta cohaerens.
Si tum corpus eram, si non comprendere mente est,

Qui rem, quae triplex spatium occupat, insinuare
Altera passa sibi res sit, quod fiat oportet,
Corpus ubi in corpus repat, multo acrius esset
Ardendum nobis mirarier illius esse,
Qui sibi conjunxit naturam hominisque deique.
Tunc ibi cernere erit, quod demonstrare nequibit
Hic quisquam atque fides jubet omnes credere certo,
Ut quae vera patent per se notissima, primo
Credenda intuitu mentis. — Tunc ora resolvens
Dixi: Ego, Diva, pio, quoad possum, huic pectore grates
Solvo, mortali qui me sejunxit ab orbe.
At quid, dic quaeso, quid sunt nigra corporis hujus
Signa ea, quae in terris de Cain fingere suadent
Fabellam? Illa diu subrisit; deinde loquelam
Solvens: Si mortalis, ait, sententia aberrat,
Clavis ubi sensus nescit recludere verum,
Certe haud deberent jam pungere tela stuporis
Cor tibi; nam ratio, quae sensus pone sequatur,
Cernere ut ipse potes, brevioribus utitur alis.
At da, quid tecum repules. Tunc huic ego contra:
Ex raro ac denso, quae sic diversa videntur,
Esse reor. — Multo haec in vortice mersa videbis
Falsi, quae modo credis, ait, si rite tenebis,
Quae dicam contra. Demonstrat lumina vobis
Multa orbis sphaerae octavae, diversa notanda
Mole sua ac lucis natura. Hic collige primo.
Si rara ac densa efficerent ea, qualia constant
Quantaque, flammivomo cuivis vis unica inesset,
Plusque minusque tributa globo, atque aequaliter uni-
Cuique. At multiplices virtutes ex elementis
Primis, quae formam statuunt cujusque, necesse est
Nasci, quae deleta forent, te judice, cuncta,
Hoc uno excepto. Adde etiam: si caussa nigroris
Rarum esset, quod tu vocitas; aut iste planeta
Partim ex materia jejunus forte laboret,

Aut, ut opima adipe et mixtim minus uncta per artus
Corporis unius caro diditur, haud secus iste
In proprio chartam mutet versa vice libro.
Quae mihi dicta prior caussa est, in Solis aperta
Esset defectu, nam translucere videres
Lumen ut ingestum reji, quae corpore raro
Constet. At id non fit. Quare inspectare secundam
Est operae pretium. At tibi si dabo funditus istam
Eversam, tunc ista tuae sententia mentis
Falsa erit. Hoc rarum si haud est penetrabile, oportet
Sint certi fines, quos tendere non sinat ultra
Rem sibi pugnantem, seseque retro inde refundat
Alterius jubar, ut per vitrum, ubi bractea plumbi
Texerit huic tergum, resilit color. At modo dices,
Hic magis atque alibi jubar apparere retusum,
Quod vi rejectum magis interiore recessit.
Hunc tibi poscenti nodum experientia solvet,
Si forte hanc tentes, quae vestrae, fontis ad instar,
Dat rivos artis. Speculorum lumina bina
Accipe, et his medius fac sistas. Inter utrumque
Pone aliud speculum, quod distet longius a te,
Inveniatque tuos oculos. Conversus ad illa
Fac tibi post tergum stet vivida flamma lucernae,
Quae triplex vitrum speculorum accendat, et ipsa
Ad te se referat rejecta vitri objice trino.
Quantulacumque licet discrimina cernere lucis
Non sit rejectae, facies prout singula vitri
A te dissimili posita est procul intervallo,
Cernes, ut speculo huic aeque splendere necesse est.
Nunc ut, quae nivibus subsunt, sole icta repente,
Exspoliata colore manent, et frigore primo;
Sic, hac mente tibi exuta, stat certa voluntas
Informare alleo vivaci lumine, ut, in te
Illud ubi incurrat, pleno fulgore coruscet.
Includit coelum divina pace quietum

Corpus, perpetuo quod circum turbine fertur,
In cujus virtute jacet summae esse capaci
Conclusae spatio. Quod tot spectabile signis
Succedit coelum, accepta hinc partitur in omnes
Naturas alias passim, quas continet a se
Distinctas. Orbes reliqui, discrimine stellas
Distinctas vario amplexi, has componere fines
Ad proprios, pariterque ad semina propria pergunt.
Non secus ac jam cernis, eunt haec organa mundi;
Prout inde accipiunt, ita agunt in corpora quaeque.

Nunc tu per quod iter propero contingere, ut optas,
Verum, fac videas, ut posthac ipse tenere
Haec vada tu solus possis. Hic motus et illa
Sanctorum virtus gyrorum, non secus atque ars
Tundentis scalpri a fabro, Sic spiret oportet
A superis, commissa sibi quibus astra movere
Contigit. Ac coelum, quod tot fulgentia pandunt
Lumina, distinctum laetatur imagine pulchra,
Quam trahit a celsa volventis mente ministri,
Et consignatam reliquis consignat in astris.
Utque anima, in vestro dum degit pulvere, multa
Per membra, atque artus varios ac dispare forma,
Sese ad diversas vires dominata resolvit:
Sic sua multiplicans per stellas explicat intus,
Quae mens has agitat, bona, et una atque integra fertur.
Sese diverse pretioso corpore, cui dat
Vitales vires, virtus infusa remiscet,
In quo, ceu vita in vobis, consistit et haeret.
Naturam ob laetam, qua manat origine, mista
Virtus per corpus lucet, quo more modoque
Se per pupillas diffundunt gaudia vivas.
Effluit ex illa quidquid differre videtur
Lucem inter lucemque, haud texto ex raro et opaco,
Proque sua bonitate ea turbida claraque gignit.

III.

Qui mihi sol pectus prius inflammavit amore,
Monstrarat pulchri, dempto velamine, veri,
Dum sua confirmat, nostra argumenta refutat,
Adspectum dulcem. Jamque, ut mentem ipse faterer
Purgatam et certam, extuleram, ut magis arduus ore
Farer, quoad decuit, caput. Ast objecta repente
Est oculis visi species, quae inspecta revinxit
Me totum usque adeo, ut praesentem errata fateri
Fixerit immemorem. Ceu per pellucida, tersa
Vitrea vasa, aut per, nullo turbante, nitentes
Lymphas haud altas sic, ut fundi ima nigrescant,
Tenuia tam redeunt nostrae exteriora figurae,
Quam baccae candor, nivea qui in fronte locetur;
Sic mihi se obtulerant fari plura ora parata;
Quare me errori cepit contrarius error,
Quo vir amore arsit captus fontisque suique.
Quod simulac sensi, ratus haec simulacra repulsa
A speculis, ut cuja essent cognoscere possem,
Conversis respexi oculis; sed nulla videre
Contigit, hisque actis prae me, ducis ora petivi
Dulcis, ab his pendens, quae ardebant lumine sancto.
At mihi subridens: Noli admirarier, inquit,
Ridentem, postquam ipsa tuum puerile notavi
Judicium, quoniam tua planta insistere vero
Non credit, sed more suo te ducit inani
Conatu. Quas tu cernis sub imagine, verae
Sunt animae, huc missae, quia, quae vovere, fatentur
Se votis mansisse minus. Quare alloquere illas,
Audi, atque adde fidem dictis. Nam vivida veri
Lux, satis his faciens, a se has deflectere passum
Ullum non patitur. — Tum unam, quae visa loquendi
Plus cupida est, umbram fuit ingens ardor adire;
Et coepi, quasi quem studium nimis acre fatigat

Mussantem: O anima egregie fausta edita sorte,
Quae vitae ad jubar aeternae dulcedine abundas,
Quam qui non gustat, nunquam cognoscere possit:
Pergratum fuerit, si des mihi discere nomen
Ipsa tuum ac sortem vestram. — Quare illa parata,
Nec remorata diu, haec oculis ridentibus infit:
Nunquam noster amor portam poscentibus aequum
Claudit, non secus ac similem sibi qui jubet esse
Quemque sua ex aula. Quo me tunc tempore habebat
Mundus, virgo Deo sacrarum rite sororum
Augebam numerum; et, bene si scrutabere mente,
Non tibi celabor forma magis aucta decora,
Ac me Piccardam nosces, quae immixta beatis
Ipsa beata choris, ubi quam lentissima sphaera
Est lunae, locor hic. Quae nobis pectora solum
Exhilarata ardent divini flaminis igne,
Se duxisse hujus laetantur ab ordine formam;
Et nobis sors ista data est, quae tam ima videtur,
Quod curasse parum arguimur solemnia vota,
Et partim solvisse minus. — Tunc occupo et inquam:
Nescio quid vobis divini fulget in ore
Mirifico, prima quod vos ab imagine mutat.
Inde fuit nobis revocandi tarda facultas.
At quod tu narras, dat opem, ut cognoscere vultum
Sit mihi res levior. Sed ne hoc mihi dicere parce:
Vos, quae felices in sphaera degitis ista,
Unquam fert animus magis altas quaerere sedes,
Plura ut mirari majoraque foedera vobis
Multiplicare illic detur. — Prius illa parumper,
Cum qua tunc umbra stabat, subrisit et exin
Vultu adeo laeto respondit, ut igne caloris
Icta videretur primi: Quae dissita nostrum est
Per pectus, frater, sancti vis plurima amoris,
Dat desiderio tranquilla pace potiri,
Et facit, ut simul illa velit, quae possidet, ultra

Nil sitiens. Etenim si ferret nostra cupido,
Adspirare ultra atque magis sublimia inire,
Nostra forent vota illius pugnantia menti,
Qui nos sejunctas habet hic; quod et ipse videbis
Non cadere in sphaeras istas, ubi amare necesse
Dicas, si bene naturam perspexeris hujus
Aestus. Quin imo stat in hoc vitae esse beatae:
Stare intra fines, quos dat divina voluntas,
Cum qua de nostris quoque fit mens mentibus una.
Quare qualescumque sumus per multa gradatim
Limina, id et regno placet omni, non secus ipsi
Regi, qui nos sponte sua trahit, atque voluntas
Hujus pax nostra est. Ipsa est illud mare magnum,
Quo, quidquid creat illa, atque edit lucis in auras
Natura, assiduo motus conamine tendit.
   Tum patuit mihi, ut in coelo Paradisus ubique est:
Etsi cuncta beans supremi gratia amoris
Impluat haud aeque. Hic illorum more virorum,
Quos daps una dedit saturos, at ubi altera restat
Esca gulam alliciens, illi hanc spectare videntur,
Gratiaque est aliis de prima, ego nutibus usus
Et verbis egi, totam ut cognoscere telam
Possem, unde haec radium nondum ad capita ultima traxit.
   Perfectae ob cursum vitae, meritumque profundum
Altius in coelo, dixit, stat femina, cujus
Ad normam in terris vos inter membra teguntur,
Velaturque caput. Dulci dare corpora somno,
Et vigilare illo cum sponso tempus ad usque
Postremum cupiens, cui fiunt omnia cara
Et rata, quae pietas et amor conformat ad aequam
Illius mentem. Primaevo flore juventae,
Illam ut subsequerer, terrae bona fluxa valere
Jussi, quoque illa usa fuit, me vestis amictu
Inclusi, sectamque sequi sectaeque magistram
Certa, palam vovi. At gens plus male sueta nocere,

Quam merita, avulsit dulcis me limine claustri.
Testor ego Superos, qualis post illa dolenda
Vita mihi fuerit. Quae se lux altera monstrat
Dextra mihi fulgens, quaeque ardet lumine nostri
Toto orbis, quidquid de me sum farier orsa,
Vult de se accipias, seseque fuisse sororem
Dicit, cui capitis sacratum est tegmen ademptum.
Sed quoniam ad vestros fluctus invita reducta est
Jus contra moremque bonum, nunquam illa solutum
Cor habuit velo. Lux haec CONSTANTIA magna est,
Quae se ex Suevorum vento genuisse secundo
Progeniem narrat, quae tertia et ultima lapsi
Vis fuit imperii. — Sic illa, et voce canora
Coepit: *Ave Maria!* atque canens evanuit auras
In tenues, veluti grave per vada turbida corpus
Atque hanc, quoad potuit, cedentem nostra secuta
Est acies: ubi deflexit, quo me egerat aestus
Major, quaesivit signum et conversa petivit
Tota BEATRICEM. Illa oculos mihi perculit instar
Fulguris, ut primos ictus ego ferre nequirem;
Quae mihi caussa fuit, cur tardior ipse rogarem.

IV.

Binos pone cibos distantes atque moventes
Cor pari utrosque modo; vacuum prius ardor edendi
Conficiet quemvis, qui liber sponte sua sit,
Quam denti alterutrum admoveat. Sic agna luporum
Iram inter geminam pariter perterrita staret;
Sic duo damarum canis inter corpora restet.
Quare, si tacui dubiis exercitus aeque,
Nec me reprendam, quoniam res ipsa necessum
Hoc habuit, nec me laudo. Labia ipse premebam;
At desiderium liquide apparebat in ore,
Solaque prex vultus plus, quam distincta loquela,

Posse videbatur. — Danielis more Beatrix
Usa est, qui regis sceptro Babylona tenentis
Iram dissolvit, violenta et iniqua jubentis.
Atque ait: Haud me jam fallit te hinc inde retorquens
Cura duplex pressa intus, ut extra nulla patescat.
Tu sic concludis: Bona si durare voluntas
Certa est, cur unquam alterius violentia possit
Imminuisse modum meritis? Tibi et altera cura
Subjecit stimulos; ita enim remeare videntur
Ad stellas animae, ut sententia prisca Platonis
Innuit. Ista gravant aequali pondere mentem
Hinc atque inde tibi. Quare, quae extrema labori
Sunt tibi, queisque subest plus fellis, prima resolvam.
Qui plus ex Seraphim sese transformat eandem
In speciem, a vera quam ducit imagine patris
Supremi, Moses, Samuel atque ille Joannes,
Non Maria excepta, tu utrum velis, elige, dico,
Nemo aliis, animae quam illae, quarum ora videnda
Huc occurrerunt, scamnis considit, et aevo
Nemo minor fuerit, nec grandior; omnibus unus
Est locus, atque simul primo dant fulgere coelo,
Quod decorant, cuncti. Sed quisquis dispare norma
Dulcem ibi agit vitam, prout tangit plusque minusque
Aeternum hos flamen. Se hic exhibuere videndas
Illae animae, non quod sphaera haec sorte obtigit ipsis,
Ast ut quaerentem coelestia scamna docerent,
Quae minus adscendunt. Namque haec sola apta loquela
Est vestro ingenio, quod tantum a sensibus haurit,
Quae posthac menti committi digna putantur;
Quo magis indulget vestro Scriptura vigori,
Datque pedesque manusque Deo, et contraria vero
Accipit haec aliter. Sic sancta ecclesia pingit
Sub vultu humano Gabrielem, membra Michaeli
Appingit, sic et jusso sanare Tobiam.
Non hanc ille viam voluit calcare Timaeus,

Humanas animas cum dicit ad astra redire;
Nam suasisse sibi, quae dixerat, ipse videtur,
Istas inde ratus decisas tempore ab illo,
Quo humanos artus informavere, vocante
Natura. Ast aliter fortasse is senserit, atque
Vox sonat ac posset fieri, ut, quae intelligit ille,
Deridenda minus fuerint. Nam si ille putasset
Ad sphaeras istas laudem probrumque venire
Virtutum, quae nostra valent in semina, forsan
Nonnihil in veri signum hic offenderit arcus.
Hoc secus acceptum, jam recto tramite totum
Avertit mundum sic, ut persuaserit error
Compellare Jovis Martisque et nomen inane
Mercurii. Sed quae mentem cura altera torquet,
Est minus illa nocens; nam te haud abducere quiret
Illius improbitas a me. Si nostra videtur
Justitia aequa minus mortalibus, haec via vobis
Vestiganda, fidem exercet, non sparsa latenti est
Haereseos viro. At quoniam bene inire potestis
Ingenio freti vestro haec penetralia veri,
Te mittam, ut cupis, expletum. Si, judice te, sit
Vis, ubi, qui patitur, cogenti nil dare perstet,
Vis genus hoc animas non excusaverit illas.
Namque haud deficiet, si nolit, vestra voluntas;
Sed facit, in flamma quod vos facere usque videtis
Naturam, si quis millenis ictibus ignem
Torqueat assidue. Si flecti plusque minusque
Se sinat, illatam dubio procul ipsa secundat
Vim. Non absimili inveniens has mente fuisse,
Cum fuerit gressum ad sua claustra referre potestas.
Si mens firma illis haud cedere certa fuisset,
Quae te, Laurenti, flammata in crate manere
Passa est assatum; qua Scaevola maluit asper
Esse suae dextrae, vis unde avulserat illas,
Huc retraxisset tandem sua quamque voluntas,

Ut primum est data libertas. At pectora mente
Tam solida sunt rara nimis. Jam verba per ista,
Si bene, uti decuit, tu ista accipienda putasti,
Quae saepe ancipitem torsisset cura recursans,
Cassa cadit. Sed nunc alium tua lumina flexum
Offendunt, mente unde tua haud evadere posses;
Lassarere prius. Tu me docuisse tenebis
Id te: nunquam animam mentiri posse beatam;
Quod primo coram vero stat tempus in omne:
At dein, Piccarda, audisti diversa locuta,
Quod meminisse potes, animo Constantiam amasse
Usque sacrum velum. Frater, saepe accidit istud,
Ut quisquam, luctans praesenti exire periclo,
Fecerit invitus, quod non fecisse decebat.
Non secus Alcmaeon, qui, patre rogante, parentem
Ipse suam exstinxit, cum maluit impius ultor,
Quam minus ipse tenax patriae pietatis haberi.
Haec equidem tecum vellem tu mente volutes:
Suesse voluntati quoque vim concurrere mistam
Sic, ut purgari nequeant injuria facta.
Libera vis animi per se vitare parata est
Omne malum; ast isthuc tunc inclinare videtur,
Major ubi metus hanc moveat, si certa resistat.
Quare quae exprimitur, Piccarda fante, voluntas,
Libera sponte sua est; aliter, quam hoc nomine dico,
Accipe. Sic disces pariter nos vera locutas.

Haud aliter sancta decurrit rivulus unda
Fonte illo egrediens, quo verum profluit omne.
Pace ita composita, mihi tum utraque cura quievit.

Dulcis amantis amor primi, diva inclita, dixi
Post paulo, sermo cujus mihi pectora inundat,
Inflammatque adeo, ut magis ac magis aucta vigore
Succrescant! Non tanta mihi est data copia cordis
Prodere sensa mei, dignas ut solvere grates
Pro meritis valeat; sed qui videt ima potestque,

Ille tibi has referat. Jam sensi, ut nostra cupido
Discendi haud unquam satura est, nisi cum unica veri
Lux illa aeterni, quam extra spatiarier ullum
Haud possit verum, tenebras disperserit omnes.
Tunc ibi, ut in lustris fera, parta pace quiescit,
Hoc simul attigerit, quod apisci est apta facultas.
Nam secus omnis amor rerum cognoscere caussas
Insitus incassum foret. Istum propter amorem,
Ut scatebra, ante pedes veri sententia menti
Utrimque ambiguae emergit; naturaque mater
Illa est, extremum quae trudit ad usque cacumen
Ex colle in collem. Hic amor est, qui impellit, et hic est
Hoc quoque qui suadet te, Diva, rogare scienter;
Nam res est obscura mihi. — Fert scire cupido,
Num, si quis voti fuerit reus, et tamen istam
Plusve minusve fidem tandem laesisse feratur,
Sat facere is vobis possit sua per bene facta
Alterius generis, vestra quae lance probentur
Non minimum. — Tunc me visa est spectare Beatrix,
Plena utrosque oculos flamma coelestis amoris
Divinum usque adeo in morem, ut, mihi robore visus
Victo, terga darem, perstrictaque declinarim
Lumina, restiterimque, quasi minus utilis essem.

V.

Si praeter quem terra modum cognoscit, in aestu
Cordis amore usti tanta tibi fulguro luce,
Ut tibi jam virtus oculorum victa residat,
Noli admirari; namque hoc ex robore visus
Perfecti venit, isque cito; sua prout bona noscit,
Cognita venatur. Video jam, ut limpida veri
Aeterni tibi fax splendet, quae sola tuentis,
Visa semel, mentem succendit amore perenni.
Quodsi forte aliud vestrum seducit amorem,

Id nihil est, quam hujus signum, male cognitus index
Hic interlucens. Modo te fert scire cupido,
An, qui vota minus persolverit, ipse repensis
Muneribus aliis tantumdem reddere possit,
Omni a lite animam ut tutetur. — Talia dixit
Hujus principium cantus initura Beatrix;
Atque, ut qui coeptum haud sermonem obtruncat, ita illa
Propositum tenuit sanctum. Quae maxima dos est,
Largius indulgente Deo, qui cuncta creavit,
Inventa, apta magis bonitatem ostendere patris,
Quamque is plurimi habet, fuit haec vis libera vestri
Arbitrii in terris, qua cuncta et sola creata,
Queis lumen rationis inest, ditata fuerunt,
Et sunt. Nunc, si conjicias, voti alta patebit
Virtus, si quis fit reus, ac Deus annuat ipsi
Ultro paciscenti. Nam inter hominemque Deumque
Facta fides ubi sit, thesauri victima tanti,
Quem dico, evadit, proprioque obstringitur actu.
Quid tanti est, quaeso, pretii, quo tu ista rependas?
Nam tibi si oblatis uti bene posse videris,
Ex male sublatis igitur vis crescere belle.
   Jam quod plus refert, manifesto in lumine cernis;
Sed quia dat veniam indulgens ecclesia sancta,
Quod penitus contra , quae dixi, vera videtur,
Nunc te paulum etiam ad mensam consistere oportet;
Namque cibum rigidum, qualem te sumere jussi,
Ut bene distribuas, aliquam tibi poscere debes
Rursus opem. Tibi consilium nunc pandito mentis,
Et mea dicta tene; nam quid tibi discere prodest,
Copia ubi desit retinendi intenta tenaxque?
Istius natura sacri res convenit intra
Binas, quarum una est, qua constat victima, et una,
Quam debet promissa fides. Delere potestas
Postremam nulla est, nisi sis hanc solvere certus;
Quod sic praecise supra mea lingua monebat.

Quare etiam fuit Hebraeis offerre necesse,
Quamquam his mutandi nonnulla piaminis esset
Copia, quod nosti. Nam quae est tibi prorsus aperta
Altera, materiam dico, virtute valere
Illa potest tanta, ut dolus omnis abesse putetur,
Si quis materiam diversam subdere averet.
At non permutet pondus, quo forte gravatur,
Pro arbitrio sibi quisque suo, ni argentea clavis
Flavaque se vertant; et quaevis stulta putanda est
Mutandi ratio, nisi res dimissa vicissim
Contineat sumptam, veluti in bis triplice summa
Bis duplicem invenies. Quare quodcumque suae vi
Naturae usque adeo grave sit, ut pondere lancis
Detrahat omne genus, nulla hoc impensa rependet.
Discite, mortales, votum non pendere nauci;
Sed servate fidem, nec agat vis coeca furoris,
Ut Jephten, ubi prima illi solvenda reperta
Strena est; cujus erat potius, se egisse fateri
Prave, quam praestare fidem pejora patrando.
Sic mente est visus stolida dux magnus Achivum;
Quare flere sui decus Iphigenia coacta est
Vultus, prudentesque simul stultosque nefandi
Admonitu cultus lacrimas effundere adegit.
At vos, Christiadae, graviore incedite motu,
Neve instar pennae vos quaevis efferat aura,
Et ne credatis vos posse in qualibet unda
Sordes abluere. Antiqui Scriptura novique
Stat Testamenti; stat sancti ductor ovilis
Supremus pastor: sat vobis ista salutis
Sit via. Quodsi quidquam aliud perversa libido
Clamat, vos homines esse, haud expertia mentis
Armenta, admoneat ratio, ne, qui incola vestrae
Judaeus terrae est, vobis illudere discat.
Ne vos ardor agat lascivi more bidentis
Agni, maternum qui lac contemnit et ipse

Pro lubito simplex miscet sua proelia secum.
Haec mihi, quae placuit scriptis mandare, Beatrix.
Dein cupida, et sanctis exardens tota favillis
Illa oculis partem mundi quaesivit, ubi ora
Plus fulget vivax. Hujus reticentia, vultus
Mutatus, nova volventi ardentique rogare
Ingenio abrupit sermones; utque sagitta,
Quo missa est, stat fixa prius, quam chorda quiescat,
Sic sensi regnum nos irrupisse secundum.
Hic praeportantem tam laeta gaudia fronte
Tunc vidi Dominam, postquam se in luce locavit
Illius coeli, ut radiaverit ipse planeta
Uberius. Quodsi sese immutavit, et aureo
Igne astrum risit, quid ego mutabile nostra
Natura omnimodis animal? Ceu squamea clari
In lymphis stagni, quidquid super innat, hianti
Ore armenta petunt, escam rata: sic ego vidi
Millia splendorum lateri agglomerantia nostro,
Singulaque ajebant: Ecce illam, quae auget amores
Nostros; quoque magis propter se quaeque ferebat
Umbra, videbatur dare gaudia plena vibrante
Fulgore emisso. — Id, lector, fac mente volutes:
Si quae hic incipio, mox imperfecta relinquam,
Nullum addens verbum, qualis cruciaret egestas
Te scire ulteriora avidum? Et cognoscere quibis
Per te, quae fuerit, simulac patuere, cupido
Audire hos, fantes quae sit data cuique locato
Isthic conditio. O animans bene nate, triumphi
Aeterni sedes cui cernere gratia donat,
Ante a militia quam jusserit ista vacare,
Lumine coelorum totam spatiante per aulam
Nos sumus incensi; quare si forte voluntas
Hortatur clare rationem discere nostram,
Sponte tua hanc exple. — Sic de coetu una piorum
Vita illo dixit; pariterque est fata Beatrix:

Dic age, dic tuto et crede, haec fore dicta Deorum.
Sat bene percipio, propria qui in luce moreris,
Atque hanc ex oculis ducas; nam flamma coruscat,
Pront tu diffuso pandis tua gaudia risu,
Digna anima; at non scire mihi est, quo nomine nota
In terris fueris, nec quae dedit istius astri
Caussa gradum tibi, quod celat mortalibus ora
Alterius propter radios. — Haec pectore fudi,
Defixis oculis in lucem talia fatam.
Quare haec lucidius multo, quam fulserat ante,
Exarsit, veluti sol, qui splendore micanti
Uberius, postquam corrosit flamma vapores
Aestum mulcentes, oculis se subtrahit ipsum.
Laetitia superante magis mihi facta serena
Illa anima, involvit proprio se lumine, et almam
Mi celans penitus penitusque inclusa figuram,
Haec responsa dedit cantu referenda sequenti.

VI.

Ex quo aquilam a coeli cursu, quem est illa secuta
Juncta duci antiquo thalamum Laviniae adepto,
Compulit, aversam discedere Constantinus,
Centum annos centumque et plures nobilis ales
Grata Deo, Europae extremis consedit in oris,
Ad montes, unde illa prius digressa volatum
Flexerat; alarumque sacra tutata sub umbra
Mundum ibi, non interrupto rerum ordine, rexit,
Mutandoque vices eadem ad me denique venit.
Caesar et ipse fui, quem nomine Justinianum
Dicunt, atque volente illo, qui me icit, amore
Primo, quod superans leges et inane jubebant,
Delevi; atque prius tanto quam accingerer auso,
Unam, non binas naturas rebar inesse
Christo, istaque fide vitam contentus agebam.

At me pastoris supremi vox Agapeti
Sincerae docuit fidei sanctissima normam.
Credita res illi est; et clara in luce videnda
Nunc mihi dicta patent hujus, ratione modoque,
Quo, si quando aliquis quidquam simul asserit atque
Ipse simul negat, et falsum et verum esse videbis.
Ut primum movi vestigia cum grege sancto,
Inceptum sublime, Deo adspirante benigno,
Deduxi, incumbens totus, dum justa movebat,
Imperium me dante, meus Belisarius arma:
Cui sic juncta fuit coelestis dextera regis,
Ut mihi suaderet studio requiescere in isto.
Ad quae prima rogas, jam sat fecisse putarem
Hoc tibi responsum; at me cogit longius ire
Ejus conditio, atque aliud quidquam addere dictis.
Ut bene perspicias, justo quo jure verendum
Atque sacrum signum contra certamina tanta
Permulti moveant, et qui sibi vindicet, et qui
Abnuet adverse nitens; nunc accipe, quanta
Fecerit hoc signum cunctis venerabile virtus,
Ceperit ex illoque die, cum lumina noctem
Clausit in aeternam Pallas, huic tradere regnum
Dum studet. Haec volucris per trina ut sederit Albae
Saecula et ulterius, nosti, sua corpora donec
Pubes tergemina haud dubitavit propter eandem
Objecisse neci; nostique, quid egerit ista,
Triste Sabinarum tempus si mente revolvas,
Atque inde usque illud repetas, cum pectora ferro
Ulta suum admovit Lucretia prisca dolorem,
Per septem victrix reges, dominata propinquos
Imperio in populos: nosti, quid gesserit ipsa,
In Brennum, in Pyrrhum a claris illata maniplis
Romulidum, inque alios reges socialiaque arma.
Quare Torquatus, tum Quinctius a neglecto
Cincinno dictus, Decii Fabiique decora

Fulserunt fama, quam myrrha aspergo libenter.
Haec Arabum stravit fastum vexilla sequentum
Hannibalis, gelidas illis rumpentibus Alpes,
Ex quibus, Eridane, Italicis illaberis agris.
Hoc duce, adhuc pueri et juvenes, duxere triumphos
Scipio Pompejusque, et colli est visa dolenda,
Sub quo tu primas hausisti luminis auras.
Deinde prope aetatem, qua totius una voluntas
Coeli decrerat mundum componere pace,
Ipsam corripuit Caesar, Roma urbe rogante.
Et quid, praetergressa Varum, ad vada fluminis usque
Fecerit haec Rheni, satis Isara vidit et Hera
Sequanaque atque omnes valles, queis plenus abundat
Elabens Rhodanus. Quid, ubi est egressa Ravenna
Irrupitque amnem Rubiconem, haec gessit, id alae est
Talis, ut hanc oculi haud possent servare sequentum,
Nec scribae calamus. Contra oppida Iberica vertit
Agmen, dein propius Dyracchia moenia, et urbem
Pharsalon adeo percussit, ut usque vagatus
Ad Nili calidas luctus pervenerit undas.
Haec iterum Antandri terram Simoentaque vidit,
Unde olim exierat, bustumque ubi procubat Hector,
Atque in perniciem Ptolemaei denique somnum
Exuit; unde Jubam oppressura erupit ad instar
Fulgoris: Hesperiam dein vestram ingressa, volavit
Pompejanarum sonitu invitata tubarum.
At quod signiferum gessit comitata secundum,
In tetro latrant Brutusque et Cassius Orco,
Idque dolet Mutina, atque obsessa Perugia luget.
Nunc etiam tristis fundit Cleopatra querelas,
Quae instantem fugiens, subitam sibi traxit ab angue
Atque atram mortem. Hoc fortes ducente catervas,
Littus ad usque maris rubri discurrit et, ipso
Ductore, haec potuit mundum componere pace
Tanta, ut sacratam Janus sibi viderit aedem

Clausam. — At quod suasit vexillum talia fari,
Fecerat ante et erat facturum pro imperii vi
Mortali in terris, quod sub ditione gubernat,
Fit leve et obscurum specie, si tertius haeres
Spectandus fuerit Caesar, te judice acuto,
Et studii puro. Nam justa, aeterna potestas,
Hanc mihi quae inspirat mentem, concesserat illi.
Quem dico, laudem, quam ultam duxisset ob iram
Id dantis. — Nunc quae huc veniunt referenda, stupebis.
Dein, comitante Tito, poenas sumptura volavit
Antiquum ulta scelus. Tum vero, ubi ovile momordit
Dens Longobardus sanctum, sese illius alis
Tectum succurrisse isti, victo hoste, fatetur
Carolus in terris Magnus. Jam tu ipse videbis,
Qui sint, quos supra accuso, et quae hos crimina damnent,
Unde venit vobis cunctorum caussa malorum.
Altera communi signo pars lilia flava
Opponit, seorsim pars altera vindicat istud;
Mens est in dubio, quis major ceperit error
Alterutrum. Utatur solita pro viribus arte
Turba Ghibellini studio inflammata furoris;
Ast aliud signum quaerat sibi; non bene miles
Hoc sequitur, qui a justitia sejunxerit ipsum.
Neve hoc, Guelphorum turba stipante suorum,
Carolus iste novus sternat, verum horreat ungues,
Qui mage sublimi vellus vulsere leoni.
Jam saepe ob culpam nati flevere parentum;
Nec mutaturum propter sua lilia numen
Signa putet. Parvi decus hujus sideris ornant,
Quae nullos unquam detrectavere labores,
Gnavae animae, aeternum ut veniat post funera nomen.
Namque ubi curae isthuc tendunt, et tramite oberrant
Huc illuc vario, pariter veri ignis amoris
Et minus atque minus vivax adscendat, oportet.
Ast haec cum merito commensis pignora nostro

Pars est aetitiae, quia nec majora videmus,
Nec minus ampla dari. Hinc judex ita temperat aequus
In nobis pectus mulcendo, ut nulla cupido
Nos unquam ad studium deducere possit iniquum.
Diversi vocum sonitus modulamine dulces
Dant numeros; pariter scamna haec diversa potitos
Hac vita, istarum harmonia resonante rotarum,
Dulce beant. Hujusque inclusum lumine baccae
Romaei est lumen, cui grandia pulchraque facta
Cesserunt male apud male gratos; sed neque risit
Adversans Narbo. Quare pede claudicat ille,
Qui nocitura sibi alterius benefacta putavit.
Bis geminas habuit natas Ramundus, avito
Nomine, quod dederat gens Berlingaria, notus,
Omnes reginas, ignobilis ac peregrini
Cura Romaei. Deinde ore sat ille superbo
Hunc justum totam rationem evolvere jussit,
Bis ubi sena dedit, quae res bis quina ferebat.
Inde hic cessit inops et multis debilis annis
At si magnanimi mundus cor nosset, in omne
Mendicati aevum frustatim quamlibet escam,
Laudatum valde magis hunc efferret ad astra.

VII.

Sis nobis tutela, Deus, ter sancta potestas
Pugnas pugnantum ac virtutum, luce beatos
Qui clara affulgens ignes haec scamna tenentum
Illustras totos. Vocalem ita visus, ut ante,
Ille mihi arripuisse notam est hosque edere cantus,
Quem super expandit duplicatum flamma nitorem.
Mox ipse, atque alii rursus duxere choream:
Utque favillarum quam velocissimus imber,
Sese improviso mihi velavere abeuntes.
In dubio haerebam et mecum: dic, ipse loquebar,

Dic Dominae, guttis praesenti dulcibus omnem
Exsaturare sitim. — At toto pudor ille potitus
Pectore, conantem depromere verba soluto
Ore, Beatricem me compellare vetabat,
Ut quem debilitat somnus. Nec passa Beatrix
Balbutire diu est, verbis et talibus infit,
Illo mi radians risu, qui quemque bearet
In medio igne hominem: Te falso impervia fantem
Jam video: quare, qui poenam jure poposcit
Laesus, is ultores jure haud est passus inultos?
At tibi mox mentem expediam, tu figito dicta
Haec animo; mea enim magni sententia doni
Instar erit. — Qui vir non venit lucis in oras
Prognatus, frena illa indignans apta volenti
Virtuti, sese damnatus perdidit, una
Damnavit genus omne. Ideo per saecula multa
In magnis jacuit gens strata humana tenebris
Aegra, Dei Verbo donec descendere visum est,
Junxit ubi persona hujus sibi sponte rebellem
Naturam auctore a proprio longeque remotam,
Aeterno tendente arcum tantummodo Amore.
Fac nunc advertas et, quae dicam, accipe mente.
Ex nihilo ista creata recens natura parenti
Juncta suo, qualis ficta est, fuit integra, justa;
At propriam ob noxam regno est depulsa beato;
Nam sese a vero vertit vitaque priore.
Poena igitur, quam crux subeundam praebuit illi,
Si commetiri est naturam, quam sibi sumpsit,
Cum poena, nullum tanto unquam jure momordit.
At pariter nunquam ulla fuit tam injuria poena,
Si tu personam, quae se compressit in istam
Naturam, inspicias. Ex uno simplice facto
Diversa exstiterunt. Placuit mors una Deoque
Judaeisque: ob eam tellus concussa tremore
Horruit, et portas patefecit regia coeli.

Ne mirere ultra, si quem sic farier audis,
Ultores irae justae justam esse cohortem
Ultam. Ast implicitam tibi mentem haerescere nodo
Districtam vario video, quo magna cupido
Hanc extricatam exspectat. Tu talia tecum:
Haec audita mihi facile est advertere mente;
Sed me caussa latet, cur solum hac arte redemptos
Nos Amor is vellet. Frater, manet ista sepulta
Lex oculis cujusque hominis, cui flamine sancti
Nondum etiam ingenium flammis adolevit amoris.
Ingenue ipsa quidem, nam huc spectant multa virorum
Consilia, atque parum sunt internoscere verum
Apta, loquar, quare fuerit ratio ista legenda
Digna magis. Quae omnem bonitas divina repellit
Livorem, proprii tota ardens ignibus ignis
Flammat ita, aeterni ut diffundat ubique decoris
Divitias. Quidquid privum modo manat ab ipsa,
Nunquam deletur. Neque enim hujus signa moventur,
Quae semel impressit. Quidquid privum impluit ipsa,
Non comitante alia caussa, manet omne solutum
Servitio (neque enim a rerum virtute novarum
Id pendet) plus huic sese conformat eoque
Plus placet. Ardor enim sanctus, luce omnia lustrans,
In quem plus similem sibi adit, vivacius igne
Fulgurat. Humanae cuncta haec dant crescere stirpi;
Deficiente uno, simul ipsa minuta necesse est
Nobilitate cadat. Quae libertate carentem
Hanc facit, est culpae labes; haec unica caussa est,
Diversam a summo quae ipsam deformat Amore;
Namque parum istius lucis se luce colorat:
Et nunquam in decus antiquum sese ipsa reponet,
Ni plenum instauret, quod culpa reliquit inane,
Accumulans justas contra mala gaudia poenas.
Vestra ubi se in proprio maculavit semine totam
Natura, istorum est ornatu exuta decorum,

Et pariter procul a Paradisi sede beata
Pulsa; nec amissam sortem reparare potestas
Huic fuerat, bene si advertas, ratione modove
Ullo, ni ipsa vadum ex istis transmitteret unum;
Aut Deus indulgens culpam dimitteret istam
Solus, vel natura suo medicata furori
Vestra esset. Modo tu in barathrum defige profundum
Consilii aeterni visum, et mea collige dicta,
Intentaque tuis pro viribus accipe mente.

Limitibus finita suis humana propago,
Sat facere haud unquam poterat, nam copia deerat
Quam minimum inferius descendere, in omne futurum
Tempus parendo, quando se tollere in altum
Obsequiosa minus voluit. Nunc caussa patebit,
Cur generi humano noxae via clausa piandae est.
Ergo vias aperire suas coeleste necesse
Numen erat, lapsique hominis succurrere vitae,
Integra ut huic fieret; via seu foret utilis una,
Sive ambae. At quoniam tanto jucundius esse
Fertur agentis opus, quanto manifestius ampla
Elucet bonitas cordis benefacta parantis,
Primus Amor, propria qui signat imagine mundum,
Ut vos erigeret, voluit percurrere cunctas
Ipse vias. Nec cum veniet nox ultima terris,
Nec cum sol primum emicuit, tam utrique profundum,
Nec tam magnificum facinus fueritque foretque.
Nam supremus Amor sese largitus, ut apta
Progenies humana foret sese erigere, ultro
Largior est, quam si solus dimitteret ipse.
Nec sat justitiae ratio quaecumque fuisset
Altera, ni Deus ipse Deo generatus, Adami
Indutus carnem ingenitum decus objecisset.

Nunc curam expletura omnem, nonnulla revertor
Ad loca declaranda, ut ibi tu cernere possis
Non secus atque ego nunc. Haec tu tecum: Aëra cerno,

Humorem, terram atque ignem et mista omnia eorum
Semina corrumpi atque parum diuturna manere.
Et tamen ex nihilo fuerunt haec ipsa creata;
Quare, si verum dixi, corrupta resolvi
Haud unquam possent. — Frater, chorus ales Olympi,
Sincera haec regio, qua praesens ipse moraris, —
Qualia nunc constant, — pura atque integra creata
Haec possunt vere dici; at primordia rerum,
Quae modo dixisti, tum quae nascuntur ab ipsis,
Omnia deducunt formam a virtute creata.
Materies, ex qua constant seorsim, ipsa creata est,
Visque creata fuit per se apta inducere formam,
Insita sideribus circum informanda rotatis
Corpora. Sanctorum radius, motusque globorum
Pro cujusque habitu, cui priva potentia juncta est,
Attrahit alituum pecudumque gregisque marini
Plantarumque animas. Bonitas at summa parentis
Hanc nostram spirat vitam non conciliatam
Externis rebus, simul inspirans sui amorem,
Ut desiderio dein Patrem semper anhelet.
Hinc tibi colligere est, quare caro vestra resurget,
Si bene perpendas, quî tum fuit edita, primos
Cum primus nobis genitores condidit auctor.

VIII.

Olim haud absque suo credebat terra periclo
Formosam Venerem, quam tertia sphaera rotantem
Accipit, insanum radiis emittere amorem;
Quare ubicunque loci veteres errore vetusto
Huic struxere aras, cultam in sua vota vocantes,
Cumque Cupidine iis fuit usque in honore Dione.
Hanc etenim matrem dixere, illumque creatum,
Qui quondam infixus gremio infelicis Elisae
Sederit. Hinc ipsi ducebant nomina stellae,

Cui modo cervicem est solis, modo cernere frontem,
Unde mihi istius desumpsi exordia cantus.
Ipsam adscensurus non sensi; intrasse Beatrix
Admonuit; namque illa magis mihi visa decora est.
Ac veluti in flamma nitet inspicienda favilla,
Utque in voce licet vocem distinguere, ubi una
Atque eadem manet, atque abit exspatiata, reditque
Altera: sic alias vidi hac in luce moveri
Lampadas in gyrum properanter plusque minusque,
Aeterno prout cuique frui splendore dabatur,
Ut reor. Algenti nunquam de nube ruerunt
Perspicui, aut coeci cursu tam praepete venti,
Ut non impliciti lentique videntibus ista
Lumina sint visi, divina mihi obvia ferri,
Gyro interrupto, cujus primordia ab altis
Incepere prius Seraphim; post obvia prima
Auribus audivi *Hosanna!* tam dulce canorum,
Ut nunquam posthac repetitum audire cupido
Desinat. — Interea propius nos adstitit unus,
Et solus dixit: Cuncti indulgere parati
Hic tibi nos sumus, ut nobis gaudere facultas
Sit tibi. Nos cum principibus coelestibus unum
Circumagi in gyrum cursumque sitimque solemus,
Ad quos in terris fudisti hunc pectore cantum:
Vos, monstrante Deo, queis tertia sphaera movenda
Contigit; ac tanta nobis cor ardet amoris
Flamma, ut non sit dulce minus cessare parumper,
Dum tibi sat fiat. Postquam pudibunda modeste
Lumina converti ad Dominam, et simul ipsa benigne
Annuit, atque fidem fecit, fuit impetus illam
Inspicere in lucem, quae mi promittere tantum
Audita est donum, et: Dic, cuja es? nostra locuta est
Sensu vox impressa pio penitusque profundo.
Et quanta et qualis plus est mihi visa refulgens
Laetitia aucta nova, cum me sua gaudia fari

Vidit suadentem! Haud aliter verba edidit ista:
Non habuit me terra diu; si vita fuisset
Longa diu, mala multa forent, quae nulla fuissent.
Me tibi laetitia occultat mea, plurima circum
Quae radiat velatque tibi me animalis ad instar,
Serica fila sibi cui sunt sua fascia. Magno
Junctus amore mihi, nec deerat caussa, fuisti;
Nam si ibi mansissem, tibi veri ostendere amoris
Me plus quam frondem vidisses usque paratum.
Pars ea laeva orae, Rhodani quam perluit unda,
Mista ubi sit Sorga, me quondam tota manebat
Regem, atque Ausoniae quod cornu tecta frequentant
Baris, Cajetae, Crotonis, ubi unda Truenti
Et Verdis pelago miscetur. Jam aurea crini
Serta meo dederant, quas terras irrigat Ister,
Postquam Teutonicos parcit contingere fines;
Quaeque Pachinum inter tellus, interque Pelorum
Splendida caligat Trinacria, plusque laborat
A vento supra Catanam (nec poena Typhoei
Caussa est, sed nascens sulphur) proprios quoque reges
Vidisset. Nostro regnasset sanguine cretus
Carolus, et natae soboles generosa Rudolphus,
Ni pravum imperium, quod semper corda dolore
Subjecti torquet populi, clamare Panormi
Vulgus adegisset: Percelle, interfice, caede.
At si id prospiciat, mihi qui est germanus, avaram
Pauperiem fugeret Catalaunam, ut damna futura
Vitaret. Nam, ut vera loquar, sive ipse, necesse est,
Sive sui caveant, ne major sarcina onustae
Navi imponatur. Cujus natura propinquis
Edita munificis, descendit parca, ministrisque
Orbata est implere minus curantibus arcam.
 Dum, quam tu fundis fando, haud secus atque ego cerno,
Altam laetitiam credo te cernere, ubi omne
Desinit, exoriturque bonum, mihi gratius istud

Contingit, simul et magni est; namque ista patescunt,
Te inspiciente Deum propius. Mea pectora comples
Laetitia; sed fac doceas, qui semine amarum
Ex dulci manare queat; nam, te ista locuto,
Mens pendet magna dubitandi exercita caussa.
Vix haec fatus eram, subito cum talia reddit:
Si tibi, quod poscis, mihi verum ostendere fas sit,
Ante oculos veniet, quod nunc post terga tenetur.
Quae totum bonitas, quod gestis scandere, regnum
Volvit satque facit, qua temperat omnia, mente,
Virtute ingenita haec ingentia corpora donat.
Nec modo naturas omnes sapientia per se
Optima disposuit, verum prospexerat ipsis
Atque saluti horum. Nam quidquid percutit artus
Iste, ad propositum finem descendat oportet,
Non secus ac telum jussum contingere signum.
Ni faciat, coelum, quod obis, sic ederet omne
Inceptum, ut possis hoc aequiparare ruinae:
Idque nequit fieri, ni mens haec astra moventum
Deficeret mensque illa prior minus apta jaceret.
Visne magis nitide hoc per me cognoscere posse?
Huic ego: Nil ultra; fieri non posse fatebor,
Ut quod, opus fuerit, natura parare gravetur.
Ille autem: Modo dic, numquid pejore futurum
Conditione putes hominem, nisi civis is esset
In terris? Verum, respondi; et nulla roganda
Hic est mi ratio. Sed quomodo civis in urbe
Esse potest? Nam illic, nisi quis diversa sequatur
Munera diverse, non vivitur. Hoc dabis ultro,
Si bene praeceptor vester scripsisse putetur.
Sic is descendit pergens huc usque gradatim;
Postea conclusit: Diversas ergo necesse est
Vestrorum esse operum radices. Namque Solonis
Unus habet pectus; Xerxes hic nascitur; ille
Melchisedech; alter, qui natum perdidit, alis

Aëra tranantem. Coeli quae conficit orbes
Natura, huic cerae mortali facta sigillum,
Utitur arte sua; sed non praeponere curat
Illam illamve domum. Hinc est, ut semine eodem
Esavus natus Jacobo a fratre recedat,
Nascaturque adeo vili genitore Quirinus,
Quem Marti reddunt. Semper natura creata
Iret iter, referens mores atque ora parentum,
Si mens supremi non vinceret optima patris.
Nunc tibi id ante oculos stat, quod post terga manebat.
Verum ut cognoscas, quam sis mihi carus, id addam,
Quo te praecinctum cupio. — Natura per omnes
Aetates, ubi fortunam sibi vidit iniquam,
Ut quodvis aliud semen regione remotum
A propria, evadit minus utilis et male cedit.
Quodsi terrigenae, quae fundamenta locavit
Natura ante oculos, non contemnenda putarent;
Ista secuti homines veris virtutibus irent
Aucti. At vos in coenobium detruditis illum,
Qui fuerat natus praecingier ense cruento,
Et regem facitis, qui est dignus dicere caussas;
Quapropter legitis vestigia devia cursu.

IX.

Posteaquam ille tuus, Clementia pulchra, resolvit
Carolus ambagem mihi, coepit deinde malignas
Enarrare suum fraudes in semen ituras;
Atque ait: Ista sile ac volucres sine labier annos.
Quare nil aliud possum, nisi dicere justum
Venturum luctum vobis post aspera damna.
Et jam versa erat ad solem vita illius almi
Luminis, explentem vota omnia, ut illa Voluptas,
Sat cunctis quae sola facit. O pectora falsa,
Impiaque evasura, bono quae avertere tanto

Haud dubitatis iter, res et spectatis inanes!
Atque ecce ex illis lux altera, seque paratam
Indulgere mihi, jaculando spicula flammae,
Monstrabat. Tum oculis, ut primum, fixa Beatrix
In me, sat monuit cupidum; atque ego talia fudi:
O, quaeso, mea vota exple, sortita beatam
Vitam anima, ac certum facias me in te intima cordis
Posse repercutere. — Haec nova mi lux hactenus, imo
Ex centro, unde dabat cantus, talem edere vocem
Coepit, more viri gaudentis amore juvandi:
Illa ubi prava Italae regionis terra videnda
Considet, urbem intra Venetam fontesque minantis
Medoaci ac Plavis, tollit se vertice collis
Non alto, unde olim fax est delapsa, ruina
Aggressa ingenti vicinos. Protulit una
Me radix istamque. Vocor Cumnitia, et isthic
Fulgeo, quod placuit mihi splendor sideris hujus.
At mihi caussa meae, qua laetor, maxima sortis
Indulgenda venit, cujus non taeduit unquam;
Quod facile haud vestro fuerit fors credere vulgo.
Laetitia haec nostro praefulgens caraque in astro,
Quaeque propinqua mihi magis est, monumenta paravit
Permulta in terris magnam celebrantia famam,
Atque, priusquam abeat, hic jam centesimus annus
Quintuplicatur adhuc. Nunc disces, quam utile cedat
Viribus ingenii, pulchrisque excedere factis
Mortali, ut primam vitam nova vita relinquat.
  Non hoc, quam majus Tilaventum Athesisque recentem
Progeniem claudunt, meditatur pectore turba;
Nec, licet aspra premat clades, hanc poenitet acti.
Sed non tempus abest, quo gens Patavina paludi
Immutabit aquas, quae praeterlabitur agros
Bergae, jus contra populo in fera fata feroce.
Atque ubi se Silis Cagnano flumine miscet,
Imperio exsultans elata fronte superbus

Incedit quidam, cui jam stat rete paratum
Ipsum capturum. Flebit quoque Feltria iniquum
Pastoris facinus, tali quae labe probrosa
Fiet, ut ob similem se quemquam Malta negarit
Antra sua ingressum vidisse. Sed unius esset
Ampla nimis mensura cadi, exceptura cruorem,
Quem scis effudisse tuas, Ferraria, venas;
Et lassaretur, si cui forte uncia lance
Singula collibranda foret, quem presbyter ille
Largus donabit, studia ut sua comprobet illi
Parti; atque istius gentis bene congrua vitae
Talia dona forent. Coeli sublimibus adstant
In templis specula, ista thronos gens vestra vocavit,
Judicis alma Dei lux nobis unde refulget
Sic, ut, quae dixi, nos pondus habere putemus.
  Hic tacuit similisque alias sub pectore curas
Volventi visa est, ob, quam velut ante rotavit
Centrum ingressa, rotam. Mihi jam notae altera forma
Laetitiae praeclara oculis apparuit, instar
Arte laborati nitido sub sole balassi.
Laetantem domus alta Dei splendoribus auctat,
Non secus ac risu tellus; sed nigrior umbra
Tartarea est tanto, quanto est mens tristior ipsi.
Cuncta Deus videt, inque illum penetrasse putanda es,
O felix anima, huic dixi, ut jam nulla cupido
Suspirans ipsum tua lumina fallere possit.
Ergo voce tua, quae magnum oblectat Olympum
Cantibus assiduis ardorum mista piorum,
Quorum alae capiti senae implicuere cucullum,
Cur me non exples avidum? Nec verba manerem
Ipse tua, in te si inspicerem, in mea pectora ut ipse
Tu penetras. — Major vallis, tunc incipit ille,
Excepto pelago, quod mundum circumit omnem,
In quam se effundant undae, diversa pererrat
Littora, soli adversa adeo, ut medii ipsa diei

Conficiat callem, cum illic, qui terminat aethram
In plano medium, circlus spectetur, ubi ista
Incipit. Illud ego littus, Macram inter et inter,
Ebraeum, incolui, exiguo quod tramite Thuscum
Dividit a Ligurum populo. Ortum vergit ad unum
Occasumque quasi unum Saldarum, ac mea tellus,
Quae quondam proprio tepefecit sanguine portum.
Me haud ignara mei gens nominis appellavit
Folcum. Signa mei coelum hoc praeportat, ut olim
Hujus ego. Haud adeo exarsit Belo edita Dido,
Sichaeo pariter, pariterque odiosa Creusae,
Quantum ego, dum tulit id crinis. Non illa dolosum
Demophoonta sibi Rhodope conquesta, nec imo
Arsit ita Alcides inclusam pectore Iolen.
At non ista tamen cor nobis cura remordet,
Verum hic ridetur, non quae jam culpa redire
In mentem haud posset, sed virtus, quae ista paravit.
Hic ars suspicitur, quae astrum tanto ornat amore,
Suspiciturque bonum, per quod mens prona deorsum
Fert reditum ad Superos. Verum ut discedere curis
Pacatis penitus possis, quas attulit ista
Sphaera tibi, stat adhuc ultra procedere verbis.
Scire cupis, cujum hoc lumen, quod fulget in illa
Sic face me juxta, ut radius solaris in unda
Pura. Nunc audi: hic intus sua gaudia Rahab
Expandit, nostroque choro conjuncta, sigillo
Illius est impressa, gradum sibi nacta supremum.
Sidus in hoc, ubi apex postremus desinit umbrae,
Quam tua terra parit, Christo ducente triumphum,
Haec assumpta prior venit, meritoque decebat
Hoc aliqua in coeli sphaera mansisse trophaeum,
Per quod clareret victoria tanta lucrati
Utrisque hanc palmis. Haec primo faverat auso,
Josue ubi victor sancta est tellure potitus,
Quae minime tangit vestri praecordia Papae.

Urbs tua, quae illius planta est, qui vertere primus
Terga suo auctori est ausus, cujusque dolendus
Est adeo livor, progignit et undique fundit
Florem illum tristem, pecudes qui avertit et agnos;
Namque hic ex pastore lupum fecisse rapacem
Arguitur. Quare Scripturae verba ducesque
Magni linquuntur. Pervolvere Decretales
Unica cura est his, haec his sibi priva supellex.
Hoc est Pontificis studium, hoc, qui cardine celso
Effulgent positi, volvunt sub pectore Patres.
Nazareth haud ipsis curae est, ubi Gabriel alas
Tendit. Sed Petri templum et sacra caetera Romae,
Bustaque militiae Petri vexilla secutae
Turpi ab adulterio quamprimum libera cernes.

X.

In genitum inspiciens pariter cum flamine amoris,
Saeclorum a serie aeterna quem spirat uterque,
Primus rerum opifex, una, infinita potestas,
Quodcumque aut menti aut oculo obversatur, is omne
Ordine perfecit tanto, ut, qui viderit istud,
Nemo carere queat potiundi illius amore.
Ergo oculos attolle rotas, mi lector, ad altas,
Recta illuc mecum suspectans, vis ubi motus
Una aliam alternis icit rapido incita cursu;
Atque illic artem fac contemplere magistri
Intus amantis opus proprium, ut sua lumina ab isto
Haud unquam amoveat. Cerne, ut diffunditur inde
Circulus obliquus praesens afferre planetas,
Ut sat terrigenis fiat clamantibus illos.
Quodsi non ipsis via torta obeunda daretur,
Permulta in coelo virtus effusa periret,
Omnis et inferius vis ferme mortua staret.
Quodsi plusve minusve a tramite declinarent

Recto cedentes, valde imperfectus ubique
Ordo foret sursum ac deorsum, quo cuncta moventur.
Tu modo sede tua sedeas, ea mente volutans,
Quae leviter libas, si gaudia plena, priusquam
Deficias, o lector, amas. Tibi mensa parata est
Per me; fac dapibus per te vescaris opimis.
Namque ea materies, quam sum describere adortus,
Omne meum ad sese ingenium curamque retorquet.
Quem sibi majorem novit natura ministrum,
Omnia qui signat coeli virtute superna,
Lumine quique suo metitur temporis horas,
Illi, quam supra tibi paulo ostendimus ante,
Parti conjunctus per spiras ipse rotabat,
In quibus usque novum citius dat cernere mane;
Cumque eo eram, sed tam sensi me adscendere, quam qui
Senserit illapsam, quae motus prima ciendi
Caussa fuit, menti. Oh tu, mi divina Beatrix!
Illa repente adeo magis et magis aucta decore
Apparens, punctum ut praevertat temporis actu.
Quantam debuerit per se diffundere lucem,
Quae species in sole inerat, quem corpore inivi,
Haud distincta colore suo, sed flumine lucis,
Ingenium quamvis artemque usumque vocarem,
Non hanc exprimerem sic, ut vis cernere mentis
Hanc possit; sed credere erit, maneatque cupido
Spectandi. Quodsi nostrae simulacra videmus
Mentis radere humum, nec tam se attollere posse,
Nil mirum. Haud oculus noster solem iverit ultra.
Illic talis erat domus alti quarta parentis,
Cui semper sat is est monstratque, ut spiret, et uni
Sit genitor genito. Ne cessa solvere Soli
Agminis angelici grates, est fata Beatrix,
Qui tibi gratificans voluit te attollere ad istum
Sensibus humanis aptum. Haud pietate profunda
Quisquam composuit pectus mortale, Deoque

Sic se subjecit totum, totaque paratum
Gratus mente, anima, ut digessi, hac talia fante,
Me totum; et meus exardens se injecit in illum
Totus amor sic, ut defectum passa Beatrix
Oblito exciderit: neque eam tamen ira momordit;
Sed sic subrisit, ridenti ut in ore renidens
Limpida lux uni conjunctam in plurima mentem
Sit partita meam. Plerosque ego cernere vivos,
Vincentesque ignes sum visus, qui orbe coronae
Expanso medios nos circumiere rotati,
Voce magis dulces, quam visum luce cientes.
Sic nos Latona genitam quandoque videmus
Aëre tam gravido cinctam, ut tantum ora videnda
Ultima sit zonae. Coeli, unde revertor, in aula
Copia gemmarum pretiosa et pulchra coruscat
Talis, ut advectam haud liceat subducere regno;
Splendoresque illi resonabant cantibus illas:
Qui non tranantes illuc sibi sumpserit alas,
Notitiam hinc maneat, muto narrante, novellam.
Postquam illi ardentes modulati haec carmina soles
Ter nos circumiere, velut quae stantibus astra
Volvuntu vicina polis, mihi visus adesse
Femineus chorus est, qui nondum lege solutus
Sit choreae, taciteque arrectis auribus adstat,
Usque novas captare notas dum copia detur.
Inque uno ex ipsis, ut sensi, clara loquela
Sic coepit: Quoniam coelesti gratia abundans
Lumine, quod veri flammas accendit amoris,
Et plus augescit, quo plus cor unit amantis,
Multiplicata tibi arridet, ac tanta refulget,
Ut te per scalas isthuc adduxerit illas,
Queis sine regressu nemo descenderit unquam;
Qui tibi de propria phiala sua vina negaret
Expletura sitim, sic liber, ut agmen aquarum,
Esset, quod pronum maris haud se immittit in aequor.

Scire cupis, quae sint ornantes floribus orbem
Serti hujus plantae gaudentis pulchra tueri
Ora tuae Dominae virtute juvantis euntem
In coelum. Unus eram ex agnis, quos sanctus habebat
Grex, cui monstrat iter Caliguris nobile lumen,
Pinguis ubi crescit qui res non captat inanes.
Qui mihi dexter adest propior, mihi frater et auctor
Is fuit ALBERTUSque est ipse COLONUS; AQUINAS
THOMAS dicor ego. Reliquos si est scire cupido,
Tu me oculis fantem sequere, adscendensque beatum
Fac lente inspicias sertum. Qui fulgurat ignis
Alter, is ex risu CLUSINI erumpit, utrique
Qui sic sat fecisse foro narratur, in alto
Ut placeat regno. Nostrum qui propter honestat
Concilium, hic PETRUS est, cum quo paupercula stabat,
Thesauri ipse sui dum sanctae munera matri
Obtulit. At lampas fulgens pulcherrima serti
Istius quinta est, tantum quae spirat amoris,
Ut tellus avide exspectet, qui vera reportent.
Lux alta intus adest, adeo ditata profundo
Consilii pelago, si verum vera loquuntur,
Ut vate a tanto non surrexisse secundum
Constet. Quod juxta stat lumen, cereus ille est,
Qui illic carne gravis melius vidisse putatur
Naturam angelicam fungendaque munera Divis.
Luce alia in tenui ridet, qui templa sacrata
Christiadum orator pro vi defenderat artis,
Ex cujus scriptis proprium convertit in usum
Multa AUGUSTINUS. Nunc tu si lumina visus
Ex luce in lucem laudantis verba secutus
Tranes, octavae tibi jam sitis altera restet.
Omnigenum spectare bonum sibi gaudet in ista
Sancta anima illius, per quem pellacia mundi
Insidiosa patet docilem huic praebentibus aurem.
Corpus, quo expulsa est, sacra stat in aede Papiae;

Ipsa hanc ad pacem ex poena exilioque volavit.
Adspice praeterea, fulgentes mittere flammas
Isidori animam ardentem, Bedaeque, viroque
Majoris, vasta dum agitat sublimia mente,
Richardi. Iste est, unde tui ad me lumina visus
Se referunt, animae splendor, cui funeris hora
Tarda nimis visa est meditanti gaudia nostra.
Sigerii aeterna haec lux est, quem stramine dictus
Dicentem audivit vicus, vera aspra peritum
Invidiosa homini concludere syllogismis.
Exin, ceu certam quae machina nunciat horam,
Tunc cum sponsa Dei surgit sub mane novellum
Sponso accantatura suo, sibi ut aequet amorem,
Cujus pars unam trahit, et partem altera adurget,
Edens tinnitus numero tam dulce sonanti,
Ut bene compositum pectus turgescat amore;
Sic mihi praesignis decore est rota visa moveri,
Et cantare melos, et respondere parata,
Harmonia suavique modo, quem agnoscere non est,
Ni sedes adeas, aeterna ubi gaudia vivunt.

XI.

O stultas hominum curas! quam manca labascit
Vanae vis sophiae, quae pennis verrere terram
Vos docet! Hicce petebat jus, artemque medendi
Alter, et ille sacros spectabat tonsus honores;
Viribus hic, lingua hic regnum usurpare parabat;
Quidam furandi, quidam civilia agendi
Ardebat studio, quosdam damnosa fatigat
In Venerem rabies, quosdam tenet otium inertes.
His ego tum penitus studiis, curisque solutus
Omnibus in coelo tecum, o bene nata Beatrix,
Versabar. Venit mihi gloria tanta recepto.
Postquam quisque locum rediens devenerat illum

Circuli, ubi ante fuit, ceu cerea candelabro
Fax imposta, stetit. Tunc ante locuta lucerna
Est audita mihi subridens talia rursus
Ordiri exardens fulgenti purius igne:
  Sicut ego aeternum speculatus lumine lumen
Istius ad jubar incendor, sic cernere in ipso
Mi datur, unde fluant, quae agitant tua pectora, curae.
Tu dubitas optasque, ut sic sermone patenti
Atque explanato rursus mea verba reponam,
Ut capiat tua mens. Jam scis haec me ante locutum:
Pinguis ubi crescit. — *Non surrexisse secundum*
A tanto. — Haec mea dicta satis distinguere oportet.
  Quae rerum summam sapientia sola gubernat
Consilio tanto, ut mentis genus omne creatae
Inspicientis in hanc, ante imum tangere fundum
Quam sit, deficeret, rationis lumine victo;
Ut sponsa illius, quam sacro sanguine fuso
Junxerit ipse sibi, clamorem ex pectore ducens
Altum, sub dulcis complexus iret amantis
Tutior ipsa sibi, et magis ipsi fida, duobus
Principibus notis, gemino hanc solamine juvit,
Ipsam ut ductores hinc inde utrique praeirent:
Quorum unus Superûm totus spirabat amores;
Alter, cui vastam implerat sapientia mentem,
In terris coeli referebat imagine lucem.
Dicam unum; quicunque unum laudaverit, ambos
Dicit; uterque etenim ad metam tendebat eandem.
  Intra Tubinum et, quae collem elabitur, undam,
Quam sibi narratur sedem legisse beatus
Ubaldus, pendet clivus de monte praealto
Fertilis, exercens Perusinos frigore, et aestu
A porta solis, retroque jugum grave luget
Nuceria et Gualdus. Qua plus huic ardua clivo
Semita se frangit, sol terris fulsit obortus,
Qualis nonnunquam surgens Gangetide ab ora.

Quare si cui forte locum memorare placebit,
Non ille Ascesi (nam verbis parcius esset
Usus), sed proprio hunc Orientis nomine dicat.
Nondum etiam adveniens multum distabat ab ortu,
Cum terras aliquo recreare levamine coepit
Virtutis dives magnae. Nam talis amore
Vinxerat hunc mulier, pro qua bella aspra subivit
Junior a patre, et cui, ceu morti, ostia gaudî
Haud quisquam pandit. Sed sacro antistite coram
Atque patre hanc sibi conjunxit, quam semper amavit,
Et magis, inque dies magis. Haec sponso orba priore,
Mille ultra et centum spreta atque obscura per annos,
Ante istum sedit, nullo invitante marito.
Nec juvit, quod fama refert, sub paupere Amicla
Invenisse casa, qui securum egerat aevum
Illius ad vocem, qui totum terruit orbem;
Et constans animo frustra fuit illa, feraxque
(Stante Maria infra) ausa crucem conscendere, Christo
Indivisa comes. Sed ne ultra obscura revolvam,
Disce his prolixe verbis me scribere amantes
Jam Paupertatem et Franciscum. Laetus utrique
Vultus, mirus amor, mens concors, dulce tuentes
His oculi in sanctas rapiebant pectora curas.
  Tunc primum nudare pedes venerabilis ardet
Bernardus, tantamque avidus contingere pacem
Emicuit, cursu sibi visus tardior isse.
O male cognitae opes, o copia vera bonorum!
Nudis Aegidius, nudis Sylvester anhelat
Sectari sponsum pedibus; sic sponsa placebat.
Conjuge cum sancta incedit pater atque magister,
Quem proles humili sequitur circumdata fune.
Non huic securam frontem cor vile gravavit,
Quod natus Petro sit Bernardove parente,
Quod spretus mire, at regali pectore celsus
Durum propositum ostendit, quod dextera summi

Pontificis sanxit; quo mox praebente sigillum,
Olli turba frequens mira paupercula vita,
Quam melius caneret coelestis gloria coetus,
Creverat; et serto est per Honorium adaucta secundo
Flamine ab aeterno ductoris sancta cupido.
Utque ardens propriam pro Christo effundere vitam
Forti animo regis Babyloni ante ora superba
Oravit Christi caussam, Christumque sequentum;
Cumque minus movit praecordia gentis acerba,
Ne labor iret ibi nequidquam effusus, ad agros
Italicos rediit, foecundaque gramina fructu.
Antro marmoreo inclusus Tibrim inter et Arnum
A Christo accepit, postremi insigne sigilli,
Stigmata, quae membris binos is gessit in annos.
Posteaquam est illi visum, qui dote bonorum
Tanta hunc donarat, studioque et mente pusillum
Attrahere assumptum promissa ad praemia coeli;
Fratribus ille suam, ut justis haeredibus, aeque
Cessit commendans, qua nil sibi carius unquam
In vita fuerat, Dominam, hos hortatus, ut istam
Constanter colerent, fido istam pectore amarent;
Hujus et e gremio emissus se tollere ad auras
Spiritus egregius voluit redituque recepit
In sua se regna, istam unam decus esse feretri
Sat ducens posito. — Nunc tecum conjice mente,
Qualis erat socius cimbam servare peritus
Petri, atque explorare poli rata in aequore signa.
Dux fuit hic noster. Quare tibi nosse licebit,
Quam lectam messem ferat, hunc quae turba sequatur,
Ut jubet. At se implere nova grex istius esca
Ardet hians adeo, ut non sit prohibere potestas,
Quin per diversos saltus palatus aberret.
Quoque magis pecudes longe lateque vagantur,
Tanto ad ovile magis referunt se lactis inanes.
Nosco equidem ex istis aliquas, quae damna timentes

Pastorem stringunt; verum haec est tantula turba,
Ut satis exigui ad vestes sit copia panni.
Nunc si nostra tibi non est obscura loquela,
Si verba attentam tibi sunt immissa per aurem,
Si, quae fatus eram, revocas, contentus abibis
Ex parte; ipse etenim cernes plantam, unde secantur
Rami, et praecinctum renes ita concludentem:
Pinguis ubi crescit, qui res non captat inanes.

XII.

Postremam simulatque suis lux alma loquelam
Assumpsit labris fari ulteriora parata,
Orsa rotare molam est sanctam: nec verterat ante
Totum orbem, hanc alio quam incluserit altera circlo,
Et motum motu, et cantum cantu ipsa secundans;
Cantu, qui vincit tanto Parnassidas illas
Sirenes nostras, quanto lux prima repulsi
Splendorem radii. Veluti per mollia nubis
Aeque distantes arcus similesque colorem
Volvuntur, cum Juno jubet mandata referre
Ancillam, (exterior quoniam generatur ab arcu
Interiore arcus, ut quae fanti assonat Eccho,
Quam consumpsit amor, ceu solis flamma vapores;)
Et dant hic vulgo praesaga volvere mente,
Quae pepigisse Deum cum Noade foedera novit,
Se non ulturum posthac mundum agmine aquarum:
Sic duo serta rosis aeternis laeta moveri
Nos circum, internaeque ita respondere corona
Extima visa fuit. Postquam explicuere choream
Laetitiamque aliam ingentem (tam voce canora,
Quam luce in lucem alternis vibrante vicissim),
Gaudia testatae ac blandae atque quiescere certae
Ad tempus simul, ut, specie cum est percita dulci,
Uno ictu prohibens aditum, reseransque necesse est

Dupla oculi utatur virtus; ex corde novellae
Lucis vox venit, quae me partem egit in illam,
Unde erat, instar acus stellam spectantis; et infit:
Ille amor, unde mihi decus est, me dicere facta
Alterius ducis hortatur, quem propter eundem
Hac tanta est in laude meus. Res digna videtur,
Ut, quam unus tenuit sedem, hanc simul occupet alter;
Utque hi militiae pariter subiere labores,
Sic his aequalem splendorem gloria fundat.
Quam tanti fuerat Christo rursum instruere armis,
Lecta acies gressus post signum tarda movebat,
Raraque et addubitans. Cum Rex, qui tempus in omne
Regnat, militiae trepidae similique labanti
Consultum voluit, non quod quidquam ipsa mereret,
Sed gratis tantum; atque, ut paulo diximus ante,
Heroas geminos jussit succurrere sponsae,
Quorum acta, ac voces populum sine more vagatum
Veracem docuere viam, atque in calle stetere
Recto. Qua reserata venit placidi aura Favoni
Blanda aperire novas frondes, viridique colore
Induere Europam rursum, haud procul aequoris undas
Pulsantes littus, post quas sol, longius ire
Jussus, saepe homini cuivis sua lumina celat,
Fortunata sedet Caliguris, tuta sub amplo
Scuto, ubi succumbit simulatque simul Leo vincit.
Ortus ibi est, verae qui relligionis amator
Exstitit, humanusque suis, atque hostibus asper,
Luctator sanctus, cui mens, vix edita, plena
Sic virtute fuit viva, ut genitricis in alvo
Fecerit hanc vatem. Postquam sponsalia sacri
Propter fontis aquas hunc conjunxere, fidemque,
Mutua ubi alternis se dotavere salute;
Femina, quae fuerat pro isto spondere parata,
In somnis vidit signum mirabile fructus
Inde egressuri, verisque haeredibus aeque.

Utque foret, re qualis erat, sacer impetus illi
A Domino ductum, qui usque est dominatus in ipsum,
Imposuit nomen, quod tempus in omne remansit.
Atque ego dico istum, veluti quem Christus in horto
Agricolam posuit, suam opem laturus amice.
Nuncius iste quidem Christoque domesticus usu
Visus erat; nam primus amor, qui exarsit aperte,
Consilium huic fuerat primum, quod voce rogatus
Ediderat Christus. Vigilantem hunc saepe soloque
Invenit stratum ac tacitum, ut qui diceret: Adsum
Natus ad hoc, nutrix. — O, quo est genitore creatus,
Vere felicem! Quam vere dicta Joanna est
Mater, si in terris nota est vis nominis hujus!
Non is pro mundo, qui tot modo adire labores
Cogit, Taddaeo vestigia pressa sequentes,
Illius et flexus, cui dat magnum Ostia nomen;
At non fallacis manna compulsus amore,
Mox vasto dives doctrinae flumine magnus
Emicuit doctor sic, ut studiosus obiret
Vinetum facile expallescere, si malus illi
Vinitor affuerit. Sedem, magis ante benignam
Pauperibus justis, non quod culpanda sit illa,
Sed quod culpandus, qui degener occupat ipsam,
Non ut sectantem partiri, sive trientem
Dimidia de parte sibi daret, iste rogavit,
Non sortem sedis pinguem, quae prima vacaret,
Non decimas, quas jure dei paupercula turba
Clamat; at errantem contra sua bella ciere
Ille sinat mundum, pro quo te semine cingunt
Ter plantae octonae. Dein vi exundante profundae
Doctrinae simul, ac studii defungier orsus
Munere Apostolico, quasi quem premit alta ruentem
Vena amnem, in stirpes, quas severat haeresis, ictus
Ingeminans, illic usus potioribus armis,
Major ubi steterat vis ausa obsistere certa.

Diversa ex isto deinde emersere fluenta,
Queis riguis gaudet Christi pulcherrimus hortus,
Ut magis atque magis ducant arbusta vigorem.
Si talis bigae una fuit rota, qua stetit alma
Sponsa Dei victrix civilia proelia contra,
Te decet alterius non ignorare magistri
Virtutem egregiam, quem laudum prodigus ante
Nostrum initum tanta Thomas in luce locavit.
At via, quam primam signaverat orbita, spreta est;
Quare, ubi crusta fuit, mucor dominatur amarus.
Quae non declinans unquam vestigia proles
Legerat istius, gressu revoluta retrorsum
Sic it, ut ad talos pedis anteriora ferantur.
Sentiet ipsa quidem actutum sub tempora messis
Culturam pravam, sibi cum clamabit ademptam
Areolam lolium. Tamen hoc mihi dicere vere est:
Si cui de nostro sit cura volumine chartas
Attento scrutari oculo singlariter omnes,
Nunc etiam hic aliquam dabitur reperire legendam,
Scriptum ubi adhuc maneat: Sum nondum degener, ille
Qui soleo. At non hic Casali natus Aquaeve
Spartae; etenim noti est interpres uterque statuti,
Alter ut hoc fugiat, hujus premat alter habenas.
Hic Bonaventuram est tibi discere Balneoregi
Natum, qui, quamvis sim grandia munera functus,
Decrevi semper laevam postponere curam.
Hic stat, qui ducit praeclarum a lumine nomen;
Augustinus adest pariter, qui paupere primus
Cum turba exuerat plantas, quae fune revincta
Renes gavisa est Regi placuisse superno.
Jungitur hic Ugo sancti Victoris alumnus;
Stat simul et Petrus Hispanus, qui quinque libellis
Et septem notus claret, Petrusque Comessor,
Atque propheta Nathan, pariterque Chrysostomus olim
Metropolitanus, nec non Anselmus, et ille.

Donatus primae dignatus porrigere arti
Ipse manum. Raban est isthic, Calaberque Joachim
A latere effulget, sacro qui flamine plenus
Ventura inspexit. Tanti viri ut aemulus essem,
Fratris me hortata est comis sollertia Thomae,
Aequaque vox; mecumque mei arrisere sodales.

XIII.

Qui modo visa mihi plane dignoscere curat,
Mente sua fingat sic, ut quam fingit imago,
Dum dico, ante oculos solidae stet rupis ad instar,
Quindenas stellas, quae per diversa plagarum
Exhilarant coelum usque adeo splendore sereno,
Ut superet coeci compages aëris omnes;
Et currum fingat, cui sat sinus esse videtur
Nostratis coeli sub noctis tempus opacae,
Et sub mane novum, et nunquam temone voluto
Deficit. Os fingat cornu, quod prodit in axis
Cuspide, quem circum rota prima volumine fertur,
De se composuisse sibi duo signa sub arce
Aetherea, quo more sibi Minois, ubi artus
Ipsa suos sensit mortali frigore solvi;
Alterum et in jubar alterius radiare vicissim,
Et circumferri ambo, sic ut tenderet unum
Ante, unumque retro; atque fere sibi sideris umbram
Veri mente sua teneat duplicisque choreae
Circum, ubi constiteram, punctum se sponte rotantis.
Namque hoc est nostro tanto superantius usu,
Quanto praevertit Clanium qui vertitur axis
Axibus aethereis velocior. Haud ibi Bacchi
Thebani nomen, nec ibi Paeana canebant;
Sed tres personas natura simplice, et una
Divinas; ex his unam, quae hominisque Deique
Naturam jungit. Certo dein tempore cantus

Desiit, et turbo pariterque ea lumina sancta
Me coram steterunt aestu crescente beata.
Inter concordes lux una silentia Divos
Rumpit, quae primum mihi sancti pauperis acta
Dixerat et vitam miram, sic voce locuta:
Postquam trita fuit paleae pars una bonumque
Semen jam positum, et reliquam fert laeta cupido
Tundere. Tu credis pectus, quo ex pectore costa est,
Unde gena illius prodivit pulchra, palatum
Cujus terrigenis est tanti; pectus et illud
Hasta confossum, quod sat post fecit et ante,
Sic ut cuncta sua noxarum pondera lance
Exsuperet; quidquid natura humana potiri
Luminis est apta, infusum portasse per illam
Virtutem, quae utrumque in luminis edidit auras;
Atque ideo mihi dicta supra mirabere forsan,
Cum tibi narrabam sibi non habuisse secundum
Quem divum quinta conclusum in luce notavi.

Nunc tu pande oculos ad quae responsa dabuntur.
Et nitide adspicies tua quo sententia pacto,
Quodque ego dicebam, in verum concurrat, in orbem
Ceu centrum. Quod morte caret, quod victima leti est,
Nil praeter formae splendorem est, quam parit altus
Regis amantis amor. Nam lucis vivida virtus,
Quae sic a lucente suo meat, ut procul ipso
Nusquam abeat, neque amore illo, qui trinus in uno est,
Large gratificans effuso lumine donat
Naturis fulgere novis, quasi si ipsa resultet
A speculo, aeternumque in tempus permanet una.
Exin inferiora petens, atque ultima rerum
Saecula, descendit magis et magis usque gradatim,
Dum brevia efficiat, per quae signare volebam
Edita, quae propria educit vertigine coelum,
Seu sata, sive ullo fuerint sine semine nata.
Cera horum, quique hanc ducit, ratione modoque

Uno haud consistunt. Aeterna ita mente creata
Forma exin magis atque minus manifesta patescit
Sub signo. Quare non raro contigit, ut, quae
Planta eadem specie est, melius pejusque colono
Reddat, et ingenio diverso praedita corda
Sint vobis, simulac lucis venistis in oras.
Quodsi quis ceram deducere posset ad unguem,
Polleretque sua coelum virtute suprema,
Tota ea, quae signo lux esset inusta, niteret.
Ast illam semper mancam natura ministrat,
Non secus atque opifex longa assuetudine nactus
Artem, cui jam dextra tremit. Quodsi ardor amoris
Disponat primae claro in splendore videndam
Virtutis speciem, signetque; huic optima inesse
Cuncta operi deceat. Sic terra est digna creata
Virtute omnigena, qua humanum excellere pectus
Posset; sic gravida incessit sanctissima Virgo.
Quare mi laudanda tuae est sententia mentis:
Haud unquam ornatam virtutum dote fuisse
Naturam humanam tanta, et non affore posthac,
Quanta illas binas. Nunc si non persequar ultra,
Tu sic incipies: Cur ergo credere dignum est,
Hunc sibi non habuisse parem? Ast, ut clara patescat,
Quae res obscura est, tu tecum pectore volve,
Qualis erat? quae caussa fuit, quae suaserit illi
Poscere, ubi dictum est: *tibi poscito?* Non ego dixi
Tam tecte, ut nequeas id conjectare, fuisse
Regem, cui fuit in summis sapientia votis,
Ut regere imperii sciret satis aptus habenas.
Non ut, quot numero motores astra gubernant,
Sciret, quasque scholae tricas, et inania nectunt,
Scite extricaret. Nunc, si mea dicta notasti,
Quae facit ad regem prudentia, provida mens est
Absque pari. Huc tendo. Nunc si sat lumine claro
Surrexisse vides cur dixi, rite videbis

Hic reges tantum me designasse per orbem
Tam multos, virtus regum quam rara bonorum est.
Fac ita distinguas, quae dixi; sic quoque nosces,
Posse manere simul, quod ego fueram ante locutus,
Et quod de primo tu credis patre, simulque
De tibi dilecto et nobis. Atque istud ad instar
Plumbi sit plantis, ut lento incedere passu,
More hominis lassi, assuescas, si forte negandum
Aut affirmandum veniat, quod lumine nondum
Perspicias claro. Stultorum maximus ille est,
Qui quidquam utrimque affirmatve negatve, priusquam
Distinguat. Quare fit saepe, ut vergat iniquam
Ad partem, quam corde tenet, sententia praesens,
Dein studium obdurans innectat vincula menti.
Pejus quam frustra discedit littore, quisquis
Verum expiscari suadet sibi, nescius artis;
Namque iste haud talis, qualis fuit ante, redibit,
Atque haec, quae dico, vobis testantur aperte
Parmenides, Brixus, mensque obfirmata Melissi,
Et multi, ignari, quo tendant, quove resistant.
Hos inter fuerat, mihi crede, Sabellus, Arius
Atque illi stulti, gladiorum more secare
Scripturas ausi, torta sub imagine rectos
Monstrantes vultus. Nimium secura minutae
Nondum etiam sit mens plebis, cum judicet, ut qui
Aestimat in sulco segetes, ubi messis in herba est,
Namque hiemem totam vidi rigidumque feroxque
Stans prunum, quod deinde rosas in vertice habebat;
Et celerem rectaque via vada salsa secantem
Cognovi pinum, quae portus limine in ipso
Disperiit. Quae nata fuit, deducere lanam,
Bertha, aut mercator Martinus, credere parcat,
Si furem videt hunc, cumulantem altaria donis
Illum, divini se posse intrare latebras
Consilii. Possit fur surgere, labier iste.

XIV.

Ex orbe ad centrum, atque ex centro fertur ad orbem
Aere cavo teretique inclusae motus aquai,
Sive hanc interior, seu caussa extraria pulset.
Haec, ego quam dico, subito mihi venit imago,
Post ubi jam Thomas finem dedit ore loquendi,
Ob similem casum, cum fati dicta Beatrix
Excepit dictis, cui visum haec edere voce est
Post illum: Huic opus est, quod non ipse indicat ore,
Nec sensu interno monstrat, cognoscere veri
Radicem reliqui. Fac, per te discere possit,
Num lux, naturae quae dat florescere vestrae,
Qualis nunc fulget, vobiscum tempus in omne
Sit mansura aeque; quodsi est mansura, docebis,
Qui, postquam renovata dabunt vos membra videndos,
Fiat, ut haud obstet, quo vos minus ista vicissim
Vestra inspectetis. — Veluti superantibus actus
Laetitiae stimulis, choreae qui circumit orbem,
Gaudet et exhilarat gestus: sic sancta corona
Utraque voce pia subitaque illecta rogantis,
Orbe rotae, mirisque modis nova gaudia pandit.
Qui queritur, certa nos hic in morte teneri,
Queis datur in coelo vita gaudere secunda,
Non videt aeternae pluviae hoc sub sole levamen.
Ille unus, binus, trinus, qui nescius ortus,
Non circumscriptus, tamen omnia circumscribens
Vivit, et aeternum trinusque et binus et unus
Regnat, — ter cujusque animae resonarat in ore
Tam dulce, ut justa mercede rependere posset
Omne genus meriti. — Tum audivi in luce minoris
Candidiore rotae vocem sermone modestam,
Qualis forte fuit Gabriele affante Mariam,
Quae sic respondit: Quam duratura beati est
Festa dies regni, tam nostri vivida amoris

Flamma diu sic hunc circum radiabit amictum.
Lux hujus pariter cum aestu procedere pergit;
Aestus cum intuitu; visque hujus tanta resultat,
Quanta est, ipsius quae gratia vincit acumen.
Ut decore insignem ac sanctam vestire licebit
Carnem iterum, si, ut quanta illa est, sic tota redibit,
Gratior evadet cunctis persona beatis.
Namque magis gliscet, quod lucis donat habere
Summus amor gratis, lucis, quae posse tueri
Dat nobis illum. Intuitus sic gliscat oportet,
Gliscat ab intuitu calor ardens, gliscat et almus
Inde fluens fulgor. Verum carbonis ad instar,
Qui mittit flammam, et vivo candore renidens
Sic illam superat, sese ut defendere perstet;
Haud aliter jubar hoc, nos undique circumfusum
Quale est, a carne exterius vincetur, in imo
Quam terra usque sinu celat; nec copia lucis
Tanta queat lassare oculos; namque organa nostri
Corporis accipient vires, ut ferre potestas
Sit, quidquid dulci mentem percellere sensu
Eximie valeat. Jam alacres chorus unus et alter,
Intentique omnes sunt visi erumpere in *Amen!*
Ut desiderium defuncti morte pateret
Corporis haud dubium; nec tantum forte sibi ipsis,
Verum et pro patris, pro caro corpore matris,
Et reliquae turbae, quam dilexere, priusquam
Aeterni fierent ignes. Atque ecce repente
Orta nitore pari superaddier altera primae
Lux circum, qualis finitor circulus aureo
Sole vehente diem; ac veluti sub vesperis horas
Primas incipiunt nova signa adscendere in altum:
Sic, ut in ambiguo stet mens, credatne, negetne
Testi oculo verum, nova circumvertier illic
Hos extra geminos orbes sunt flammea visa
Signa. — O lux verax, o lampas flaminis alti,

Ut subita et candens me circumfulsit et icit
Lumina victa mihi non ultra passa nitorem!
At tam formoso ridentique ore Beatrix
Obvia facta mihi est, ut ego inter caetera linquam,
Quae mens nostra sequi haud valuit. Hic reddita nostro
Est virtus oculo, et regna ad magis alta salutis
Translatus sensi solus duce non sine Diva.
Idque satis monuit risus majore coruscans
Flamma, quo visa est sine more rubescere stella.
Hic ego corde pio effusus, quoque omnibus uno
Sermone est uti, Superumque hominumque parentem,
Qua prece, adoravi, par est pensare novellum
Hoc donum; et mihi sacri in corde piaminis ardor
Nondum exhaustus erat, cum sat placuisse litamen
Oblatum fauste novi. Nam copia tanta
Fulgoris, tantus splendorum luce rubentum
Imber se effudit radiorum ex igne duorum,
Impetus ut fuerit clamare: O, qui Deus ornas
Sic istos! Veluti, variante minusque magisque
Lumine stellarum, distincta polum inter utrumque
Albet ita, ut doctas agitet via lactea mentes;
Haud aliter stellis stipati in Marte profundo
Bis gemini fulgor jubaris venerabile signum
Nectebat, juncti quod descripsere quadrantes
Explentes circlum. — Hic, memori quae condita mente,
Ingenium superant; neque enim, qua fulgere Christum
In cruce ego vidi, exemplum, quod imagine tanta
Sit dignum, mihi adhuc patuit reperire potestas.
At quicumque crucem sibi tollit pone secutus
Christum, excusabit mihi praetermissa, micantem
Postea ubi hoc videat candore nitescere Christum.
Ex uno, atque uno cornu summa inter et ima,
Nescia stare, ibant circum ejaculantia flammas
Lumina concursu pariter, pariterque recursu.
Non secus hic cernes recta, obliqua, incita, tarda

Multa minuta, modis miris sub lumine solis
Longa modo, modo parva suas renovantia formas,
Corpora ludere per radium, qui saepius umbra
Miscetur repens, quam gens sibi gestit apisci
Arte atque ingenio, defendens tela diei.
Ut chelys atque fides, ubi vis bene tenta resultet
Plurima, chordarum dulci modulamine tangunt
Ignaros numeri: sic crebro ex agmine lucum
Illic fulgentum melos undique conveniebat
Ante crucem, quod me rapuit, quin verba notarem.
Mente quidem sensi carmen complectier altas
Laudes, namque audita mihi est vox ista: *Resurge*
Et vince, haud secus atque sonum captantibus aure
Non perceptura, quae sit sententia dicti.
  Illic haerebam tanto defixus amore,
Hactenus ut mihi res unquam non ulla catenis
Tantum jucundis sensus devinxerit omnes.
Ausus forte nimis videar sic ore locutus,
Gaudia postponens oculis manantia pulchris,
In quos inspiciens omnis mea cura quiescit.
At si quis reputat, viva exemplaria pulchri
Eximii tanto magis affulgere decora,
Quo plus contingat sedes conscendere ad altas,
Nec me spectavisse illuc, indulgeat isti
Culpae, quam fateor, me purgaturus, et ipse
Agnoscat, me vera loqui. Nam sancta voluptas
Non hic dicta mihi est, quae conscendentibus arces
Sublimes magis atque magis sincera redundat.

XV.

  Mens bona, ubi semper, quae recte spirat amoris
Aura, liquet, veluti non aequo in corde cupido,
Suavisonam jussit citharam interrumpere carmen,
Et sanctas cessare fides, quas dextera coeli

Et premit et lassat. Cur justis obstruat aures
Hic populus precibus, qui, pauca rogare paratum
Paene illecturus, concordi mente animoque
Conticuit? Merito veniat sine fine dolenda
Vita homini cupido, bona fluxa et vana potiri;
Pro quibus aeternum se illo spoliavit amore.
Sicut per noctis tranquilla et pura serenae
Interdum subito discurrere lumine flamma,
Securosque solet visus necopina movere
Mutantisque locum stellae sub imagine fertur:
(Excipe, quod parte ex illa, unde accensa recessit,
Nil fuit amissum; ista brevi vanescit in auras:)
Haud aliter cornu ex dextro, quod pertinet hujus
Ad postrema crucis, stellarum ubi plurimus ordo
Fulgebat junctus, multa cum luce cucurrit
Astrum; nec proprium lemniscum gemma reliquit,
Sed propter tractum radiorum excurrit, et igni
Assimile est visum, quem post alabastra locamus.
Composita ore pio Anchisis sic restitit umbra,
(Majori nostrae si dignum est credere Musae)
In valle Elisia, natum cum sensit adesse.
O sanguis meus, o super omnem gratia morem!
Et cuinam, ut tibi, reclusa est bis janua coeli?
Sic illud lumen: quare tum ego totus in illo;
Dein Dominae quaesivi oculos: namque altus agebat
Me stupor hinc atque hinc; quia tali huic lumina risu
Ardebant, ut et ipse meis mihi sorte datorum
Donorum summam, Paradisi et habere viderer
Jam partem. Dein vita oculis jucunda meisque
Auribus, ad primas adjecit talia voces,
Quae non percepi; sic sensu est fata profundo.
Nec jam consulto, at quod erat celare necesse;
Nam sermo illius signum super adstitit omni
Praefinitum homini. — At postquam deferbuit arcus
Ardentis studii sic, ut, quae funderet ore,

Descensu peterent quod nostra est tangere mente,
Hoc primum audivi: Bene sit tibi, Trine, qui es Unus,
Et nostrum es tanto dignatus munere semen.
Dein: Grata et diuturna nimis jejunia, fili,
Quae sunt ducta mihi libro ex majore legenti,
Pagina ubi alterne haud reddit mutata colorem,
Solvisti, hunc intus splendorem luminis, unde
Verba tibi emitto, hac plumas tibi dante, volatum
Ausus sublimem. Quae tu modo pectore versas,
Ad me cuncta meare putas ex principe caussa
Illa, non secus ac quintusque et sextus ab uno
Exsurgit numerus, si quis satis addere novit.
Quare quis fuerim, vel cur tibi laetior esse,
Quam quisquam ex ista prodenti gaudia turba
Nunc videar, non ulla fuit tibi caussa rogandi.
Quod credis, verum est; nam plusque minusque beante
Quae fruitur vita turba omnis suspicit illud,
In quo tu speculo pandis tua sensa, priusquam
Haec animo volvas. Verum ut sacri ignis amoris,
Qui vigilare jubet pascentem lumina viso
Perpetuo et desiderio me suaviter urit,
Plenius expletus maneat, vox libera, laeta
Et secura sonet, quae vis aut corde volutas,
Ad quae mox decreta mihi responsa dabuntur.
   Postquam respexi Dominam meque illa, priusquam
Inciperem fari, audivit, vultuque sereno
Annuit arridens, cupienti qui addidit alas.
Tunc ego sic coepi: Sapientia et aestus amoris,
Ex quo se vobis ostendit, quae regit aeque
Cuncta, et pro meritis cuncta aequat, summa potestas,
Uno respondent mensurae pondere vobis:
Nam solem propter, qui vos lustravit et ussit
Luce sua atque aestu, sic unicuique facultas
Utraque inest aeque, nihil ut simile esse feratur.
At studium, ac pariter mentis prudentia ob ipsam,

Quam nostis, caussam mortalia membra ferentum
Alis diversas suerunt imponere pennas.
Quare ego, qui vivo morti devotus, in ista
Sortis inaequalis video me lege retentum;
Atque haec caussa fuit, cur parcam solvere grates
Voce, ac laetitiae plaudam modo corde paternae.
Te precor ipse quidem, o vivax mihi flamma topati,
Hunc quae thesaurum pretiosum gemma decoras,
Per te explere tuo ut liceat mihi nomine mentem.
O mea frons, per quam venit mihi tanta voluptas
Solum expectanti, en radix tua, talia contra
Ille; ac deinde inquit: Qui primus nomina vestro
Imposuit generi, et post centum atque amplius annos
Certat adhuc primam montis superare coronam,
Is meus est natus, bisavus tibi, cui decet ore
Et factis te jam longum resecare laborem.
Antiquos intra fines Florentia stabat
Pace fruens plena, parvo contenta pudensque.
Non pictas acubus vestes, non illa corollas
Cognorat, non, femellis quae stringeret apte
Crura, periscelidem; nec quidquam, cingula praeter,
Formam fingebat. Nondum modo nata pavore
Filia torquebat patrem; nam tempora, dosque
Hinc atque inde modum nunquam transire sinebant.
Nulla domus, vacuam quam turba domestica morte
Deseruisset, erat. Nondum, qui in luminis oras,
Quidquid posset agi secreta in parte domorum,
Ederet, ortus erat tristi alite Sardanapalus.
Nondum Monsmarius monti, qui nomina primum
Duxit ab aucupio, palmam cessisse priorem
Visus erat, qui, ut nunc superatur culmine in isto
Adscensus, ita vincetur, dante urbe ruinam.
His ego vidi oculis Bertin-Belincionem ossis
Et corii ornatu vestitum incedere, et uxor
Illius numquam a speculo fucata redibat.

Del-Vecchium et Nerlum contentos simplice pelle
Vidi, et matronas fusum pensumque trahentes.
O fortunatas! Tumuli secura paterni
Singula erat. Necdum ulla thoro deserta jacebat
Gallorum ob gladios. Pueri cunabula propter
Altera sidebat, verbis solata quietem,
Quae quondam patrum linguam matrumque juvabant.
Atque colo mollem deducens altera crinem,
Fallebat somnum, turba prope stante suorum,
Iliacas memorans Fesulasque urbemque Quirini.
Tum Cinguella, Lapus cognomine Saltarellus
Nostro illi populo portentum tale fuissent,
Quale foret vestro Cornelia, Cincinnatus.
His ita tranquillis, ita pulchris moribus urbis,
Tam fido populo, hospitio tam dulci et amico
Me dono dederat, genitrice vocante, Maria,
Et veteri ex vestro sacrato fonte renatus
CACCIAGUIDA fui, fratre et consorte Moronto
Atque Elisaeo. Prognata in fluminis ora
Eridani conjux venit mihi. Nomen ab illa
Filius is duxit, cujus tu nomine gaudes.
Induperatoris dein sum vexilla secutus
Conradi, ense latus qui mi praecinxit, honore
Dignatus tanto propter benefacta merentem.
Contra nequitiam sum illum comitatus euntem
Legis, qua populus tellurem usurpat et urbem,
Pastoris culpa, quas vobis jura dederunt.
Atque ita mi gentem fuit extricata per illam.
Haec anima ex mundo praesenti fallere, cujus
Insidiosus amor multorum pectora turbat,
Atque ex martyrio ad pacem fuit exitus hancce.

XVI.

O curanda parum deducta a sanguine nostra
Nobilitas, si humana doces jactare vetustum
Pectora te propter decus hic, ubi languet amoris
Flamma boni, nunquam fuerit mirabile visum
Id mihi: quo nullo declinat calle cupido
A vero, in coelo, si quid mihi gloria suasit.
Ipsa quidem es vestis, quae mox fit curta supellex,
Ut, nisi quis studeat quidquam superaddere in horas,
Te circum volitet tacitum cum forcipe tempus.
Vos, hac voce usus coepi, quam passa loquelam est
Roma prius, sed quam post non tenuere nepotes;
At quae constiterat paulum semota Beatrix
Ridenti similis, quae tunc tussivit, ubi error
Primus, ut est scriptum, suasit peccare Ginevrae,
Vos estis pater, a vobis fiducia menti
Plena meae venit, vos sic me attollitis ultra
Vires, ut major me sim. Tot fontibus haurit
Mens mea laetitiam, ut per se sit facta beati
Fons gaudî; tamen in se se tenet unda, nec arctum
Effringit claustrum. Quare, carissima origo
Prima meae gentis, majores dicite vestros,
Dicite, quae primae fuerint signata juventae
Tempora, nec pigeat vos dicere, ovile Joannis
Quantum ibi tum fuerit, quique inter millia multa
Exstiterint digni magis altis sidere scamnis.

Flantibus ut ventis flamma in carbone resumit
Vires, sic illam vidi splendescere lucem
Has ad blanditias: atque ut mage pulchra refulsit
Illa meis oculis, ita dulcius ore sonante,
Sed non, quo utuntur nostri, sermone locuta est:
Ex quo dixit *Ave!* coelo demissus ab alto
Gabriel, ad tempus, quo in luminis edidit auras
Me genitrix, quae sancta modo est, repetisse Leonem

Iste suum est visus quingentis orbibus ignis
Expletis, deciesque octonis, rursus ut ista
Sub planta arderet. Patribus cunabula primis.
Atque mihi dedit is locus, urbis ubi ultima sexta
Est regio ex cursu, quem vobis ludus equorum
Annuus absolvit. Nil de majoribus ultra.
Qui fuerint, quae caussa illis hanc suaserit urbem
Appetere, est tacuisse magis, quam dicere, honestum.
Totus ibi populus, cui vis erat apta ferendis
Armis, si incipias a Martis ad usque Joannis
Cultum, quinta tuae, quam scis modo vivere, gentis
Pars erat. Urbana at soboles, modo semine mista
Campi, Certaldi, Fighini, pura reperta est
Infimum ad usque fabrum. Sed quanto optatius esset,
Nunc quoque finitimis, quas dico, gentibus uti
Sic, ut Tresplanus tantum et Galluppius urbi
Terminus haereret, quam has intra moenia habere,
Putoremque pati pago Agulione profecti
Villici et alterius Signae orti, jam nimis acris
Ad fraudem. Nisi, quam plus degenerasse videtis,
In terris gens Augusto comperta noverca
Esset, at ut proprio genitrix non rustica nato,
Talis se jactat modo sanguine Florentinum,
Mutat, mercatur, Semipontem qui ire cupisset,
Patris ubi genitor parvae stipis aes rogitabat.
Montemurlus adhuc Comitum sub jure maneret
Contentus, Cerchique forent, ubi pastor Aconem
Convocat aere cavo populum, et fortassis amarent
Nunc quoque Valdigravi tuta otia Bondelmontes.

Congeries confusa hominum fuit usque malorum
Prima urbi labes, patinarum ut copia nostris
Corporibus; citiusque cadit, qui luminis expers
Taurus eat, quam agnus, pariter cui lumen ademptum est;
Nec raro magis ac melius, quam quina, secabit
Unica vis gladii. Si tecum fata revolvas

Lunae, Urbisaliae, ut jam defluxere retroque
Ut sublapsurae sunt res Clusique Sinaeque,
Non tibi res nova erit gentes audire ruina
Eversas, nec mira quidem, quando urbibus ipsis
Finis adest. Ut vos, sunt vestra obnoxia morti
Omnia, et haec aliqua, quae stat diuturna, latescit
In re, at vestra brevis vita est. Atque orbis ad instar
Lunam volventis, qui nudat littora et abdit,
Nec datur ulla quies; sic nunc fortuna vicissim
Vestram urbem exercet. Quare haud mirare loquentem
Me Florentinos, qui nunc capita alta ferebant,
Antiquam quorum celarunt tempora famam.
Ugos, Osmanos vidi, Graecosque Philipposque,
Atque Catellinos simul, et genus Alberichi,
Jam claros titulis, sorte inclinante superbis,
Et genere antiquo multos opibusque potentes.
Portam ultra, nova perfidiae quam pondera onustam
Tam graviter vexant, ut jam jactura gementis
Sit metuenda ratis, gens Ravignana manebat,
Unde comes Guidus, quique a Bellincione alto
Dein duxit nomen. Dominandi nulla latebat
Jam via Pressensem, atque domi Paligaius auro
Ornarat capulum. Stabat jam magna columna,
Quae niveum et maculis distinctum insigne gerebat,
Atque illi, admonitus modii quibus ora rubore
Inficit. O quales vidi, quos turgida fastu
Mens egit pessum! atque globos praedivite ab auro,
Per quos florebat coepto Florentia in omni!
Haud secus illorum sese gessisse feruntur
Patres, qui, quoties ecclesia vestra vacavit,
Ipsi in concilio stantes sibi corpus obesum
Curarant. Inflata domus, quae, — se ardua ut anguis
Attollens contra fugientem suscitat iras,
Nunc, si quis dentem ostendat loculumve sonantem,
Mitescit velut agnus iners, — tum crescere primum

Coeperat, at genere ex humili; socerum Ubaldino
Incusante suum, hanc consanguinitate propinquam
Quod sibi junxisset. Rem dicam haud credere dignam,
Sed veram: Angustam populus veniebat in urbem
Per portam, proprium cui gens Peruccia nomen
Imposuit. Quicumque gerunt insigne Dynastae
Magni perpulchrum, cujus nomenque decusque
Solatur sacrata dies celeberrima Thomae,
Inde et militiam duxere et munera priva;
Quamvis conveniat vili cum furfure plebis
Qui decus hoc hodie fulvo circumdedit auro.
Jam Guaderotti domus et domus Importuni
Stabat, et hic vicus multo pacatior esset,
Si nova ab hoc longe vicinia prorsus abesset.
Illa domus, vestri fletus fons primus, ob iram
Justam, quae tristi vos omnes funere mersit,
Quam propter vobis perierunt gaudia vitae,
Cum sibi conjunctis multo florebat honore.
Quam male, Bondelmons, fugisti ducere sponsam,
Consilio alterius captus! Nam plurima turba,
Nunc tristis, tute laetanti incederet ore,
Si Deus, ut primum portam nostrae urbis inisti,
Teque tuosque Haemae tradendos ultro dedisset!
Scilicet id decuit lapidem, qui littore truncus
Prospectat pontem, ut foret is, Florentia, vobis
Victima postremae pacis. Cum gentibus istis,
Cumque aliis pariter, tanta est urbs pace potita,
Ut nunquam luctus caussa intercesserit ulla.
Istas per gentes justum insignemque decore
Usque adeo populum vidi, ut sua lilia nunquam
Plorarit capite inverso pendentia ab hasta,
Nec per dissidium rubro maculata colore.

XVII.

Qualis, ubi Climenen adiit, sibi pignora certa
Exposcens contra linguae convicia acerbae,
Qui docuit natis minus indulgere parentes:
Talis eram ac talem me senserat esse Beatrix,
Ac sanctum lumen, quod pro me excesserat ultro
Sede sua. Quare, quae dux mihi et arbitra stabat:
Eructa flammam studii, quod pectore versas,
Dixit, et erumpat signata impressaque clare
Interiore typo; non quod quidquam addere nostrae
Notitiae per verba queas, at ut ipse suescas
Enarrare sitim, donec quis misceat undam.
O dilecta mihi, quae sic extollere, planta,
Ut, veluti mens nostra videt non posse triquetrum
Binos accipere obtusos, ita cuncta, priusquam
Eveniant, ventura vides, atque ordine cernis,
In punctum inspiciens, quo tempora convenere!
Tunc cum Virgilio junctus vestigia traxi
Per curantem animas montem ac per mortua regna,
Multa mihi gravia audivi de sorte futurae
Vitae; etsi invicto videar mihi robore septus
Ictus fortunae contra. Quare ista maneret
Cura satis contenta mihi, si discere detur,
Quae mihi fata instent; siquidem praevisa sagitta
Fit violenta minus. Luci sic ante locutae
Dixi, confessus studium prout ore Beatrix
Jusserat. Obscuris haud illa ambagibus usa est
Assuetis animum vulgi captare, priusquam
Insons indigna clausisset lumina morte
Agnus divinus, qui tollit crimina mundi;
At claris usus verbis brevibusque paternus
Ille amor inclusus proprio et sua gaudia risu
Praeportans infit: Quidquid continget in horas
Venturas, vestrae quod non se porrigit extra

Materiae tabulam, id totum sese explicat ante
Conspectum aeternum pictum: at non inde necessum
More alio sumit, quam navis sponte secundo
Flumine descendens, a spectatore sedente
Pro speculo in ripa. Venit inde, ut fertur ad aures
Dulcis ab organico sonitus, tibi sorte parata
Tempestas spectanda mihi. Ut discessit ab urbe
Hippolytus patria crudelis fraude novercae,
Sic te proripias profugum Florentia oportet.
Insidet hoc animis, agiturque, et mox bene cedet
Volventi hoc, ubi stat semper mercabilis aere
Christus; et offensam partem, ut fit, culpa sequetur,
Judice vulgari fama; sed proxima poena
Testis erit veri caussam ulciscentis iniquam.
Omnia, quae fuerunt tibi pignora cara, relinques;
Atque hoc, exilii quod primum conjicit arcus,
Est telum. Disces, ut sal sapit acre palato
Alterius panis, quam sit via dura terenti
Alterius scalas, sursum deorsumque meando.
Quodque magis duro tua pondere terga gravabit,
Improba erit comitum delabens turba tuorum,
Cum qua tu pariter vallem laberis in istam.
Nam male grata tibi, et coeca deperdita mente,
Impiaque adversans ruet in te tota; sed ipsa
Post paulo incedet tristi suffusa rubore.
Exitus insani motus sic acta probabit,
Ut pulchrum fuerit tibi consuluisse seorsim.
Primum perfugium, hospitii spes prima quieti
Veronensis erit magni natura benigna
Portantis scalam, sancto super alite stante.
Hic te respiciet tam humanus, ut inter utrimque
Dantem ac poscentem, qui alias solet esse secundus,
Hic deprendatur primus. Deinde ipse videbis
Hujus ita imbutum fortis virtute planetae
Natali a primo puerum, ut praelustria facta

Exspectes. Nondum id gentes sensere, novellam
Aetatem propter, quem circum sidera tantum
Explerunt novies orbem. Verum arte priusquam
Guasconius prava Henricum deceperit altum,
Illius erumpet multas missura sagittas
Virtus, aspernata aurum, aspernata laborem.
Magnificae splendor vitae quoque lumine claro
Eminus, ac late sic effulgebit, ut hostes
Haud possint tacitis hunc praetermittere linguis.
Hunc tibi fac maneas, hujus benefactaque speres.
Hunc propter faciem mutabit plurima turba,
Dives ubi ac pauper versa vice transiget aevum.
Deque illo tibi corde feres haec scripta sub imo,
At non narrabis. — Tum vero talia dixit
Non habitura fidem coram cernentibus ista.
Insuper haec addit: Sunt haec, me interprete, fili,
Quae gravia audisti, perpessa, et facta dolosa
Abdita, quae emergent paucis labentibus annis.
Non tamen invideas vicinis; nam tibi vita
Plus diuturna foret, quam tempus crimina tantae
Perfidiae ulturum. — Postquam subtegmina telae,
Stamine quam intendit, se sat duxisse, silendo
Sancta anima ostendit, coepi, ut qui fluctuat anceps,
Consilium poscens quem spectat, vultque seorsim,
Atque amat. Haud equidem, pater, ignoro, ut pede tempus
Veloci properet me caedere vulnere, multo
Asperiore homini, cui mens jam deficit aequa.
Quare si caveam, bene erit, ne, patria adempta,
Quod mihi plus carum est, alias mea carmina propter
Amittam sedes. Loca per sine fine dolenda,
Per montem, cujus jucundo a culmine Divae
Lumina pulchra meae me deduxere, per astra
Ex luce in lucem didici, quae, vera referre
Cum sim ausus, multis fuerint acri aspra sapore.
Quod si subtimidus veri deprendar amicus,

Inter eos timeo ne vitam amittere cogar,
Antiquum quibus est, quod praesens labitur, aevum.
Lux, sub qua risum pandebat copia tanti
Thesauri mihi ibi inventi. primum ore corusco
Fulsit, ut aurato in speculo flamma ignea solis.
Exin respondit: Tenebrosi conscia facti
Sive suo sive alterius mens tacta pudore,
Sentiet ista quidem verborum tela tuorum.
Tu tamen. amota fingendi qualibet arte,
Quidquid vidisti, manifesta luce locabis,
Et sine, ubi prurit scabies, ibi scalpere quemque;
Quodsi forte labris tenus invenietur amara
Vox tua, vitalem succum concocta relinquet.
Iste tuus mugitus erit, ceu flamina venti,
Quae majore ictu magis alta cacumina pulsant;
Idque hominis fuerit generosum pectus habentis.
Propterea sphaeris licuit tibi cernere in istis,
In monte, in dirae nigra formidine vallis
Tantum animas, quarum sunt nomina cognita fama;
Nam mens illius, qui fanti accommodat aures,
Nescit stare, fidem neque habet, si exempla sequantur,
Quorum sit radix plerisque ignota latensque,
Aut si res minime claro se lumine prodat.

XVIII.

Intus jam secum gaudebat vita beata
Illa; ego gustabam, quae mecum corde movebam,
Dulce acri miscens; at, quae me ad templa trahebat
Alta Dei, mulier: Muta, quam pectore volvis,
Curam, ait; id reputa, propius me adstare levantem
Omni animas onere injusto. — Haec pia verba profatum
Solamen mihi suspexi; at quo lumina amore
Arderent sancto, minus aptus dicere mitto;
Non modo, quod verbis male fidam, sed quia mentis

Virtus haud posset, nullo ducente, regressum
Per se ferre illuc. Id tantum dicere quirem,
Me, dum nostra acies visum pascebat in illa,
Omni alia cura pectus gessisse solutum.
Dum recta in Dominam radians aeterna voluptas
Explebat suspectum oculi pulchro ore secundum,
Illa ait unius domito mihi lumine visus:
Respice et ausculta; neque enim modo cernere nostri
Dant Paradisum oculi. — Veluti hic quandoque videmus
In vultu sensum mentis, si est tantus, ut omnes
Auferat huic vires: sanctae sic lucis in igne,
In quem respexi, fuerat mihi lecta cupido
Hortata hanc mecum ulterius non pauca profari:
Hisque infit verbis: In quinto hoc limine plantae,
Vivere cui vertex donat, quae fructibus usque
Luxuriat, nec fronde una spoliabitur unquam,
Felices habitant animae, quae, regna priusquam
Haec devenerunt, magna sonuere per imum
Fama orbem, ut quaevis Musa exsultaret opima.
Quare, si inspicias venerandi in cornua ligni,
Cujus ego nomen dicam, ille ibi fulguris instar
Splendebit celeri findentis nubila flamma.
Per crucem ego adspexi jubar unum, nomine tantum
Josuis audito. Subito qui eruperit ignis,
Nec dictum ante mihi, quam factum, nosse facultas
Est data; et excelsi Macabaei ad nomen, adactum
Vidi alium magno circum sese orbe rotantem;
Vimque a laetitiae ducebat verbere turbo.
Caroli ita est magni pro nomine, Rolandique
Nostra acies sectata duos, ceu suspicit auceps
Falconem, rapidis qui sese sustulit alis.
Deinde Guilelmus simul et Rinoardus et ille
Sub Solyma ductor Godofredus lumina ad istam
Nostra crucem traxit, Guiscardi et flamma Roberti.
Deinde alias inter permota immistaque luces,

Ipsius est monstrata mihi vita ante locuti,
Cantores inter coelestes apta magistra.
Tum latus in dextrum converti lumina, in ore
Aut nutu Dominae ut legerem, quid poscat honestas;
Illiusque oculos tam pura luce micantes,
Ac tam jucunda vidi, ut pulchrum decus horum
Visa prius solitumque omnino vicerit usum.
Atque ut, quem benefacta juvant, magis ille vir usque
Se magis atque magis sentit virtutibus auctum:
Sic mihi circuitu majore auxisse videbar
Arcus et coeli tractum, cum pulchrius illud
Portentum vidi: qualisque, pudore gravatum
Si levet os mulier, versa vice candida tota est:
Tale meos icit visus, ubi me rota vertit,
Sextae ob candorem stellae, quae lenius ardens
Me ingressum accepit. Jovis illo in lumine vidi
Fulgentem clare, qui est sideris incola, amorem,
Signantemque meis oculis, quae nostra loquela.
Ac veluti volucres deserta pabula ripa,
Gratantes sibi paene, petunt, nunc agmine in orbem,
Nunc structo in longum: sic intus lumina sanctae
Cantabant animae volitantes, et modo signum
D, nunc I, nunc Lque dabant in luce legendum.
Cantantes prius in numerum se quaeque movebant;
Mox versae ex istis unam effecere figuram,
Exin constiterunt et conticuere parumper.
O divae Aonides, quas propter gloria summa
Contigit ingeniis, et longum vita per aevum,
Illaque vobiscum populos fecere perennes,
Sit vestro gaudere datum mihi lumine, ut harum
Signa legam, quo quamque modo mihi mente figuram
Concepi; ex istis pateat vestra inclyta virtus
Versiculis brevibus. Se monstravere per octo
Terque novem mistas vocales, conque sonantes;
Partesque, ut videor scriptas vidisse, notavi.

Diligite est primum visum signare, secundum
Justitiam scriptum. Numeris tria claudere non est
Ultima legitimis, *qui judicatis terram.*
M dein in quinta scripturae voce locatam
Circumiere illi splendores ordine stantes
Sic, ut ibi argentum distinctum Juppiter auro
Esse videretur. Reliquos descendere vidi,
Litterae ubi vertex exstabat, ibique manere
Cantantes, credo, qui se ad se versat, amorem.
Dein, ut percussis quos ignis torribus ussit
Innumerae surgunt, oculo mirante, favillae,
Quas propter stultae sibi captant omnia gentes,
Millia splendorum sunt visa hinc surgere, et illa
Altius attolli, illa minus, prout sorte parabat
Sol illa accendens. Postquam sed singula sede
Lux stetit in propria, tunc istam effingere vidi
Eximiam flammam caput et collum alitis almi.
Qui depingit ibi, ducentem haud consulit ullum,
Sed cuncta is ducit, simul illi accepta refertur
Virtus, quae forma est nidis. Turba altera sancta,
Quae contenta prius sua lilia circumferre
M est visa mihi, modico venerabile signum
Exegit motu. — O stellae dulcissima flamma,
O quae et quanta oculis gemmarum copia nostris
Ostendit, quidquid justi versatur in orbe
Terrarum nostro, id totum descendere ab isto,
Quod decoras, coelo! Quare illi supplico menti,
Unde oritur motus flammarum visque tuarum,
Spectet eo, unde fluit vitians tua lumina fumus;
Ut plena irae iterum jamjam male mulcat ementes,
Vendentesque intus sacri penetralia templi,
Quondam ex martyriis et multis condita signis.
O vos militiae coeli, quarum agmina cerno,
Vos precibus placate Deum pro gente profana,
Quam pravum exemplum deduxit tramite recto.

Mos fuerat quondam gladiis bellare cruentis;
Nostri bella gerunt rapiendo hinc inde dolosi
Panem, quem nulli patris pia dextera claudit.
At tu, qui scribis tantum delere paratus,
Id tecum reputa, qui profudere cruorem
Hoc pro vineto, quod tu vastare laboras,
Et Petrum et Paulum quoque nunc protendere vitam,
Quamvis hoc dicas: Mihi jam stat certa voluntas,
Illum sectari, cui visum est vivere soli,
Et cujus solvit caput a cervice revulsum
Pro saltu pretium fassi inter vulnera Christum,
Nec Piscatoris, neque Pauli nomina novi.

XIX.

Ante oculos aderat pansis pulcherrima imago
Alis, exhilarans pleni in dulcedine gaudi
Consertas animas, quarum mihi singula parvus
Visa pyropus erat, sic flammans solis ab igne,
Ut mihi in adversos oculos refringeret illum.
Et quod mox opus est mihi pingere, nulla referre
Vox ausa est unquam, nulla unquam scribere dextra,
Nec potuit virtus comprendere Daedala mentis.
Conspexi audivique simul rostrum edere verba
Ac resonare *Meum* simul, et *Me* guttura fantis,
Nos ubi, vel *Nostrum* vere sententia poscit.
Et coepit: Quod vita pie casteque peracta
Est mihi, nunc isthic splendorem tollor ad istum,
Qui desiderio haud patitur se vincier ullo;
In terris ac tanta mei monumenta reliqui,
Ut gentes adeo pravae mea nomina laudent
Et tamen exemplum fugiant. Sic pluribus unus
Sentitur calor ex prunis, veluti unus amorum
Multorum sonus effigie veniebat ab ista.
Quare ego tunc: O aeternum vernantis in aevum

Laetitiae flores, vestros mihi odore sub uno
Mittentes cuncti singlariter undique odores,
Solvite, spirantes, nostrae jejunia mentis,
Quam fame torserunt longa, quia pabula nulla
Inveni in terris. Equidem me scire fatebor
Justum illum patrem, quamvis sese ipse videndum
Ut speculum ostendat coeli per caetera scamna,
Non huic sub velo sese praebere cohorti.
Scitis, ut arrectus consistam audire paratus;
Non ignoratis quaenam, male cura molesta,
Ancipitem ex longo esuries collecta moretur.
  Qualis ubi exsiluit sublato tegmine falco,
Exagitat caput atque alis sibi plaudit apertis,
Ostentatque inhians formoso in corpore robur:
Tale illud signum contextum laudibus almi
Flaminis adspexi, circum resonantibus hymnis,
Quos didicere illic, qui aeterna pace fruuntur.
  Dein: Qui supremum normam circumtulit orbem,
Totque ibi disposuit manifesta occultaque certo
Ordine, non potuit propriam sic sculpere ubique
Virtutem, sua quin spatium sapientia abesset
Longe infinitum exsuperans. Res ipsa notavit;
Nam Tumidus primus, cui perfectissima forma
Uni erat eximio, indocilis sibi poscere lumen,
Speque sua praeceps, casu est delapsus acerbo.
Atque hinc colligere est vobis, genus omne minoris
Naturae non esse Bono par fine carenti,
Quod sibi mensura est soli et quod se capit unum.
Ergo nostra acies, radio quae oriatur oportet
Ex aliquo mentis, cujus sunt omnia plena,
Natura haud potis est tanta virtute valere,
Ut non cognoscat se multo cernere primum
Principium inferius re; fitque, ut lumina, vestri
Qualia sunt mundi, sese in penetralia mittant
Justitiae aeternae, velut amplum per mare visus;

Qui. quamquam adspiciat riparum ex margine fundum,
Non hunc inveniat, pelagus si adscendat in altum;
Est tamen ille, sed abscondunt vada coeca profundi.
Lux nulla est, quae non effulserit ore sereno,
Quod nullum turbat tempus; tenebrae omnia, carnis
Umbra vel illius, dempta ista luce, venenum.

Sat modo aperta patet clare latebra illa, vigentem
Quae tibi justitiam quondam celare solebat,
Et tibi miranti suasit tam crebra rogare;
Cum tu dicebas: Quidam Gangetide in ora
Nascitur, atque illic nemo est, qui nomine Christum
Compellat, neque qui doceat scribatque legatque;
At recti huic mores, at nescia fallere vita,
Omnia facta pie, semper casta, aequa voluntas,
Quoad ratio humanae potuit pertingere mentis,
Non facti aut verbi maculavit crimine vitam:
Occidit, haud sacri ablutus baptismatis unda,
Absque fide; heu ubi justitia est, quae damnat eundem?
Aut ubi culpa hujus, si nescit credere Christo?
Ecquis es, in cathedra qui vis considere judex,
Ut rem discutias positam ultra millia centum,
Vix aptus metiri oculo spatium unius ulnae?

Certe illi. mecum qui percontatur acute,
Ni Scriptura ausis vestris praeciderct alas,
Mira quidem, fateor, dubitandi caussa fuisset.

O curvae in terras animae, o caligine crassa
Obductae mentes! Quae per se prima voluntas
Est bona perfectumque bonum, usque immota manebit:
Id justum esse puta, quod totum congruit isti.
Nulla creata, licet per se optima, res trahit ipsam;
Quin immo haec radians est istius unica origo.

Qualis, ubi saturam officiosa ciconia prolem
Agnovit, sese nido secura volutat,
Qualis et haec, quae matrem expleto ventre tuetur:
Tale fuit, me sic oculos utrosque tenente,

Sacratum signum, coram tot mentibus alas
Excutiens. Seque ultro rotans haec voce canebat:
Quale tibi melos est istud, quod nulla facultas
Est tibi discendi, tale est mortalibus illic
Consilium aeternum. Dein clara incendia sancti
Flaminis in signo pariter composta quierunt,
Per quod Romulidum est mundo venerabile nomen.
   Atque ipsum rursus: Nemo regnum istud inivit,
Qui non in solo statuit spem ponere Christo,
Aut prius, aut postquam clavis suspensus obivit.
Ast en complures, qui, *Christe,* o *Christe!* frequentant,
Quos multo minus hunc propter cum corpore vero
Josaphat adspiciet vallis, quam nescia Christi
Pectora queis fuerant; ac talia Christicolarum
Saecula Niliacae niger arguet incola ripae,
Cum duo in aversas partes collegia abibunt:
Unum in perpetuum locuples, unum omnium egenum.
   Dicere quid poterit vestris gens Persa tyrannis,
Post ubi jam coram librum inspectabit apertum,
In quo cernere erit cuncta horum turpia facta?
Hic inter titulos Alberti quisque videbit
Illum, quem calamus properabit tradere chartis,
Quem propter Pragae regnum invasere ruinae;
Nec non moerorem, quo planget Sequana ripas,
Unius ob fraudem nummos corrumpere adorti,
Quem fortis porcus fractum sub Tartara mittet.
Nec non hic rabies stabit spectanda superbam
Immissura sitim, Scotumque Anglumque furentes
Quae trahit, ut nequeant intra consistere metam;
Nec non luxuries, et mollis vita Bohemi,
Regis et Hispani, queis nunquam cognita virtus,
Nunquam accepta fuit. Claudi a Solyma hic probitatem
Signum I declarat, contraria M notat ausa.
   Hic et avarities atque excors vita patebit
Illius, ignipotens quem detestata tyrannum est

Insula, ubi Anchisis cecidit longaeva senectus.
Utque satis pateat, quam sit levis iste miserque,
Truncabit Scriptura notas, quae multa docebunt
Exiguo in spatio. Et patrui fratrisque nefanda
Facta apparebunt, per quos tam strenua pubes,
Atque corona duplex it cum grege curucarum.
Quique Tago est rex, quique Danis dat jussa proterva,
Quique typi Veneti simulavit fraude numisma
Illyricus, noscentur ibi. Pannonia felix,
Si quando ulterius vexantem ferre recuset!
O felix, si, quo praecingitur undique, monte
Sese Navarra armaret! Sic credere dignum est;
Hoc etenim didicit jam Famaugusta, simulque
Nicosia in regem pecudem queribunda susurrat,
Qui, dum alias sequitur pecudes, excedere nescit.

XX.

Quum, qui terrarum flammis opera omnia lustrat,
Nostro praecipitat semiorbe, nitorque diei
Undique conficitur, qui aether tantummodo ab ipso
Ignescit primum, multarum lumine lucum,
In quas una jubar fundit, renovata repente
Ostendit decora: atque mihi haec succurrit imago
Aetheris, ut mundi et ductorum insigne suorum
In sancto tacuit rostro. Nam spicula viva
Splendorum, magis atque magis flammantia, cantus
Coeperunt mihi pro mentis virtute caducos.
Dulcis Amor, dulci quem vestit gloria risu,
Quantus eras illis medius fulgoribus ardens,
Queis unus sanctos subdebat spiritus aestus!
Posteaquam cari lucentesque igne lapilli,
Queis sextum vidi gemmatum fulgere lumen,
Angelicis pariter fecere silentia linguis,
Amnis ego sonitum vicini audire videbar,

Qui lapides inter delabens, lucidus errat
Nativum ostentans fecundum gramine culmen.
Ac veluti a collo citharae modulamina ducunt
Formam, et ab ore cavo penetrabilis aura cicutae,
Non secus illud avis murmur, mora nec fuit ulla,
Per collum adscendit, tanquam si hoc esset inane.
Isthic in vocem se vertit, et exiit isthinc
Per rostrum ipsius, formam accepitque loquelae,
Qualem cor, in quo illa fuit mihi scripta, manebat.

Quae mea pars visu pollet, propiusque tueri
Dat vestris aquilis radiantis lumina solis,
Attente inspicienda tibi est, sic incipit illa;
Namque ignes inter, quorum in me lucet imago,
Qui in capite efficiunt oculos fulgore micantes,
Illi prae reliquis summa ad fastigia scandunt.
Pupulae in orbe meae medius qui fulgurat, ille est
Flaminis aeterni cantor, qui transtulit arcam
Ex pago in pagum; nunc discit carmina quanti
Sint sua, propterea quod vero haec pectore panxit,
Cum videat sese pretio majore repensum.
Deque supercilium quinis cingentibus, ille,
Qui mihi stat propius rostrum, solatus amaras
Est viduae lacrimas natum lugentis ademptum:
Nunc scit, quam magno constet contemnere Christum,
Hanc dulcem expertus vitam, et contraria passus.
Quique orbem sequitur, dictum mihi jam ante, sub arcu
Qui supra est, vero confossus corda dolore
Tardavit mortem. Nunc scit non posse moveri
Judicium aeternum, quamvis in crastina verti
Saepe illic hodierna queant, dum vota precesque
Huc veniant dignae. Quique adstat proximus alter,
Codice cum legum, et genti se adscribere mecum,
Consilio suadente bono quod cessit amare,
Decrevit Grajae, Pastori cedere certus.
Nunc discit, quare, quidquid deducitur aequo

Atque bono incepto prave, non possit obesse
Auctori, inde licet foret emersura ruina
Eversura orbem. Sed qui spectandus in arcu
Est tibi declivi, nomen Guilelmus habebat,
Quem pia deplorat tellus, cui Carolus atque
Fridricus vivi eliciunt ex pectore fletus.
Nunc videt, ut justi regis coelum ardet amore;
Idque etiam ipse docet vultis fulgore coruscans.
Quis, vestros inter priscis erroribus actos,
Crederet Iliacum versari Riphea in isto
Orbe oculi, et sanctis quintum sese addere flammis?
Nunc sat divinae veniae, quam cernere mundus
Non valet, iste videt, barathri licet ipse profundi
Haud oculis possit propriis descendere in ima.
Qualis per liquidos tractus spatiatur alauda
Primum voce canens, ac dein contenta silescit
Extremum modulata melos, quo expletur abunde:
Talis imago fuit mihi visa, impressa sigillo
Aeterni gaudî, quod, prout fert corde libido,
Omne facit quale est. Et quum defixus et anceps
Vitro essem similis referenti veste colorem,
Quo fuit imbutum, non longum est passa morantem;
Vique sibi propria: Quidnam hoc? mi extorsit ab ore;
Quare laetitiam ingentem fulgore corusco
Vidi exsultantem. Post haec venerabile signum
Luminibus magis accensis mihi talia reddit,
Ne me suspensum post mira audita teneret:
Ut novi, narrata mihi tu credere dignum
Esse putas, quia testor ego; at cognoscere non est,
Qui possint fieri, et te, si sunt credita, fallunt.
Stas homini similis, qui rem sat nomine novit;
Cernere at ipse nequit, quid sit, ni accesserit auctor,
Qui doceat. Regnum coelorum a flamine amoris
Vim patitur, vivaque a spe, cui victa voluntas
Divina obsequitur, non, ut qui cedere victus

Cogitur, at quia vult vinci, et sic victa benigno
Ipsa animo vincit. Quae prima, et quinta figurat
Vita supercilium, figit tibi corda stupore,
Quod superum Alituum regionem cernis ab ipsis
Ornatam. Haud isti, ut reris, sua corpora morte
Deseruere obita venerati falsa Deorum
Numina, sed Christum summa pietate colentes,
Unus passurum, passum alter. Nam unus ab Orco,
Unde redit nemo ad frugem, remeavit ad ossa,
Idque fuit merces spem vivam cordis habentis,
Sperantis, se posse Deum prece flectere blanda,
Illum morte obita ut superas revocaret ad auras.
Istaque, quam verbis compello, vita beata
Regressa ad carnem, non longum ibi jussa morari,
Illius est amplexa fidem, spes una salutis
Qui fertur; credens veri concepit amoris
Ignem, ut post mortem fuerit dignata secundam
Ista laetitia. Coelestis summa Parentis
Gratia, sic alto dimanans flumine, ut unquam
Nulla acies oculi in primam se immiserit undam,
Alterius menti illuxit, quam propter amavit
Is rectum, ac fuit in Teucris justissimus unus.
Idcirco, adspirante Deo, multo ante futurum
Is novit Christum redimentem sanguine mundum.
Credere in hunc igitur statuit, cui deinde mephiti
Vana superstitio haud potuit suffundere mentem,
Imo is perversae damnavit crimina gentis.
Huic tres pro sacro affuerunt baptismate Divae,
Quas orbe ex dextro licuit tibi cernere, mille
Pluresque ante annos quam esset baptismate nasci.
O virtus mentis, quae homines praedestinat ante
Ortum principium, quam te a radice remotam
Adspiciunt illi, queis primam agnoscere caussam
Non est fas totam! Vos, o mortalia corda,
Discite judicium vestrum compescere habenis;

Nam nos ora Dei propius manifesta tuentes
Ignoramus adhuc omnes, quos ille beandos
Legerit; et dulce est pars haec detracta levamen;
Nostrum namque bonum bonitate acquirit ab ista
Perfectam summam, et quod vult divina Voluntas,
Vult et nostra simul. Sic haec sanctissima imago,
Ut daret obtusis oculis res cernere clare,
Jucundam menti medicinam fecit egenae.
Utque bonum citharista bonus vibrantia fila
Cantorem hortatur sectarier, unde per aures
Gratior it cantus; sic, dum est mihi talia fata,
Splendores memini geminos vidisse beatos,
Non secus atque oculorum ictus concordat utrimque,
Cum verbis pariter facularum summa movere.

XXI.

Jam defixa iterum Dominae mea lumina ab ore
Pendebant animusque simul, quacumque remotus
Cura alia. Haec autem risu parcebat, et inquit:
Si modo riderem, tu qualis filia Cadmi
Ires in cinerem; nam quo plus scandere templi
Contigit aeterni scalas, plus aucta decore
Mi facies micat, ut nosti; et ni temperet, ipsa
Flammat ita, ut vis, qua polles, mortalis ad ignem
Tantum frons esset, tonitru quae scinditur uno.
Sublatos nos stella tenet, quae septima fulget
Pectore sub Nemei flammas efflante Leonis,
Quae interius virtute hujus modo mista coruscat.
Attente vestiga oculis, atque utitor illis
Ut speculo contra, quod se tibi sistit in isto
Spectandum speculo, signum. — Cuicumque daretur,
Discere, qualis erat pendentis ab ore beato
Esca mei visus, cum alio divertere jussus
Mutavi curam; facile esset fingere mente,

Quam mihi jucundum fuerit parere magistrae
Coelicolae, partem cum animus librasset utramque.
Intra crystallum, quae mundi circumit oras
Nacta ducis nomen cari, quo rege jacebat
Nequitiae omne genus, scala aurea clara micante
Sole mihi visa est se sic attollere in altum,
Ut non hanc oculo assequerer. Simul ipse videbam
Per cunctos effusa gradus tot millia lucum
Delabi, ut rerer, quidquid splendoris in aethra est,
Isthic diffusum. Ac veluti sub luce diei
Prima cornices nativo more moventur
Una, ut calfaciant torpentes frigore plumas:
Deinde aliae abscedunt, nec tangit cura regressus,
Quaque abiere, aliae redeunt, seseque rotantes
Consistunt aliae; talis splendoribus esse
Visa mihi est illis ratio; namque undique cuncti
Advenere simul, donec tetigere paratum
Unicuique gradum, et qui proximus adstitit ignis,
Usque adeo fulsit clare, ut sim corde locutus:
Quem mihi praeportas, facile est cognoscere amorem.
Ast illa, unde mihi tempusque modumque manebam
Scitandi ac studium pariter cum voce premendi,
Stat; nec consultum male erit mihi, si qua rogare
Ingratis mittam. At quae viderat ima tacentis
Illius inspiciens in vultum, qui omnia cernit;
Solve tuo, dixit, ferventem in pectore curam.
Et coepi: Haud ego sum tanti, ut, cui verba remittas,
Me dignum reputem; sed te sine flectier hujus
Promeritis, quae dat mihi poscere, vita beata
Laetitia occultata tua. Sit discere caussam,
Quae mihi te admovit propius, nec dicere parce,
Cur hoc dulce melos Paradisi cesset in orbe,
Quod tam voce pia per sphaeras diditur omnes
Inferius? — Tunc illa mihi: Mortalibus apta
Aure vales veluti visu; quare ista canorem

Sphaera tenet, caussas ob quas tenuisse Beatrix
Est tibi visa prius risum. Tantummodo lapsa
Sum sanctae gradibus scalae, tibi ut obvia fiam
Laetius accipiens verbis, ac, quo induor, igne.
Nec mihi vis major praecurrere suasit amoris;
Tantus enim, majorque animas agit astra tenentes
Aestus, ut ex fulgore patet cujusque micantis.
At qui summus amor famulas nos esse paratas
Consilio hortatur, quod digerit omnia solum,
Dat sortes isthic, quales tibi cernere fas est.
Ipse quidem video, respondi, sacra lucerna,
Quomodo liber amor satis ista regnet in aula,
Ut legem aeternae rationis cuncta sequantur;
Ast istud mihi difficile est cognoscere, quare
Te ratio ventura parans praedestinet unam
Tot tibi consortes inter, quae munere tali
Fungaris? — Nondum fueram postrema profatus,
Cum parte usa sui pro centro illa ignea lampas,
Ceu mŏla, veloci se circum turbine vertit.
Exin, intus amor qui stabat, talia reddit:
Divinae radius lucis super adstat acute
Insinuans isti, cujus concludor in alvo.
Vis hujus conjuncta meae, qua caetera cerno,
Usque adeo super extollit me, ut numinis esse,
Unde emuncta venit, videam. Hinc mea gaudia flammant;
Namque mihi visus acies, quoad clara, redundat
Aequo splendorem flammae. Sed da mihi quamvis
In coelis animam, quae plus clarescere digna est;
Da Seraphim, qui plus divini in spicula solis
Obtutus teneat fixos, tibi me ista roganti
Non satis is faciet. Nam sic se immittit in altum
Aeternae legis pelagus, quod discere averes,
Ut sit discissum quavis a mente creata.
Cumque feres reditum mundi ad mortalia saecla,
Hoc referes, ne quis nimium confiderit audax

Ad tantum se posse pedes appellere signum.
Quae mens hic lucet, terrarum est fumida in orbe;
Quare fac reputes, quî illic praestare valebit,
Quod non ipsa queant coelestibus addita Divis.
Sic mihi sermo hujus praescripsit. Quare ego misi
Quaerere, devenique illuc, ubi voce rogavi
Demisse, quaenam fuerit, dum membra gerebat.
Italiae surgunt inter duo littora saxa,
Non procul a vestrae distantia moenibus urbis,
Usque adeo, ut murmur tonitrus immugiat infra;
Gibbarem et efficiunt illum, cui Catria nomen.
Infra quam sacrata aedes deserta locorum
Sola tenet, soli cultum exhibitura supremo
Terrae ac Coelorum Domino. — Sic tertius infit
Sermo hujus; deinde haec pergens verba insuper addit:
Hic vixi servire Deo sic certus, ut esca
Solo adspersa oleo perferrem frigus et aestum
Perleviter, curam contentus figere in unam
Cor animumque, Deum meditans ac totus in illo.
Ubertim his coelis jam suebat reddere claustrum
Illud: inane modo factum est, ut oporteat omnes
Mox esse admonitos. Petrus Damianus habebam
Nomen ibi: Adriacum prope littus in aede Mariae
Olim Petrus eram Peccator. Mi breve vitae
Mortalis restabat iter, cum saepe rogatum,
Quaesitumque diu ad rubrum traxere galerum,
Qui ruit in pejus, quo hunc plus transfundere curant.
Advenere Cephas et sancto flamine plenum
Vas magnum, ambo illi pariter macri ac pede nudo,
Orantes panem cujusque ad limina portae.
At nostrae aetatis pastores brachia poscunt,
Queis fulti hinc atque hinc adscendant, brachia poscunt,
Quae se deducant, membrorum mole gravantur
Tanta, seque retro sustollant. Tegmine vestis
Quadrupedem propriae obvolvunt, ut pelle sub una

Binae ita belluae eant. Eheu patientia, quae tam
Ista diu pateris! — Sed verba sub ista gradatim
Complures vidi faculas descendere agique
Circum, illisque decus renovabat singulus orbis.
Circumiere istam ac steterunt tantoque susurro
Clamavere omnes, ut nullum quiveris isti
Isthinc assimilare sonum; nec venit ad aures
Verborum cantus, tanto superante tonitru.

XXII.

Quum tota haereret mihi mens oppressa stupore,
Quaesivi Dominam, quae me ducebat, ut infans
Confugiens semper, quo plus confidit; at illa
Ilicet, ut mater praesens succurrere proli
Pallidae, anhelanti, qua animum solet addere, voce,
Sic ait: An nescis, te coeli templa tenere?
An nescis, sanctum coelorum, quidquid ubique est?
Quaeque isthic fiunt, studio fieri omnia recto?
Quomodo concentus te transmutasset et ore
In nostro risus, nunc est tibi fingere mente,
Si tanto is clamor concussit pectora motu:
In quo si audisses carmen commune precantum,
Jam tibi nota foret, quam cernes, morte priusquam
Occumbas, poenam. Qui isthinc stat pendulus ensis,
Non cito, nec tarde caedit, nec fallere quemquam
Est solitus, praeter properantum optata, metumque
Poenam exspectantum. — Ast alias jam suspice flammas;
Nam valde illustres animas, si lumina nostro,
Ut dico, a vultu abducas, fulgere videbis.

Ut visum est illi, reliqua omnia circumspexi,
Et centum vidi globulos splendere, simulque
Pulchris se alterius radiis ornare vicissim.
Stabam more viri sub corde prementis acutum
Mucronem desiderii, nec voce rogare

Audentis: refugit fixos transire pudoris
Fines urgendo nimis; at quae maxima, quaeque
Has inter baccas nitidissima luce micabat,
Prodiit, ipsa satis per se factura studenti
Discere; et ex alvo interior vox promere verba
Haec audita fuit: Si esset tibi cernere amorem,
Ut mihi, qui hic ardet, timidus quae discere mussas,
Prompsisses; at ne, dum exspectas, tardius altum
Ad finem venias, propere responsa remittam,
Ad quae tu tanto fari prohibere rubore.
Mons, ubi Cassinus divo super insidet, olim
Gente fuit celebris multa, quae culmen adibat,
Quo malus hanc error mens et perversa trahebat.
Isque ego sum, primus qui nomen ferre sub auras
Hic studui illius, qui terris vera reclusit,
Per quae mortales adeo tolluntur in altum.
Atque hic tanta meis respondit gratia votis,
Ut mihi mox dederit cultu deducere iniquo,
Qui mundum illexit, vicinos undique pagos.
Praestantes animae, quas contemplatio ad astra
Vexit, sunt ignes alii, quos ille perussit
Aestus, qui flores ac sanctos edere fructus
In terris solet. Hic MACCARIUS, hic ROMUALDUS,
Hic adsunt fratres, qui gressum in claustra tulere
Constantes, ut ego. — Tum: Qui tibi talia, dixi,
Fanti elucet amor, simul et praesentia comis,
Quam video atque noto manifestam in quolibet igne,
Sic mihi cor fidens expandit, ut ignea solis
Virtus saepe rosam, quae, quanta est, crescit aperta.
Quare quaeso, pater, dic et da discere certo,
An speranda mihi sit gratia tanta precanti,
Ut modicum detur, posito velamine, formam
Mi spectare tuam? Tunc is mihi: Frater, abunde,
Quae sic alta cupis, venient potiunda recepto
Extremam in sphaeram, quae caetera vota meumque

Explet. Ibi quaevis perfecta, integra cupido
Et matura fuat. Tenet in se quidquid ubique est
Illa ibi sola, ubi semper erat: nam nullibi nixa est;
Non habet illa polos, sed scala haec scandit ad ipsam,
Quare sese oculo sic subtrahit alta tuenti.
Usque illuc ipsam pertingere parte superna
Isacides vidit, cum apparuit agmine pressa
Alituum coeli tanto. At vestigia terris,
Hanc ut conscendat, nemo divellere curat,
Atque ibi chartarum damno composta remansit
Regula, quam dederam. Muri, coenobia quondam,
Sunt modo speluncae facti, nostrique cuculli
Apparent sacci vitiato furfure pleni.
At Deus haud odit tantum grave foenus, ut illum
Fructum, quo monachi sic insanire videntur.
Nam quidquid servat custos ecclesia, id omne
Pauperis est poscentis opem sub imagine Christi,
Non jam cognati, nec deterioris amici.
Vestra adeo blanda est caro, ut haud satis esse putetur
Inceptum felix illic a roboris ortu
Ad glandes. Opus hoc Petrus est aggressus inanis
Argenti atque auri: jejunia nostra precesque
Francisci, ac pietas quam demississima claustri
Fundarunt proprii murum; et si coepta revolvas
Cujusque, ac repetas inde usque hoc temporis aevum,
Candida nigrantem dices duxisse colorem.
Vere versa retro Jordanis lympha recurrens
Plus fuit, atque, volente Deo, rubri fuga fluctus,
Mira oculis hominum, quam isti medicina dolori.
Hic ita; et inde suos petiit. Dein turba coacta
Tota, velut turbo, sese in sublime recepit.
Dulcis me mulier pone illos impulit uno
Indicio, ut sanctae superarem altissima scalae;
Sic virtus hujus naturam vicerat aegram.
Nec fuit hic unquam loca per sublimia et ima

Tam celer a nostrae naturae robore motus,
Ut rapido posset cursu me aequare volantem.
Sic mihi fas fuerit. rursus spectare triumphum
Illum, mi lector, quem propter crimina vitae
Lugeo saepe meae et plango mihi pectora palmis;
Ut tibi demissum tam raptim avertere pruna
Non esset digitum, quam cernere contigit astrum
Post Taurum veniens, sensique ingressus in ipsum.
O luces almae, o magna virtute repletum
Lumen, cui, quotacumque esset, debere fatebor
Vim totam ingenii! Vobiscum exibat, et oras
Vobiscum occiduas repetebat praepete cursu
Ille pater generans mortalia saecula cuncta,
Cum primum Hetruscis ego coepi vescier auris.
Post ubi largita est tantum mihi gratia donum,
Ut praecelsa rotae fastigia adire liceret,
Quae vos circumagit, regionem agnoscere vestram
Est mihi sorte datum. Modo vestros suspicit ignes
Suspirans anima ista pie, ut virtute potiri
Durum iter aggressae detur, quod me attrahit ad se.
Jam se summa Salus sistit sic proxima, coepit
Dux mea, ut et claris, et acutis lucibus uti
Jam te posse rear. Quare consiste, priusquam
Te mergas illuc, despectans. Adspice, quantum
Sub pedibus mundum tibi subjecisse videbor.
Quare sensa tibi quam jucundissima prodat
Pectus, ubi occurrat venienti turba triumphans,
Per coeli convexa hujus quae laeta propinquat.
Septenos iterum coelos ego lumine totos
Lustravi, talemque globum mihi cernere nostrum
Contigit, ut vili adspectu decerpserit ore
Invito risum; ac melius sentire videtur
Qui minimi hunc faciat, vereque est aequus habendus,
Longe diversas qui agitat sub pectore curas.
Natam Latona incensam vidi, atque sine umbra,

Quae mihi caussa fuit, cur olim mente putarim
Hanc raram ac densam. Hic, Hyperione nate, tuorum
Spicula sustinui splendorum, quoque rotentur
Impete te circum natus Maja atque Dione,
Miratus didici, ut moderetur Juppiter igni
Nati, algoque patris. Stationes caussa novandi
Tunc patuit. Vidi septena haec corpora, quanta,
Qualia erant, qualique ibant velocia motu,
Utque potita situ distanti singula cedant.
Areola haec, quae nos adeo facit esse feroces,
Me simul aeterna verti cum prole gemella,
Tota mihi a summo se ostendit ad usque profundum:
Exin pulchra meis quaesivi lumina rursus.

XXIII.

Ceu nido incumbens frondes avis inter amicas
Dulcia natorum prope corpora, nocte tegente
Omnia, ut optato adspectu potiatur et esca
Hos alat inventa, duros solata labores,
Tempus praevertit, ramoque insistit aperto
Et desiderio manet ardenti aurea solis
Spicula, prospectans defixo lumine, donec
Tandem Eos surgat; mea sic arrecta tenebat
Diva oculos speculata plagam, sub qua ire videtur
Sol properante minus cursu. At cum lumina circum
Volventem adspicerem ac suspensam, ut qui optat, et idem
Quiddam aliud vellet, spem et praecipiente quiescit
Pectore contentus, sic ora oculosque ferebam.
Sed breve praeteriit tempus punctum inter utrumque;
Quo mansi, dico et vidi clarescere coelum
Et magis ac magis; et simul haec est fata Beatrix:
Ecce tibi ingentem Christi sectata triumphum
Agmina, et has sphaeras peragrantem qui manet omnis
Te fructus. Mihi visus erat flammescere totus

Huic vultus, tantamque oculis diffundere plenis
Laetitiam, ut cogar fructus id linquere inane.
  Qualis sub noctem ridet pleno orbe serenam
Aethereas inter pulcherrima Delia nymphas,
Omnia pingentes coeli loca; millia supra
Splendorum adstantem vidi, qui lumine cunctis
Donabat splendere suo, solem, ut solet iste
Omnia luce sua perfundere signa superna.
Et jubare ex vivo caro fulgida translucebat
In visus tam clara meos, ut ferre nequirem.
O mihi dux dulcis, dux o mihi cara, Beatrix!
  Illa mihi: Quae te virtus domat, omnia frangit.
Hic sapientia adest. pariterque potentia pandens
Coelum inter terramque vias, quas plurima longum
Jam vota optarunt. — Ut ruptis nubibus ignis,
Qui non se capit, expansus petit ima, rebellis
Naturae; haud aliter, tanta inter pabula fines
Exsuperans arctos, se ipsa mens major abivit,
Nec, quae tum fierent, nunc est meminisse facultas.
Pande oculos, qualisque ego sim modo, suspice, dixit;
Talia vidisti, ut valeas jam ferre tuendo
Risum impune meum. Stabam, ut qui visa requirit
Oblita excussus, frustra haec revocare laborans,
Tanta ubi promissa audivi, et tam digna favore
Grati animi, et nunquam ex libro delenda docente
Praeterita. At vero si nunc cuncta ora sonarent,
Jucundo quae lacte magis pinguescere turbae
Aonidum dederunt, mihi opem latura canenti
Risum almum. utque dabat clarescere purius ori
Formoso hic risus, pars haud millesima veri
Huc subeat. Quare Paradisum pingere adortus,
Sacratum saltu me transiluisse poëma
Confiteor, qualis qui offendit forte recisum,
Quod peragrabat, iter. Sed qui grave mente volutet
Pondus materiae ac tergum mortale gravatum,

Haud iste arguerit tanta sub mole trementem.
Non iter est parvae cymbae, quod tendit arandum
Prora audax, non est navarchi, qui sibi parcat.
  Cur mea te facies, inquit, tanto ardet amore,
Ut non adspicias pulchri decora alma vireti,
Quod se sub Christi radiis florum ornat honore
Omnigeno? Hic rosa inest, in qua sibi sumere carnem
Divinum voluit Verbum, hic se lilia tollunt,
Quorum pandit odor callem, qui ad sidera duxit.
  Sic mea Dux; et ego totus parere paratus
Hujus consiliis, aegre certamina inivi
Pupillae rursus. Ceu, puro sole micante
Per nubem fractam, jam pictum floribus hortum
Umbris tecta mei viderunt lumina visus;
Sic ego splendorum vidi plura agmina ab igne
Desuper ardenti fulgentum; at cernere fontem
Haud mihi posse datum est. O, quae sic imprimis illos,
Perçomis virtus! Voluisti scandere in altum,
Illic largitura locum haud tua ferre valenti
Spicula. Formosi floris, quem semper adoro
Et mane et sero, nomen majoris ad ignem
Lucis tota anima, toto me pectore traxit!
  Atque ubi, quae vincit Superos, ut vicerat imos,
Qualisque et quanta est, oculos mihi vivida pinxit
Stella, intra coelum fax est descendere visa
Sub forma annelli, qualis solet esse coronae,
Praecinxitque illam, ac se circumfusa rotavit.
Harmoniae quodcunque genus, quod dulcius auri
Hic sonat, atque animum magis attrahit, esset ad istam,
Ut nubes quae rupta tonat, citharam, unde coronam
Pulchra refert coelos Sapphirus clarius ornans.
En ego sum, sum Amor Angelicus, qui circumit altam
Laetitiam puro spirantem e Virginis alvo,
Qui desiderii statio fuit hospita nostri.
Atque ibo circum, o Dominatrix inclyta coeli,

Dum prolem ibis pone tuam, sphaeramque supremam
Plus diam efficies, illi quod es addita regno.
Ista melos circumductum sub carmina habebat
Finem, unaque aliae luces sonuere *Mariam.*
Regia, quae cingit cunctos vertigine gyros
Stelliferos, vestis mage fervida, cuique ministrant
Plus vitae Patris mores atque halitus almus,
Nos super interius distantia concava habebat
Sic, ut, ubi steteram, mihi se nondum illa videnda
Praeberent: quae caussa fuit, cur copia nulla
Sit data luminibus nostris servare sequendo
Posse coronatam flammam sublime petentem
Ad genitum usque suum. — Velut infans, brachia tendit
Qui satur ad matrem, dum risu prodit amorem:
Sic se protendit quisque ex candoribus illis
Vertice sublato, ut norim, quam corde Mariam
Diligerent grato. Deinceps illi ante stetere
Ora mihi, usque adeo dulci, *Regina,* canendo,
Coeli! concentu, ut nunquam mihi mente voluptas
Exciderit. Quanta est ubertas condita in illis
Arcis divitibus, terrae bona semina doctis
Mandare! Hic vita est, juvat hic gaudere reposto
Thesauro, quem, qui exul erat Babylonis in urbe,
Auro ibi neglecto, aggessit partum haud sine fletu.
Hic sub progenie, cujus genus a Patre summo
Cunctorum Domino, et Maria sub matre triumphat
Victor cum antiquis credentibus atque novellis,
Qui claves servat, per quas regnum itur in istud.

XXIV.

Juncta sodalitio sacra turba, electa beati
Grandem agni ad coenam, te sic pascentis abunde,
Ut desiderii usque tui sint gaudia plena;
Gratificante Deo, si est praelibare potestas

Huic data, quod vestra cadit ex mensa, ante diei
Horam postremam quam ipsi praescripserit aetas;
Stet posita ante oculos vobis immensa cupido
Ipsius, ac paulum vestro hunc adspergite rore.
Nam fons, unde fluunt, tacite quae cogitat intus,
Vobis usque patet. Sic est affata BEATRIX.
Tum vero illae animae laetae se vertere in orbes
Sphaerarum sese circum, stante axe, rotantum,
More cometarum flammantes. Utque videre est
Usque in machinulis lapsas strepitantibus horas
Sic volvi circlos, si advertas, ut prior unus
Sit similis stanti, extremusque volare putetur;
Sic illae choreae plaudentes dispare motu;
Prout rapidae aut lentae, cujusque expendere opum vim
Visus edocuere meos. Quae est visa notari
Dignior egregiam ob speciem, splendore refulsit
Felici usque adeo, ut nullum mage fulgere lumen
Ferret; terque BEATRICEM circum igne voluta,
Fudit ab ore melos tam divum, ut vivida mentis
Vis mihi non revocet. Quare hoc mea littera saltu
Praeterit, ac mitto describere; namque facultas
Quaelibet ingenii, nedum oris copia nostri,
Cum studet hos similare sinus, utetur inepte
Vivaci fuco. — Alma soror, quae supplice voce
Sic pia stas coram flammata exercita cura,
Tu sphaerae illius pulchrae mihi vincula solvis.
Deinde sacer cessans ignis sua flamina vertit
In Dominam, haec post dicta, meam; et jam talibus infit:
Magni o lux aeterna Viri, cui tradere claves
Est nostro visum Domino, quas detulit alto
Ex gaudî regno miri, haud tentare recusa
Istum de levibus gravibusque, ut corde cupido
Fert rogitare, tuae fidei quae dogmata poscunt,
Per quam tu incolumis super undas aequoris ibas.
An bene amet, speretne bene, et bene credat, apertum

Est tibi, qui speculum figis tua lumina in illud,
In quo picta vides quaecunque amplectitur omne.
Sed quoniam ob veram regna haec coelestia cives
Accivere fidem, hanc jussos decorare triumphis;
Hanc tractaturum par est te accedere ad istum.
Ac veluti sumptis stat baccalaureus armis,
Nec mutit, donec, monitus scrutante magistro,
Certet, sed litem non est componere certus:
Sic argumenti mecum genus omne struebam,
Fante illa, ut tanto me respondere paratum
Quaerenti offerrem, et mihi credita vera fateri.
O bone Christicola, hic jam nunc tua promito sensa,
Fare: fides quidnam est? Frontem jubar extuli ad illud,
Quod sic spirabat; deinde est inspecta BEATRIX.
Annuit illa, ut aquam fonte interiore reclusam
Effundi sinerem. Quae dat mihi gratia coram
Primipilo, qui sit mihi sensus, fari, ego coepi,
Det quoque sat claros educere pectore sensus.
Tum porro: Ut tibi dilectus, Pater optime, frater,
Qui tecum Romam meliore in calle locavit,
Jam scripsit: *Rerum, quas nos sperare jubemur,*
Vera fides fulcrum est, argumentumque latentum
Mortales hominum visus: talis natura videtur
Illius esse mihi. — Dein haec audita loquela est:
Tu recte sentis, si recte intelligis, illam
Qui inter res simul interque argumenta reponat.
Mox ego: Quae sese mihi dant arcana colenda,
Sic latitant falluntque imae mortalia gentis
Lumina, ut, haec vere esse, fides pro teste sit una,
Qua spes alta sedet, stante ut fundamine, nixa:
Inde rei solidae ipsa fides sibi nomina sumit.
Atque fide ex ista par est deducere robur
Argumentorum, haud alia ducente lucerna;
Hanc etenim dico logicam. — Tum audita loquela est:
Si, quidquid vobis doctrina discere fas est,

Sic animo quisque acciperet, locus esse sophistae
Ingenio haud posset. Vox haec ex flamine amoris
Illius incenso venit; dein talibus infit:
Tum nota, tum pondus pensi bene convenit aeris.
At fare, an proprio ex loculo deprompseris istud?
Huic ego: Ita hoc servo tam fulgens tamque rotundum,
Ut typus haud quidquam incerti mihi habere putetur.
  Exin ex luce est vox haec emissa profunda,
Quae splendebat ibi: Gemma haec carissima, qua stat
Nixa omnis virtus, unde est tibi? Talibus illa.
Ast ego: Largifluus divini flaminis imber,
Cujus in antiquis diffusa est copia chartis
Inque novis, firma mihi pro ratione valebit
Semper sic praesente, ut quaelibet esset ad illam
Vis demonstrandi evincens obtusa futura.
  Deinde haec audivi: Doctrina antiqua recensque,
Quae sic concludit, cur est tibi sacra loquela?
Tunc ego: Facta probant istam testantia veram,
Ad quae non ferro, non est incudibus usa
Daedala naturae virtus. — Vox haecce remisit:
Quae tibi cautio erit, quaeso, haec narrata fuisse?
Illud idem, quod adhuc manet argumenta probantis,
Nemo tibi jurat. Si ostentis excita nullis
Amplexa est tellus Christum, haec mirabilis una
Res facit, ut reliquis non sit centesima virtus,
Dixi; tu campum pauper, jejunus inisti,
Egregiam ut sereres plantam, quae fertilis uvis
Jam fuit, at facta est modo sentis. Verba sub ista
Insonuere: *Deum laudamus!* carmine in illo
Concentuque, melos quod sunt cantare sueti
In coelo Divi. — At majestas Principis illa,
Quae sic ex ramo ad ramum me traxerat usque
Excutiens, donec jamjam ad folia ultima ventum est:
Quae se mente tua delectat gratia, dixit,
Hactenus, ut decuit, responsis ora resolvit;

Sic ut, quae emersere, probem; sed promere oportet,
Quae credenda putas, atque unde tibi obvia venit
Ista fides. — Pater alme, o mens, cui cernere fas est,
Quae jam credideras sic, ut vicisse feraris,
Qui pedibus melior properavit adire sepulchrum;
Mi clarare jubes fidei, quae credita prompte est,
Hic formam ac pariter caussam, qua insederit ista
In me credulitas; et respondere paratum
Invenies, dixi. Mihi creditur unicus, unus
Aeternusque Deus, qui totum haud motus olympum
Ipse movet desiderio flammante et amore.
Nec solum fecere fidem, subjecta fideli
Quae mihi sunt oculo, vel quae scrutata profundum
Mens humana refert, sed veri lucidus imber,
Qui pluit hinc large, Mose fundente, Prophetisque
Et Psalmis, Evangelio turbaque probante
Vestrorum (nam vos illum scripsistis ob ignem,
Qui vos inseruit Divis), certusque fateri
Sum tres personas aeternas, esseque eorum
Sic unum trinumque, ut et *es* patiatur, et *estis*
Conjunctim. Verum alta Dei, quam sic modo tango,
Conditio mihi inusta manet, renovante sigillum
Saepe Evangelio. Hic fons est, est illa favilla,
Quae vivum flammae se deinde effundit in imbrem,
Et, quale in coelo sidus, mihi lumine splendet.
Sicut herus, jucunda sibi si quae accipit aure,
Dein servi petit amplexus gratatus ob illa,
Quae sibi laeta tulit, simul hunc videt ore tacentem:
Sic bona verba mihi dixit sub nomine trino
Cantando ac ter me cinxit, simulatque quievi,
Lumen Apostolicum, quod respondere jubebat;
Sic placuere illi, quae sum verba ore locutus.

XXV.

Si quando fiat, sacrum ut fortasse poëma,
Cujus ego in partem coelum terramque vocavi,
Sic ut me macie plures tenuaverit annos,
Vincat crudeles animos me excludere ovili
Pulchro juratos, ubi somno membra resolvi
Agnus, corde lupos horrens sibi bella cientes;
Voce ego mutata, mutato vellere, vatem
Me referam reditu, sancti et prope marmora fontis,
Unde abii ablutus, cingam mea tempora lauro.
Namque et ego ipse fidem, quae animas rata signa ferentes
Non sinit ignorare Deum, hunc ingressus adivi,
Proque fide ipse mihi nutu Petrus annuit isto.
Dein lux ex illo nobis fuit obvia coetu,
Unde prior venit, qui munere functus eorum est,
Quos sibi substituit Christus. Tum laeta Beatrix:
Tende oculos, dixit, specta; venit, ecce, Dynastes,
Ob quem Gallaciam properat gens visere terram.
Ut, quum sese addit socio Cythereius ales,
Ambo trahunt gyros et amorem murmure produnt:
Haud secus occurrere sibi simul unus et alter
Dux magnus, decore insignis, coelestia laudans
Prandia. Ubi alternis gratatus uterque quievit,
Quisque stetit tacitus me coram, luce coruscans
Tanta, ut mi obruerit vultum. Sed dulce Beatrix
Ridens: O quae, inquit, scripsisti gaudia nostrae,
Inclyta vita, domus, doceas has aetheris altas
Spem resonare plagas; nosti, namque exprimis illam
Tu toties, quoties Christi magis ora videnda
Emicuere tribus. Caput arrige, pone timorem;
Quidquid enim ad Superos mortali surgit ab orbe,
Sub nostris radiis id maturescat oportet.
Hoc mihi solamen pervenit ab igne secundo;
Quare ego ad adstantes haud fugi tollere visum,

Qui prius hunc nimio curvarunt pondere, montes.
Quandoquidem tibi gratificans bonus Induperator
Hunc dat congressum, ante obitum in penetrale recepto
Interius, Comitum turba assidente suorum,
Ut, simulac verum perspexeris istius aulae,
Spes ea, quae in terris homines incendit amore,
Hac tibi ope atque tuis solamina larga ministret,
Dic age, quid sit spes, et qui sese instruat illa
Mens tua, et unde tibi est? Sic porro flamma secunda.

Jam pia, quae monuit tam altum tentare volatum,
Duxque meis fuerat pennis, sic occupat ultro:
Munere militiae defungi ecclesia nata
Plenius haud quemquam sperantem possidet, ut stat
Scriptum in sole illo totam hanc radiante per aulam;
Quare ex Aegypto datur huic Solyma inclyta adire,
Ante a militia quam sit requiescere jussus
Hoc primum. Illa duo, quae non scitanda videntur,
Ut sciam, at ut referat, quam sit tibi amabilis ista
Virtus, huic linquam; quae nec nimis ardua menti,
Nec sint apta nimis dicentem inflare tumore;
Et det ad haec idem responsa; atque a Patre lumen
Afferat hoc ipsi. — Ut doctoris verba secundans
Corde alacri, atque lubens, ad quae est expertus, alumnus,
Ne sua vis istum lateat, sic ora resolvi:
Spes stat in hoc: Vitam certo exspectare futuram;
Quod fit dante Deo et meritis simul ante paratis.
Istud sat multis mihi venit lumen ab astris;
At prior ille, ducis summi qui summus habetur
Cantor, spem mihi cordi hanc instillavit, ubi inquit,
Laude Deum celebrans: *In te cuncta edita sperent,*
Quae nomen novere tuum! Quis nosse negabit,
Dum fidem et ipse meam teneat? Tua epistola cordi
Hanc instillavit post hunc, ut copia abundem
Inque alios vestram pluviam sponte ipse refundam.

Haec me fante, nitor subitus creberque micabat

Illius incendi ex vivo interiore recessu
Vibrans, ut scissis erumpens nubibus ignis.
Deinde hanc efflavit vocem: Quae pectus amore
Ardet adhuc virtus mihi semper ad usque coronam
Fida comes, donec functus certamine obivi,
Me jubet adspirare tibi, qui suspicis illam;
Atque mihi est gratum, si tu, quid spondeat ipsa,
Ipse mihi dicas. — Ego tum: Veteresque novaeque
Scripturae statuunt signum, quod nuntiat horum
Sortem, quos Pater hic noster sibi fecit amicos.
Namque Isaias inquit: Se duplice veste
Ornabunt animae propria in tellure; sed ista
Vita hic tam dulcis sua cuique est propria tellus.
Germanusque tuus multo distinctius istud,
Alba ubi commemorat velamina, pandere nobis
Arcanum admonitus potuit. — Me talia fante,
Et quasi sub finem, coelorum ex parte superna
Vox, *In te sperent*, est exaudita, chorusque
Omnis ad hanc vocem pariter responsa remisit.
  Exin has inter choreas lux una refulsit
Sic, ut, si tali flammaret Cancer ab astro,
Una dies hiemem totam aequatura fuisset.
Ac veluti surgitque itque ingrediturque choream
Virgo hilaris, modo dum sponsae persolvat honorem,
Non jactans sese: haud aliter procedere vidi
Splendorem instructum ad binos se utrosque rotantes
In gyrum, alterno ut decuit flammantia amore
Pectora, ibi simul et cantum et modulamina vocum
Ingressum subito. Mea tunc haerebat in illos
Defixa obtutu Domina, ut modo nupta puella
Muta, immota manens. Ecce hic Apostolus ille,
Qui jacuit supra Pelicani pectora nostri,
Cui lecto magnum legavit de cruce munus.
Sic haec; non tamen idcirco divertere visum
Postea, ut ante suas quam funderet ore loquelas.

Ut stat, qui intentus prospectat, luce parumper
Defectum solem jam certus cernere, et idem,
Ut videat, visu manet orbus; ita ante lucernam,
Ultima quae ardebat, steteram, cum perculit aures
Haec vox: Cur aciem tibi sic obtundis aventi
Vestigare, quod hic spatium non occupat usquam?
In terris est terra meum nunc corpus, eritque
Hoc tam terra diu reliquis cum corporum acervis,
Donec ab aeterna numerum mente ante statutum
Exaequet noster. Sunt hic duo lumina tantum
Duplice pulchra stola, sic coelum adscendere digna;
Idque tuis referes; factoque hic fine quievit.
 Ignitus vortex, blanda et discordia concors
Vocum, edens sonitum conflatum flamine trino,
Ut vitaturi casus maris, atque laborem,
Ante repercussi rapido undarum impete, remi
Consistunt omnes, ubi sibilus insonet unus.
Heu mihi! quam violens turbavit pectora motus,
Ora Beatricis quaerenti, ubi nulla facultas
Hanc spectare dabat, quamvis ego propter adessem,
Felicemque agitans vitam me mundus haberet!

XXVI.

 Anceps dum stabam restincto lumine visus,
Fulgenti ex flamma, mihi quae restinxerat istum,
Exiit aura jubens intentum me ora tenere;
Namque inquit: Donec redeat tibi copia visus
In me consumpti, bene erit, si damna rependas
Sermoni indulgens. Ergo nunc incipe, quoque
Mens tua prospectet, dic atque id volvito, lumen
Defecisse tibi, non interiisse peremptum;
Nam quae te hanc diam mulier deduxit in aedem,
Virtutem praefert oculis, qua nota valebat
Dextera Ananiae. — Huic contra: Ut fert corde libido,

Tardius aut citius veniat medicamen ab illa
Istis luminibus, per quae est data porta ferenti
Flammam, quae totam penitus me incendit et urit.
Quae vestrum hunc explet consessum, summa voluptas
Principium ac finis scripti est cujusque legenti
Aut minus, aut magis intensum dictantis amorem.
  Quae me vox eadem arrexit formidine stratum
Defectus subiti, mi acuit sub pectore curam
Ulterius fandi. Et: Tibi certe angustius, inquit,
Tranctandum est cribrum, ut recte res cernere possis,
Dicendusque tibi est, qui signum vertit ad istud
Arcus tela tui. Cui tunc: Ope philosophiae,
Per syllogismos, per, quae Scriptura propinat,
Hic venit infigendus amor mihi corde sub imo;
Namque bonum, ut natura boni est, simulatque patescit
Hoc inquirenti, succendit pectus amore,
Qui tanto est major, bona quanto hoc plura receptat.
Illius esse igitur superans genus omne bonorum
Sic, ut praeterea, quidquid sit amabile ubique
Mortali, nil sit quam ductum lumine ab isto
Tenue jubar, spectare oculis et mente necesse est,
Cunctis posthabitis, et re in quacunque probanda
Diligere id verum, quod clare elucet ab ipso.
Tale meae menti fuit aptus sternere verum
Ille idem, primum qui demonstravit amorem
Vitae cujusvis, aeternum quam manet aevum.
Hoc auctor sternit verax Mosi ista profatus
De se: *Cuncta tibi ostendam bona.* Sternis et ipse
Altum exorditus carmen coelestia vulgans
Arcana in terris, nullo praecone sonante
Grandius. — Audivique: Igitur quae discere mente
Humana licuit, quae te docuere magistri
Sacri huic concordes, iterum te iterumque monebunt
Observare Deum finemque caputque tuorum
Ardorum. At quoque dic, an ad hunc te forte trahentes

Experiare alias chordas, tot ut ipse remittas
Voces, quot tacitum tibi dentibus iste momordit
Pectus amor. — Non me latuit mens sancta petentis
Coelum aquilae, quam Christus amat, quin immo videbam,
Quo moliretur profitentem adducere, et inquam:
Ad summum quicunque valent cor vertere patrem,
Morsus, certarunt istum mihi inurere amorem.
Mundi natura atque mei mors, quam ipse subivit,
Ut fruerer vita, et quod sperat nomine Christi
Quisque, ut ego, fidens, et quae cordi intus inhaeret
Cognitio mihi dicta, obliqui ex vortice amoris
Me traxit rectique dedit contingere ripam.
Nunc folia aeterni toto frondentia in horto
Cultoris mihi amanda reor, prout largiter ista
Is donat. — Postquam tacui, dulcissima coelo
Insonuere mele, et simul est modulata Beatrix,
Ter plaudens *Sancto*. Ac veluti sub lumine acuto
Illico somnus abit, mota virtute ciente
Visum, quae rapide splendoris ad ostia currit
Insinuans tunicis, et qui expergiscitur, horret
Cuncta suis subjecta oculis, tam nescius ille est
Evigilans subito, dum illi succurrere cessat
Judicium mentis: nostrorum ita depulit omnem
Labem oculis dux diva suis radiantibus ultra
Ingentem tractum. Hic melius mihi copia visus
Quam prius affulsit. Tum victus paene stupore,
Cum prope nos quartum vidissem fulgere lumen,
Illam scitabar, quae sic est ore locuta:
Hac sub luce suum auctorem miratur et ardet,
Quae prior aethereas anima est emissa sub auras,
Quam quemvis primae virtutis dextra crearit.
Ut frons, quae, vento praeterlabente, reclinat
Summum, dein propria vi surgit: sic ego, fantis
Sub verba admirans; dein me fiducia cepit
Jam desiderio ardentem mea promere sensa;

Et coepi: O pomum, quod prima ab origine solum
Stabas maturum, pater o antique, maritae
Et socer et genitor cujusque, id te oro piaque,
Qua possum, te mente precor, ne taedeat ore
Edere verba tuo; mecum quae mente voluto
Et taceo, tibi aperta patent, nec demoror ultra.
Bellua saepe micat sic, ut, qui amor impulit illam,
Stare diu tectus non possit, veste sequente
Quod natura jubet: sic ex velamine prima
Illa anima ostendit, quam se indulgere parato
Laeta animo offerret. Dein vocem efflavit et inquit:
Vel te dissimulante, tuo quam pectore versas,
Curam, hanc inspicio melius, quam quidquid habebis
Certum. Haec in speculo nunquam fallente videnda
Stat mihi, dupliciter quod res dat cernere, nilque,
Quod se conduplicet, patitur. — Te audire voluntas
Nunc fert, quam dudum posuit me numen in horto
Alto, ad quem scalis tam longis reddidit aptos
Haec artus tibi; quamque diu percepta voluptas
Luminibus sit tanta meis, quae propria magnam
Caussa iram accendit, tum queis sim vocibus usus,
Quarum inventor eram. — Nunc, o mihi cara propago.
Non tanti per se fuerat gustata palato
Illius esca meo ligni, ut mihi tanta pararit
Exsilia, ast intra fines consistere recti
Indocile ingenium. Hinc ex sedibus, unde Beatrix
Virgilium excivit, quater auctos millibus annos
Et ter centenos, et bina volumina Solis
Hoc ego concilium optavi; atque ad lumina cuncta
Orbibus hunc novies centum et triginta peractis,
Dum me terra habuit profugum, flammescere vidi.
Quae mea lingua fuit, periit restincta, priusquam
Non profecturo Nimrod conamine grande
Maturaret opus. Nam quae ratione libido
It duce, nulla homini vario, prout astra secundat,

Duravit semper. Natura dat ipsa loquelam,
Quae sit cunque, homini; vestris vos viribus uti
Pro lubito sinit. Ante Orco quam illaberer atro,
El inter vestros nomen sibi summus habebat
Tunc Amor, unde fluunt, quae me isthic gaudia cingunt.
Deinde *Eli* est dictus, quod vestrum haud dedecet usum
Consimilem in ramo frondi: dum lapsa putrescit,
Altera succedit. — Qui mons altissimus undis
Imminet, hic fuerat vitae puraeque pudendaeque
Hospitium, a prima mihi lucis ad usque secundam
Horam, ubi sub sextam sol a quadrante recedit.

XXVII.

Et Patri et Genito et Paracleto gloria sancto!
Voce una coepit Superorum exercitus omnis
Sic, ut me abstulerit dulci mens ebria cantu.
Quocunque adspicerem, mihi laetum expandere risum
Cuncta videbantur, nam aures ac lumina inibat
Ista mihi ebrietas. O inenarrabile gaudî
Atque voluptatis pelagus, o integra amoris
Aetas ac pacis, securaque copia, nulla
Exstimulante siti! Ante oculos mihi quattuor ignes
Incensi stabant; ast increbrescere coepit
Qui prior adstiterat, factus mihi imagine talis,
Qualis stella Jovis, si Martis sidus et illa
Jam volucres fiant et pennas mutet uterque.
Quae mens hic divina suo regit omnia nutu,
Partiturque vicem officiumque, silentia toto
Fecerat in coelo, cum vox haec venit ad aures:
Noli admirari, si me mutare colorem
Cernis; nam hos omnes, me nunc dicente, videbis
Mutari pariter. Qui in terra est sede potitus,
Sede data mihi, sede data mihi, quae vacat ante
Ora Deo geniti, de nostro idem ille sepulchro

Latrinam fecit manantem sanguine, odorem
Tetrum exhalantem, qua infra deterrimus isthinc
Lapsus placatur. — Quem, adverso sole, colorem
Indueret nubes sub prima crepuscula noctis
Vel lucis, vidi totum conspergere coelum.
Ac veluti secura sui stat femina honesta,
Ac tantum timida est alienae ob crimina culpae,
Sic mihi visa fuit vultum mutare Beatrix,
Atque fuisse reor talem splendoris in alto
Defectum coelo, cum passa est summa potestas.
  Exin usque adeo mutata voce profari
Institit, ut nunquam adspectum converterit oris:
Christi sponsa meo non est nutrita cruore,
Atque Lini et Cleti, prolato ut veneat auro;
At vitam hanc pacti laetam Sixtusque Piusque,
Et post Calixtum Urbanus, cum lumina fletu
Rorassent multo, sacrum effudere cruorem.
Non fuit iste animus nobis, ut dextra sederet
Ad latus illorum, quibus est succedere nostram
In sedem, altera Christiadum pars, altera laeva:
Non ut concessae claves mihi bellica versae
In signa urgerent sacrato fonte renatos;
Nostra nec effigies fieret gemma apta sigillo
Ad privas leges, quas falsas vendere mos est,
Quas propter rubeo, atque oculi exarsere frequenter.
Hinc se mendaci pastorum veste tegentes
Est spectare lupos per pascua cuncta rapaces.
  O tutela Dei, quianam hoc in tempore cessas?
Jamque Caorsini, jam nostro Vascones acrem
Sanguine avent satiare sitim. O rudimenta secunda,
Huccine decidistis? Sed quae Sapientia Romae
Scipiadis dextra mundi defendit honorem,
Quam primum, ut video, rebus succurret acerbis.
At tu, qui pondus propter mortale redibis,
Fili, illuc, pande os, quaeque haud celanda retexi,

Ne cela. — Veluti glacie concreta vaporum
Copia per nostrum delabitur aëra, solem
Cornigera tangente capra; sic aethera vidi
Desuper ornari totum et quasi vellera lucum
Ire triumphantum, quae mecum sedibus illis
Adstiterant. Istas oculo servante sequebar,
Atque secutus eram ripa tenus intervalli,
Quod medium est, donec distantia non dedit ultra.
Quare ubi suspectu me vidit Diva solutum,
Dejice nunc oculos, mihi dixit, et adspice, quo te
Invenies versum. — Qua primum ex temporis hora
Despexi, vidi me percurrisse quadrantem,
Quem plaga prima facit medium transgressa diei
Extremum ad finem. Quare mihi cernere aratum
Stulte trans Gades fuerat maris aequor Ulyxi,
Et citra propius ripas, ubi Agenore nata
Dulce stetit pondus. Plus et patuisset aperti
Areola ex ista, sed sol processerat ultra,
Sub pedibus nostris, plus quam unum tramite signum.
Quae sese oblectat semper mens percita amore
Cum Domina, magis atque magis tunc rursus ad illam
Ardebat revocare oculos: ac si afferat omnes
Ars simul et natura escas, quae lumina captant,
In carne humana pictaque in imagine carnis
Capturae mentes, divina ad gaudia, nostris
Quae affulsere oculis vultum mirantibus illum
Ridentem, una omnes junctas nihil esse faterer.
Quaeque mihi virtus oculorum indulserat usum,
Pulchro me nido Ledae divulsit, et illam
Impulit in sphaeram, quae velocissima fertur.
Singula pars hujus quam vivacissima, et alta
Convenit, et simili sunt cuncta ita praedita forma,
Ut, quam Dux legit, non sit mihi dicere sedem.
At desiderium quae noverat illa tacentis,
Ridens tam laeto tunc coepit farier ore,

Ut Deus exsultare mihi sit visus in illo:
Axem quae medium motus natura quietum
Postulat et rapida vertigine caetera torquet,
Prosilit hinc, ut fine suo; nec continet ulla
Res alia hoc coelum, quam mens divina gubernans,
In qua ignescit amor vertens, et quae pluit alto
Virtus. Lux et amor coelum hoc praecingit, et ipsum
Coelos praecingit reliquos, mensque unica cingens
Praecinctum, sola hoc intelligit. Haud ciet ipsi
Extera vis motum, proprio sed turbine motus
Coelorum reliquos ipsum metitur, ut audis
Dimidium quinasque decem metirier ulnas.
Jamjam per te nosse potes, ut tempus in ista
Radices testa, inque aliis dicatur habere
Frondes. — O, quae mortales, malesuada cupido,
Usque adeo mergis sub te, ut deducere ab undis
Lumina nemo tuis valeat! Bene vestra voluntas
Floret; at assiduo mutantur vera sub imbre
Pruna, et degeneri vos ludunt vana sapore.

Pura fides pietasque ac nescia fallere vita
In teneris tantum pueris reperitur, et unus-
Quisque prius fugit has, quam plumis mala tegatur.
Est qui, dum balbutit adhuc, jejunia servat,
Interea lingua pastus genus omne soluta
Devorat audacter quovis sub lumine lunae.
Est qui, dum balbutit, amatque auditque parentem,
Quam cupit, integro sermone, videre sepultam.

Sic solita est nigro tingi cutis alba colore
In primo adspectu formosae illo patre natae,
Qui, cum mane refert, abiens sibi subrogat umbras.

At tu, ne ignarus stupeas, id pectore volve,
In terris nullum esse ducem, qui regna gubernet;
Quare hominum soboles declinat tramite recto.
At prius hibernis totus quam excedere mensis
Jani sortitus nomen cogatur, ob illam

Neglectam a vestro, quae est pars centesima, partem
Caesare, sic orbes superos rugire videbis.
Nam exspectata diu puppes fortuna revolvet,
Stant ubi nunc prorae, et classis directa feretur;
Verus et erumpet post florem ex arbore fructus.

XXVIII.

Posteaquam ostendit manifesto lumine vere,
Qualem nunc agitent mortalia pectora vitam,
Quae facit ex omni mulier me parte beatum;
Ut flammam videt incensam quadruplice lychno,
Qui speculum inspiciat, pos tergum luce micante,
Ante hanc quam possit oculo vel mente tueri,
Atque is, visurus, num vitrum vera reportet,
Respicit atque utrimque videt sibi congrua cuncta,
Ut metro numerum: memori sic mente repostus
Stat mihi suspectus pulchris in lucibus haerens,
De quibus insidiatus amor mihi vincula fecit.
Utque ego respexi, atque mei mihi lumina visus
Attigerat species descripta volumine in illo,
Sese acies oculi quoties intenderit illuc,
Adspexi punctum radians ita lumine acuto,
Ut sit claudere opus, vehementis acumine lucis
Quos ardet, visus. Et quod nostrae incola terrae
Cerneret hinc minimum sidus, pleno orbe refulgens
Lunae esset moles, si hoc propter forte locetur,
Ut sidus propter sidus. Non longius absens,
Quam qui praecingit lucem, qua pingitur, halo,
Cum vapor, unde oritur, fit crassior; igneus illud
Punctum se circum tanto impete circlus agebat,
Omnia ut amplectens quam velocissimus orbis
Tardior esset ad hunc motu. Circumdabat ipsum
Alter, tertius hunc; dein quarto tertius, iste
Quinto, tum sexto quintus circumdatus ibat.

Desuper assurgens comitabat septimus illos
Amplus ita, ut minus apta foret Thaumantias arcu
Hunc capere. Haud secus octavus nonusque patebant,
Quorum quisque movebatur, prout visus abesse est,
Si numerum relegas, a puncto longius uno,
Tardior; ardebatque illi sincerior ignis,
Qui minus a purae distabat luce favillae,
Quod plus naturae verae insinuarat, opinor.
 Cum me suspensum mulier vidisset ob altam
Curam: Pendet, ait, coelum naturaque tota
A puncto hoc uno. Nunc illum suspice circlum
Huic mage conjunctum, et scito ferri ocius illum
Ob, qui ipsum penitus penitusque inflammat, amorem.
 Huic ego: Si mundum hic idem possederit ordo,
Qualem his miror inesse rotis, satiata maneret
Mens mihi spectanti tanta haec miracula rerum;
Mundus at is, nostris qui sensibus obversatur,
Cernere dat sphaeras tanto divinius auctas,
Quanto illas magis a centro distare videmus.
Quare, si desiderio meta ultima nostro
Debet in hoc miro Angelico consistere templo,
Extremum cui lux et amor tantummodo finem
Constituunt, opus est, ut adhuc mihi discere detur,
Qui fit, ut minus exemplum moveatur eadem,
Qua lege exemplar. Nam frustra id pectore verso.
 Si talem ad nodum es digitis minus utilis aptis,
Nil mirum; usque adeo, nullo faciente periclum,
Obdurat solidus. Sic illa atque insuper addit:
Accipe, quod dicam, si vis satiatus abire,
Inque isto fac mentem acuas. Quae corpora circum
Volvuntur, vasta constant ea mole vel arcta,
Prout plus aut minus est illis virtutis ubique
Sese extendentis. Bonitatis copia major
Dat majore salute frui cumulumque salutis
Majorem capiet majore volumine corpus,

Illud ubi expletis constabit partibus aeque.
Hoc igitur nonum coelum, quod corripit omne
Secum, respondet circlo, quem plurimus igne
Ardet amor, nec non major sapientia ditat.
Quod si virtutis mensuram attendere mavis,
Quam speciem rerum, quae apparent mole rotundae;
Obvia succurret tibi convenientia mira,
Si mens huic major, si huic maxima, si illa minore
Virtute, haec minima est, ubi singula sphaera notetur.

Ut, si forte gena Boreas, quae lenius halat,
Spiret, pura nitet vultu laetata sereno
Aurarum regio, quia, quae turbaverat ante,
Scindit se nubes, et in aethera purgat apertum,
Unde suo rident sublimia templa decore.
Sic ego, ubi mea responso succurrere claro
Dux mihi non renuit, verumque ego cernere quivi
Ceu stellam in coelo. Postquam cessaverat illa,
Non secus ac vibrat ferrum, quod fervet ab igne,
Tunc omnes pariter circli emisere favillas.
Quaeque sequebatur scintilla incendia eorum,
Totque inerant, ut, si numero quod duplice constat
Sexaginta tibi vicibus duplicaveris, inde
Non millenorum exsurgent tot millia dena.
Hosanna, hosanna! simul omnes voce frequenti
Insonuere chori circum non mobile punctum,
Quod stabili his dederat nunquam secedere nido,
Aeternumque ipsos retinebit, ubi usque fuere;
Ast ea, quae vidit, dubia quid mente moverem:
Ecce, inquit, primae SERAPHIM CHERUBIMque coronae,
Ostenduntque tibi, quanto sua vimina cursu
Sectentur, cupidae puncto assimilarier illi,
Qua possunt, possuntque, prout qui altissima spectant;
Quique illos alii circum vertuntur amores,
Esse THRONOS scito, divina in imagine semper
Haerentes, per quos finitur de tribus unus

Ordinibus sanctis. Verum id te advertere oportet,
Tanto plus cunctos gaudî deducere, quanto
In verum penetrant illi, in quo tota quiescit
Mens animi. Hic facile est jam nosse, ut vita beata
Pendet ab intuitu, non cordis amantis ab aestu,
Qui dein subsequitur. Merces mensura tuendi est,
Gratia quam peperit simul et bene sana voluntas;
Sic mos in regno est nostro prodire gradatim.
Ordo alter trinus, qui aeterno vere sub illo
Germina tot generat, quae dispoliare nequibit
Arjes nocturnus, sine fine ac tempore vernat
Hosanna triplici harmonia, quam gaudia terna
Effundunt sonitu ter tres testante coronas.
Hanc hierarchiam trina ornat forma Dearum,
Quae veniunt primae, a Dominatu nomina sumunt;
Dein sunt Virtutes; quae nectit tertia gyros,
Turba Potestatum est. Quo dein penultima dantur
Gaudia Principibus plaudenda, simulque ministris
Legatos inter primis; totusque cohortes
Continet Angelicas ludentes ultimus orbis.
  Istis ordinibus suspectum figere in altum
Mos est, atque infra sic vincere, ut usque trahantur
Ad Dominum atque trahant. Quare Dionysius acre
Totus in his posuit studium speculatus, et horum
Nomina signavit distinxitque ordine eodem.
  Ast alia est usus ratione Gregorius, illi
Non concors. Quare, simulatque arrexit ad istud
Coelum aciem visus, idem se risit aperte.
Noli admirari secreta haec tanta locutum
In terris mortale genus; namque ille retexit
Ista, suo qui se vidisse haec lumine dixit,
Multaque praeterea verissima de orbibus istis.

XXIX.

Cum gemini fratres Latona matre creati,
Arjetis hic tergo velatus, et altera Libra,
De circlo, medium sphaerae qui terminat orbem,
Effecere sibi zonam, pars quantula it horae,
Ex qua quod punctum supra caput adstat, utrumque
Librat utrimque aeque, donec quisque exsilit illo,
Semiorbem mutans, cinctu; pars tantula lapsa est
Horae, cum tacuit risu suffusa Beatrix,
Inspiciens oculis contento lumine punctum,
A quo victus eram; verbis dein talibus infit:
Dico, nec scitor, quod aves; namque omnia vidi,
Prospectans, ubi adest locus omnis, tempus et omne.
Non ut, quod nunquam fieri nos posse videmus,
Auctet opes; sed ut, a tanto quod lumine splendet,
Dicere, *Subsisto,* possit, qui semper, et ullo
Est sine principio: idcirco extra tempus et omnem
Normam aliam exempli voluit se ostendere Amorem
Aeternum ipse novis in Amoribus ultro creatis.
Nec, quasi torpuerit, prius est jacuisse putandus;
Non processit enim prius aut post has super undas
Aura Dei. Exsiluere actu junctae, atque merae res
Forma ac materies, ubi nulla est menda reperta,
Non secus ac triplici ex chorda tria spicula missa.
Ac velut in vitro, electro, sive in crystallo
Sic radius micat, ut tibi temporis intervallum,
Cum venit ac simul est totus, dignoscere non sit:
Haud secus effectus, sic Rege jubente, triformis
Quantus erat simul emicuit, discrimine in ortu
Nullo, jam totus. Rebus simul ordo creatus,
Constructusque fuit, quaeque actu simplice constant
In mundo formae, summum tenuere cacumen,
Puraque vis imum, medium actu praedita eoque
Vimine constricta, ut nunquam sua vincula solvat.

Hieronymus scripsit, multo ante in luminis oras
Exisse Aligeros, et saecula lapsa, priusquam
Hic mundus fieret. Sed verum hoc flamine Sancto
Multi afflante viri passim scripsere legendum;
Et tu, si inspicias defixa mente, videbis.
Id quoque paulisper ratio videt ipsa, negatque,
Tam cessasse diu motores vi sine plena.
Scis modo, ubi fuerint, quoque isti tempore Amores
Facti, quoque modo: Sic ardor, triplice flamma
Qui desiderii stimulabat, adurere parcit.
Vix unum numerans decies duplicaveris, ex quo
Pars magna Aligerum turbavit vestra ferentis
Terrae elementa statum totum. Stetit altera et istis,
Quas tu discernis, tam laeta est artibus usa,
Ut versabundo nunquam discedat ab orbe.
Fastus, triste malum, illius, quem pondere summae
Vidisti toto compressum, prima ruinae
Caussa fuit. Quos hic est cernere, corde modesto
De se senserunt, fassi, se cuncta referre
Indulgenti accepta Deo bona tanta tuenda.
Quare horum intuitus illustrans gratia pensis
Evexit meritis, quin ipsos firma voluntas
Destituat. Nolo dubites, sed mente tenebis
Certa, parenti stimulis, quos gratia subdit,
Augeri meritum, prout cor expandit amorem.
Jamque hoc de coetu veniunt tibi multa videnda,
Si mea verba legis, nullo auxiliante magistro.
At quoniam in terris vestrae docuere palestrae
Maturam Angelicam triplici virtute valere,
Scilicet hanc intelligere et meminisse simulque
Velle, ut germanum possis cognoscere verum,
Quod solet a vestris confundi, queis male cessit
Iste liber lectus, juvat ulteriora profari.
Ut semel has vitas proprio Deus ore beavit,
Nusquam devertunt oculos in imagine fixos,

Quae nihil abscondit: quare intercidere earum
Nulla potest novitas visum. Hinc concludere oportet,
Non opus esse ipsis nunc has, nunc dividere illas
In partes animum, et rerum meminisse seorsim.
Sic vos, mortales, vigilantes somnia vana
Captatis, seu vera rati, seu dicere falsa,
Quorum unum culpae plus affert, plusque pudoris.
   Non vobis cura est per iter delabier unum
Philosophi; usque adeo vos versat imagine primae
Frontis amor studiumque, levi quod pascitur aura.
Idque etiam coelo minus indignante feretur,
Quam cum negligitur Scripturae littera sacrae,
Vel detorquetur. Nemo est, qui expendere sumat.
Sanguine stet quanto in terris hoc spargere semen,
Quamque Deo placeat posito quicunque tumore
Pronus in obsequium divino credere fonte
Ardeat. At quisque ingenio, dum doctus haberi
Vult, studioque omni sua dum commenta propinat;
Oratorque sacer populis haec vendere curat,
Et canit, atque Evangelii doctrina tacetur.
   Hic dicit, Lunam, Christo patiente, retrorsum
Fugisse atque ingens interposuisse volumen,
Quare non ultra indulsit sol lumina terris;
Ille, suum lucem per se celasse nitorem,
Atque ideo Hispanos defectum luminis illum,
Indos Judaeosque simul turbasse colonos.
Non tot habet Lapos, nec tot Florentia Bindos,
Quot similes tricas resonant suggesta per annum.
Interea redit a pastu saturatus inani
Aura grex ovium ignarus, nec crimina purgat,
Qui dicit, labem se non vidisse malorum.
   Non dixit Christus primis, quos foedere junxit:
Ite et per totam nugas diffundite terram;
At dedit his verax fundamen; et illud in ore
Unum ejus sonuit, de quo sibi scutaque, et hastas

Hi fecere sibi, luctati, accendere puram
Lucem Evangelii. Nostri scurrilia, lusus
Verborum, male salsa crepant; et dummodo abundent
Risus, inflatur, sola haec est cura, cucullus.
Ast in fasciola talis cubat ales, ut, ipsum
Si vulgus videat, gauderes cernere, qualem
Exspectet veniam, cujus fiducia crevit.
Ob quam stultitiae tantum grassatur in orbe,
Ut sine teste ullo cupiant quodcunque pacisci
Promissum. Atque ideo porcum pinguescere sancti
Vidimus Antoni, atque alios hoc de grege, porcis
Pejores, solitos non cusos pendere nummos.

At quoniam placuit longum divertere calle,
Nunc jam respice iter rectum, ut via damna rependat
Temporis. Ista gradus per cunctos crescit adauctu
Natura immenso, ut percurrere nulla loquela,
Nec vis mortalis numerum subducere possit.
Et si, quae Daniel, coelo monstrante, revelat,
Tecum animo reputes, ea millia millenorum
Huic praefinitum numerum celare videbis.
Quae prima hanc omnem illustrat lux, dispare norma,
Totque modis variis proprio communicat ipsam
Lumine, quot sunt splendores sibi foedere juncti.
Et quoniam affectus sequitur, qui concipit, actum,
Isti dulcis amor varie fervetque tepetque.
Nunc fac sublime adspicias pariterque profundum
Virtutis pelagus summae, quae tot speculorum
Perfecit millena sibi, in quae frangitur, in se
Dum manet una atque una aeque subsistit, ut ante.

XXX.

Millia forte procul bis hinc tria millia fervet
Sexta hora, atque umbras hic mundus ad usque cubile
Inclinat planum, cum sensim se arduus aether

Altius assurgens nobis ostendere talem
Incipit, ut stella ex minimis spectantis in isto
Fundo aciem fugiat; et prout clarissima solis
Ancilla adventat, sic coelum clauditur uni-
Cuique extra flammam, quae agmen pulcherrima claudit;
Non secus hoc circum ludens sine fine triumphus,
A quo victus eram, punctum, simile ignibus illis
Incluso, quos includit, vanescere sensim
Visus et exstingui est. — Quare me quaerere rursus
Os Dominae rerum penuria amorque coegit.
Hac mihi dicta tenus si omnino includere in una
Omnia laude velim, minus hac ego sim vice functus.
Non modo, quam vidi, trans fines unica nostros
Forma modum excedit, sed dignum est credere, solum
Artificem ipsius toto hoc gaudere creatae
Formae portento. Hic me victum sponte fatebor
Plus, aliqua quam parte sui superatus et haerens
Argumenti unquam steterit, qui comica tractat,
Aut tragicos animos. Namque ut minus apta tuentis
Lumina sol, mihi sic risus meminisse beantis
Parte sui minuit mentem. Quo ex tempore primum
Illius in terris mihi cernere contigit ora,
Hoc usque ad visum, non intercisa sequenti
Hactenus ista fuit vati via; sed modo oportet
Praeterlabentem ulterius desistere cura.
Ut solet, ad summum cum venit, quisque peritus
Artis; non aliter qualis nunc ipsa renidet
Missa erit, utentique tuba hanc majore reservo,
Quam nostra ista fuit, quae altam deducere cantu
Materiam properat, longo quasi functa labore.
More ac voce ducis prompti rursum illa locuta est:
Nos sumus egressi majore ex corpore ad illud,
Quod mera lux coelum est; lux mentis amore repleta,
Optimi amore boni, cui gaudi copia abundat,
Gaudi vincentis gustando dulcia cuncta.

Militiam hic dabitur Paradisi cernere utramque,
Unamque ore illo, quod tu veniente videbis
Tempore judicii extremi. — Ceu nube repente
Elisum fulgur, quo visus tota facultas
Dejicitur sic, ut fraudetur imagine rerum
Fortius irritantum oculos; lux vivida talis
Me circumfulsit tali et velamine liquit
Fulgoris cinctum, ut nihil internoscere quirem.
Semper Amor coelum hoc componens, colligit intus
Vim talem, ut proprio candelam accommodet igni.
Vix brevis hic sermo, quem accepi, venit ad aures,
Cum sensi fines ultra virtute potitus,
Incensusque nova sic vi, ut lux nulla niteret
Tam mera, quam mea non defendere pupula posset.
Et lumen fluvio vidi simile, inter utrasque
Effulgens splendore oras, quas undique mirum
Ver depingebat. Scintillae ex flumine tali
Vivae erumpebant, florum et genus omne subibant,
Ut circumscriptus nitido carbunculus auro.
Exin, multiplici ut temulentae copia odorum,
Sese iterum miro mergebant gurgite, et, una
Ingressa, exibat mox altera. — Summa cupido,
Quae nosse haec tibi visa modo ardet pectus et urget,
Quo plus turgescit, nisi eo plus grata probatur:
At prius haec potanda tibi unda est, quam sitis aestum
Exsatures tantae. Sic sol, qui nubila ademit
Cuncta meis oculis, ait atque haec insuper addit:
Flumen et hae gemmae, ingressus semper repetentes.
Risus et herbarum veri praeludia et umbrae
Sunt hujus gaudi; non quod sint talia acerba
Per se, verum oculi arcta tui est culpanda facultas.
Nullus tam propero vultu in lac irruit infans,
Cunctatus praeter morem se solvere somno,
Qualis ego, cupidus speculis melioribus uti,
Cernuus inspiciens undam, quae plurima circum

Sese effundebat, visus meliore datura
Conditione frui. Utque illam bibit utraque circa
Palpebras suggrunda meas, sic illa rotunda
Visa mihi est fieri species, quae longa patebat.
Deinde, instar gentis sub larva et tegmine falso
Longe diversum vultumque habitumque ferentis
A primo, si aliena sibi haec unquam exuat ora,
In quibus evasit: sic flores, atque favillae
In majora mihi pompae sunt gaudia versae;
Quare ambos coeli potui lustrare cohortes.
O lux alma Dei, per quam spectare triumphum
Regni mi licuit veri, vim tu ipsa ministra,
Ut, qualem hunc vidi, talem describere verbis
Nunc possim. In coelo est lumen, quod cernere donat
Ora Creatoris cuicunque hoc patre creato,
Qui modo, amore avidos inhians dum pascit in ipso
Visus, pace sua fruitur; quod crescit in orbis
Formam sic ampli, Phoebea ut lampas ad istud
Arcta foret. Quidquid nobis est cernere in ipso,
Tantum uno constat radio, quem mobile primum
Parte sui summa retrorsum flectit, et inde
Vita sibi ac virtus venit; et ceu clivus in imo
Lympharum speculo sese inspicit, instar aventis
Cernere se ornatum varie pulchreque virentem
Luxurie ac florum ditem: sic luminis orbem
Hunc circa superadstantes affigere vultum
Huc, veluti in speculum, per plus quam millia vidi
Limina digestos, de nostris quotquot ad illa
Sese contulerant reduces coelestia scamna.
Quod si splendoris tantum gradus infimus in se
Collegit, foliis in cunctis quanta patebit
Haec rosa? Nec visus me deficiebat in alto
Atque amplo spatio, verum est mihi cognita tota,
Quanta erat, et qualis gaudî hujus summa beantis.
Hinc procul, et propius consistere nec juvat hilum,

Nec nocet. Omne regente Deo nullius egeno,
Naturae lex pro nihilo est. Flavente rosai
In centro aeternae augescit, decrescit oletque
Laudis odor varius vernanti tempus in omne
Soli. — Non secus, ac mutum farique studentem,
Me traxit secum subridens dulce Beatrix
Atque ait: En quanta est albarum turba stolarum
Ornatu fulgens! Cerne urbem, quam ampla patescit!
Nostraque scamna vide numero sic plena frequenti,
Perpaucam ut gentem noster desideret orbis.
Magno illo in solio, intenta quod mente tueris
Ob superimpositum solio sertum, ante novellam
Quam sponsi hanc coenam delibes, vita sedebit
Magni Henrici, quae in terris Augusta coletur,
Erectum, prius huc quam sit migrare parata,
Italiam veniet. Sed quae vos coeca cupido
Fascinat, infanti similes jubet esse, premente
Qui miser esurie perit altricemque repellit.
Divinique fori Praefectus tunc erit unus,
Qui occulte atque palam callem haud insistet eundem,
Quem premet is rectum. Sed longum munere sancto
Non sinet hunc fungi Deus, at detrudet in arcam,
Simon ubi magus est merito; inferiusque, daturus
Huic locum, Anagninus pastor pelletur in antrum.

XXXI.

Candidulae ergo rosae sub imagine tota videnda
Militia alma mihi patuit, quam sanguine Christus
Effuso sponsam sibi scripsit: at altera plaudens
Alis, quae decus inspectat celebratque canendo
Illius, qui corda sibi succendit amore,
Et qui se ad tantum bonitate evexit honorem;
Non secus atque examen apum, quod florida poscit
Rura modo atque modo cellas, ubi dulce saporem

Auget opus; florem in magnum, qui ornatus abundat
Tot foliis, hinc descendebat, et inde redibat,
Adscendens ubi semper Amor propriam incolit aedem.
Fulgebat vivo facies his omnibus igne,
Auro remigium alarum; sic caetera candent,
Ut nix nulla aeque. In gremium dilapsa rosai
Hanc per et hanc seriem candorum, quidquid adepta
Pacis et ardoris fuerat, dum ventilat alas,
Turba dabat. Nec jam volitantum exercitus, inter
Florem quodque supra est positus, spatio undique pleno,
Obstabat quidquam splendori, oculisque tuentum;
Nam, prout est dignum, se lux divina per omnes
Naturae immittit partes, ut nulla potestas
Huic obstare queat. Tuta illa beataque regna,
Usque adeo antiquaque novaque frequentia gente,
Visu et amore suo signum contendere ad unum
Gaudebat simul. O lux triplex, quae unico in astro
Flamine splendoris scintillans lumina cuncta
Sic exples, nostros de coelo respice fluctus.
Barbara si quondam gens ex regione profecta,
Quam semper Tegeaea tegit pia mater amata
Se cum prole rotans, Romam mirata simulque
Arduum opus stabat longum defixa stupensque,
Cum res mortales Lateranum se extulit ultra;
Qui modo ab humano ad divinum, a tempore fluxo
Veneram ad aeternum, atque a te, Florentia, justum
Ad populum ac sanum, quo tunc haerere stupore
Plenus debuerim! Hunc inter et gaudia tanta
Nil audire mihi linguaque silere lubebat.
  Utque peregrinus, qua votum solvit, in aede
Gaudet pascendo visum, ac se posse referre
Sperat quidquid in hoc vidit, sic luce sub illa
Viva iter intendens oculis per cuncta vagabar,
Et sursum et deorsum mihi saepius orbe remenso.
Vidi compositos ad amorem fulgere vultus,

Ornatos risuque suo alteriusque nitore,
Et praeportantes gestu decora omnia honesto.
Jamque inspecta mihi generalis forma beati
Regni tota oculis fuerat, quos nullibi fixos
Detinui, et, desiderio inflammante, petebam
Divae oculos Dominae, cupidus, quae mente tenebant
Res me suspensum, scitarier. — Unus ad ista:
Responditque alter. Tum qui spectare putabam
Ora Beatricis, seniorem tegmine vidi,
Quo Superi, indutum, suffusum oculosque genasque
Comi laetitia gestuque pium, ut decet esse
Corde patrem tenero. Ast ego mox: Ubinam illa? Mihi iste:
Ut tibi sat fiat, me movit sede Beatrix;
At si suspicias qui tertius ordine summum
Circlus habet scamnum, rursus manifesta videndam
Se dabit in solio, benefactis ante paratis
Quod sortita fuit. — Visus sine voce levavi,
Deque repercusso aeterni splendore Parentis
Hanc suo ego vidi capiti fecisse coronam.
  Quantus ab extrema regione, ubi flammeus aër
Plus tonat, humanus tendit despectus, ad imum
Oceani magis extremum, mihi tantus ab ista
Ad Dominam suspectus erat. Sed nulla nocebat
Mi ratio spatii; neque enim ad me forma meabat
Mista interposito medio. O mihi femina dia,
In qua spes viget ista mihi, cui tanta salutis
Cura meae fuit, ut sineres claustra infima leti
Signa tui portare pedis! Quot quantaque novi,
Haec accepta tuae virtuti cuncta, bonoque
Ingenio refero! Mihi servo posse dedisti
Libertate frui, rationibus usa modisque,
Queis fieri id posset. Tua splendida dona tuere,
Ut, quam tu sanasti, animam de corpore solvam
Dignam, quae placeat tibi! — Sic sum voce precatus.
Ast ea, tam longe distans mihi visa, benigne

Risit respexitque, aeternum deinde petivit
Fontem. Sed senior sanctus mihi dixit: Ut istam
Conficias omnino viam satiatus abunde,
Quo me prex simul et sancti vis misit amoris,
Fac properes acie hoc circumvolitare viretum;
Hujus enim adspectus divini luminis igni,
Plus ubi conscendas, oculorum aptabit acumen.
Et Superum Regina, sui quae me ardet amore
Totum, quidquid opus fuerit, non nescia fidi
BERNARDI, qui ego sum, praebebit larga favoris.
  Qualis, qui venit ex populis fortasse Liburnis,
Ut, quem nostra refert sacrum Veronica, vultum
Inspiciat, nondum satiatus murmure priscae
Famae; ast haec secum, pignus monstrante ministro:
Jesu Christe, Deus, vere fuit istane imago
Hic tua? Talis eram mecum, miratus amorem
Hujus vivacem, qui, dum isto degit in orbe,
Contemplando illam pacem gustasse putatur.
  Fili, gratificans, cui large gratia favit,
Cognita erit nondum, dixit, sors haec tibi pulchra,
Donec defixa haec oculo miraberis ima;
Arrecta sed utraque acie circumspice circlos,
Et circlum invenies, qui semotissimus alte
Surgit, Reginam donec spectare sedentem
Sit tibi, quam pietate colunt haec subdita regna.
  Sustuleram obtutus, et sicut mane novello
Quae pars in plano plus vergit solis ad ortum,
Exsuperat partem, qua lux festinat in aequor:
Sic, paene ad montem pergens ex valle profectus,
Partem orae extremae reliquam fulgore videbam
Vincere prospectum totum; utque videmus in ora
Exspectante axem, Phaëthonti qui male cessit,
Hinc magis atque magis lumen clarescere, et inde
Passim diminui, sic illius Aurisflammae
Pacificae magis ac magis increbrescere fulgor

In medio, similique modo lentescere ubique.
Inque illo medio plus quam millena volantum
Agmina ego vidi passis plaudentia pennis,
Singula splendoris distinctaque lumine et artis.
Lusibus illorum, et concentibus arridentem
Mirabar faciem, quae oculos inspecta beabat
Cunctorum Superum. Quod si mihi copia tanta
Esset dicendi, quanta est vis vivida mentis,
Hujus ego gaudi minimam tentare canendo
Non ausim partem. Ut defixa intentaque in ignem
Lumina nostra suum vidit Bernardus, ad illam
Mox sua convertit, tanto inflammatus amore,
Ut mea in obtutu haererent ardentius isto.

XXXII.

At contemplator, sua quem trahit alma voluptas,
Non dedignatus doctoris sponte subire
Officium, has primum sanctas dedit ore loquelas:
Quod vulnus Virgo genitrix occlusit et unxit,
Quae stat sub plantis hujus tam pulchra, reclusit
Ac pupugit, sub qua Rachel juxtaque Beatrix
Considunt, ut et ipse vides, ubi tertius ordo
Sedes designat. Dein Sara, Rebecca, Juditha,
Et quae illi proava est, qui errorem flevit amare
Clamando: *Miserere mei!* — Per limina cuncta
Sic descendentes poteris spectare gradatim
Has series, ut ego, proprio qui nomine cunctas
Appello, unumquemque rosae percurrere crinem
Doctus. Postque gradum, qui est septimus ordine, ad usque
Illum succedunt prognatae a sanguine Judae
Heroinae infra: cunctos in flore capillos
Hae dirimunt; nam, prout sese dedit ipsa videndam
In Christum conversa fides, ita parjetis instar
Sacras partiri scalas hae rite jubentur.

Hic, ubi multiplicis folium maturuit omne
Floris, considunt queis spes stetit omnis in uno
Christo venturo. Verum qua ex parte secantur
Semiorbes spatio vacuo, stant pectora versa
In Christum missum, hac una spe freta salutis.
Utque hinc Reginae sedes praesignis, et hujus
Sub pede dispositae reliquae distare videntur
Tanto sejunctae spatio, sic prima Joannis
Magni stat sedes contra, qui solus in antro
Vixit perpetue sanctus, dein colla securi
Pro Christo dedit, atque duos habitaverat annos
Vallibus infernis. Atque infra contigit illa
Partiri pariter loca Francisco, Benedicto
Atque Augustino, reliquisque, huc usque per omnes
Qui sibi succedunt circos. Nunc adspice, quantum
Divini pateat sapientia summa Parentis;
Nam verae fidei suspectus et unus et alter
Aequali numero complebit scamna vireti.
Idque volo discas, a prima sede superna
Incipiens atque inde oculo descendere pergens
Ad medium spatii, duo quod discrimina finit,
Sedem ibi habere suam, qui, nullis ante paratis
Promeritis propriis, tamen haec sunt gaudia adepti
Ob meritum alterius sub conditione statuta.
Istae namque animae sunt membris ante solutae,
Libera delectum quam sciret habere voluntas;
Tuque id nosse potes ex vultu et voce loquentum,
Qua pueri soliti, si inspectes, et sonitum aure
Accipias. — At tu dubitas, dubitansque silescis;
Verum ego dissolvam vinclum tibi forte tenaxque,
Quo te judicium mentis subtile coercet.
Hoc amplo in regno data forte sedilia nunquam
Apparent, ut nec dolor, esuriesve sitisve;
Nam quodcunque vides aeterna est lege paratum;
Sic sese digito hic accommodat annulus aeque.

Quare isti, ante diem vera qui pace fruuntur,
Plusve minusve inter se excellunt non sine caussa.
Rex, per quem in tanto pausat regnum istud amore,
Inque hac laetitia, qua majus nulla cupido
Quidquam ausit, mentes, ut visum est, sponte creatas
Omnes diversae donavit munere dotis.
Atque id scire sat est, quod clare sancta notavit
Scriptura in foetu gemino, quem ventre parentis
Inclusum alternis commoverat impetus irae.
Quare prout praefert ea gratia prima colorem
Crinis, ita et dignum est, ut lux altissima sertum
Det capiti. Non ulla igitur mercede suorum
Morum stant ipsi diversa in sede gradatim,
Nilque in iis differt, nisi primum gratiae acumen.
Cum vita culpae immuni, satis esse saluti
Temporibus poterat primis in corde parentum
Vera fides tantum. Sed postquam saecula prima
Explerunt certos revolutis orbibus annos,
Ut plumis marium innocuis satis apta daretur
Virtus, hos fuerat circumcidisse necesse.
Ast ubi corripuit decretum gratia cursum,
Qui sine perfecto Christi baptismate obivit
Culpae insons propriae, inferno stetit orbe retentus.

Adspice jam faciem, quae plus Christo esse videtur
Adsimilis; nam sola dabit tibi cernere Christum
Quae lux inde fluit. — Super hanc descendere tantam
Vim gaudî vidi, quae mentibus insinuabat
Discurrens sanctis regnum hoc sublime creatis
Pervolitare ultro, ut quodcunque mihi ante tueri
Fas fuerat, nunquam tanto mea corda stupore
Fixerit, aut tantum divini ostenderit oris.
Quique illuc descendit amor prior, ipse canendo
Carmen: *Ave, Maria!* et quae quondam caetera jussus
Dixerat, expansis ante illam restitit alis.
Undique divinum ad carmen turba illa beata

Respondit sic, ut cuncti magis igne micarent.
O pater alme, isthic me propter posse morari,
Dulci posthabito nido, qua sede sedere
Aeterna est tibi sorte datum, quisnam Angelus ille est
Reginae tanto suspectans lumina ludo
Nostrae? Ita amore ardens, ut possit et ipse videri
Igneus. — Haec rursum visum est scitarier hujus
Doctrinam, ornantem, solis de more Mariae
Matutinum astrum. Mihi contra is talia reddit:
Quanta unquam esse potest fiducia, quanta venustas
Angelico in vultu inque anima, tota ardet in illo;
Quod decet ac fiat volumus; nam detulit ipse
Ad Mariam in terris palmam, quo tempore Verbum
Divinum nostra voluit se carne gravare.
At jam sic oculis adsis, ut verba sequantur
Quae dicam, magnosque notans circumspice patres,
Imperii ista pii justissima regna colentes.
Copia, cunctorum quae felicissima in illo
Stat septo, Augustam propius considere digna,
Haec duplex radix istius paene putanda
Est floris. Laevus, qui sese accommodat illi,
Antiquus pater est, qui gustu audacior omne
Humanum genus usque adeo dape pavit amara.
Stat dexter vetus ille pater, quo ecclesia sancta
Usa duce est, claves quem Christus jussit habere
Pulchri hujus floris. Dein qui omnia saecla, priusquam
Vitam exhalaret, vidit graviora decorae
Sponsae, quae teli et clavorum vulnere parta est,
Assidet hunc propter; juxtaque alium ille quiescit
Dux, sub quo vulgus male gratum, mobile, durae
Cervicis vixit manna. Annam conspice stantem
Adversus Petrum, propria sic sorte beatam,
Dum figit visus in natam, ut lumina nusquam
Declinare alio hanc videas, dum cantat: *Hosanna!*
At contra sobolis genitorem Lucia sidit.

Illa, tuam quae olim movit, cum prona ruinam
Jamjam spectabant tua lumina territa monstro.
Sed quia tempus abit somni, hic mihi denique finis
Haereat, experto ut sartori ducere certo
Vestis opus, dum suppeditat sibi copia panni.
Atque aciem ad primum nos convertemus Amorem
Sic, ut suspiciens illum, ut fert vestra facultas,
Lumen in ipsius penetres. Nec forte recuses,
Dum pennas agitas, ratus ultra tendere cursu,
Est opus, ut studeas tibi opem impetrare precando,
Exorando illam, quae te virtute juvare
Larga potest, et corde tuo mea dicta sequaris
Sic, ut nusquam abeas animo, dum talia pango;
Atque precem hanc sanctam diffundere pectore coepit.

XXXIII.

Virgo, tui simul et genitrix et filia nati,
Corde humilis, simul alta super genus omne creatum,
Consilii aeterni stans termine! Tu illa fuisti,
In tantum naturam hominum quae vexit honorem,
Hujus ut ipse opifex non dedignatus ab ipsa
Esse opus in terris fuerit. Vis arsit amoris
Ventrem ingressa tuum, cujus calor edidit hujus
Floris in aeterna germen mirabile pace.
Tu nobis isthic medii pro luce diei
Fax sanctae es flammae, deorsum mortalibus aegris
Spes fonte ex vivo. Sic virgo es magna potensque,
Ut, qui eget auxilii, in rebus nec confugit arctis
Ad te, idem ipse velit sua vota volare sine alis.
Non modo poscenti auxilium tua cura benigna
Succurrit, sed saepe preces prior occupat ultro.
In te cor miserans, in te pius ardor, et ample
Magnificum ingenium concurrit, et una receptas
Quidquid ubique boni est in re quacunque creata.

Hic, qui ex valle ima, summarum quae ultima summa est,
Singula vestigans exutas corpore vitas
Huc usque inspexit, sibi te indulgente, vigoris
Implorat tantum, ut visus attollere possit
Altius ad primae auctoremque caputque salutis.
En ego, non ardens tantum studio ipse videndi,
Quantum hujus propter curam, te qua prece possum
Oro omni supplex, ne sit prex ista minoris;
Ut, quae nunc hebetant mortalis lumina visus,
Omnes dissolvas huic nubes ipsa precando,
Ne se ipsi celet Superum ac tua summa voluptas.
Idque etiam te oro, (tibi enim, Regina, quod optas
Posse datum est), ut post, quae tanta ac plurima vidit,
Ipsi incorruptos serves in pectore sensus,
Et vigil humanos vincas custodia motus.
Cerne Beatricem circumstantesque beatos,
Conjunctis illi manibus mea vota secundant.
  Tam dilecta Deo venerataque lumina in illos
Defixa orantes nobis testata fuerunt,
Quam grato illa animo accipiat pia verba rogantum.
Exin aeternum haud dubitarunt quaerere lumen,
Ad quod nulla foret natura creata putanda
Clarius inspiciens aciei mittere robur.
At qui cunctarum rerum, quas discere avebam,
Jam prope eram finem, consumpsi, ut rite dabatur,
Ardorem desiderii. Bernardus ad ista
Annuere atque mihi arridere, ut suspicerem alte;
Sed jam talis eram per me, qualem esse volebat.
Nam mihi facta acies sincera, magisque magisque
Se radio insinuans lucem penetravit in altam,
A se quae vera est. Ex illo tempore major
Vis oculi venit, quam possim dicere lingua.
Nam cedit sermo, cedit meminisse facultas,
Pressa ictu tanto. — Ut qui in somnis somnia vidit,
Postque ea, quae vidit, manet intus cura reposta,

Nec res succurrit revocanti; non secus ipse
Nunc maneo, cum visa mihi paene omnia cessant,
Et cor intus adhuc blanda inde exorta voluptas
Mi liquat. Haud aliter dissolvi, sole tepente,
Nix solet; haud aliter foliis commissa Sibyllae
Carmina perturbata ibant ludibria ventis.
O lux summa, adeo exsuperans mortalia sensa,
Suffice parva tui nostrae vestigia menti,
Qualis eras tunc visa mihi, fantisque loquelae
Vim tantam, ut possim genti mandare futurae
Tantum ex divina, qua immense gloria abundas,
Unam scintillam. Namque huc redeunte frequenter
Mente, meique oris cantu resonante parumper,
Forte magis populi discent, ut tu omnia vincas.
Credo ego, ob ardentis jubaris quod lentus acumen
Sustinui, passus defectum forte fuissem,
Lumina si quando statuissem aversa tenere.
Et memini hoc propter me contra audacius isse,
Immensam donec virtutem tutus adivi.
O mihi gratia opis dives, qua dante, meare
Non timui aeternam in lucem sic, ut, quod habebam
Visus, consumptum fuerit! Mihi, quidquid ubique est,
Hoc alto centro demersum, et amore revinctum
Cernere contigerat, simul omne, quod occupat orbem
Terrarum studiis curisque, volumine in uno;
Rem per se atque modum, et quod privi est moris utrique,
Sic conflata simul cuncta, ut quod dicere conor,
Sit simplex lumen. Tunc me vidisse putarem
Totam hujus formam nodi; nam copia gaudî
Largius irrorat mentem haec mihi visa locuto.
Unum horae punctum mihi plus solet esse veterni,
Quam si saecla decem bis sumpta et quina manenda
Auso illi fuerint, per quod Neptunus in umbra
Argus suspiciens stupuit. Sic tota morata est
Mens animi suspensa, haerens, immobilis, alte

Intenta, inque suo obtutu magis usque flagrabat.
Istam qui adspiciat lucem, fit talis, ut inde
Declinare oculum atque alio divertere nunquam
Vere contentus possit; nam cuique voluptas,
Meta voluntati, tota huc concurrit et extra
Hanc, quaecunque alibi sunt optima, manca labascunt.
Parcus ad haec, quae commemoro, jam verba profundam,
Ut qui matris adhuc humectat ad ubera linguam.
Non quia constaret plus simplice imagine vivum,
Quod suspectabam, lumen; nam tempus in omne
Semper idem est, quod erat; sed visus propter acumen,
Major ab intuitu cui vis veniebat, imago
Una, mihi tantum mutato, est visa laborans.
Hujus in excelso puncti claroque nitore
Tres orbes triplicem referentes luce colorem
Cernere sum visus triplicemque hunc ambitu in uno.
Unus de alterius dissultans lumine lumen
Visus erat, veluti Iris de Iride; tertius ignis
Hinc atque hinc aeque efflatus. Quam angusta loquela
Haec mea ineptaque iis est, quae mens concipit intus!
Atque haec tantula sunt, ad quae illo tempore vidi,
Ut non sufficiant conanti pauca referre.
O, quae sola super te sidis, lucida flamma
Aeterna, et quae te solam una intelligis, a te
Et percepta et percipiens te, huic annue curae.
Ille orbis visus, te ipsum generante, moveri
More repercussi splendoris, fixa moratus
Lumina nostra diu, ille idem intus imagine pictus
Nostra erat, hanc proprio ipsius monstrante colore:
Namque ego pendebam totus defixus in illum.
More geometrae, qui totus inhaeret in una
Circli mensura intentus, neque multa moventi
Invenisse fuit, quod primum postulat usus;
Restiteram illius tactus novitate figurae:
Cura erat inspicere, u circlo convenit imago,

Atque ut se huic aptat; sed non sat ad ista fuere,
Quas habui pennas; at mens fuit icta nitore,
Qui desiderium explevit. Me hic alta reliquit
Phantasiae virtus. Sed jam studium omne meaeque
Regna voluntatis, motae aeque more rotai,
Circumagebat Amor, solem astraque caetera torquens.

FINIS.

Lipsiae, typis J. B. HIRSCHFELDII.